This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`





ERNEST THORIN
Libraire du Collège de France
et de l'Ecole Normale Supérieure
7, Rue de Médicis, 7
A PARIS

Digitized by Google

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
5324697578

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DE LA FACULTAD DE DERECHO
Vol. 880 Caja 162
Estante 41 3
Clasificación 87.08

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

SEMINARIO DE DERECHO ROMANO
UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
MADRID

Digitized by Google

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St.-Germ.

DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.

J. DIDOT, l'aîné, Imprimeur du Roi, rue du Pont-de-Lodi, n° 6.

F. DIDOT, Imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.

Aug. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.

MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.

BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.

BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Haute-Feuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

Digitized by Google

MARCI FABII

QUINTILIANI

ET

CALPURNII FLACCI

DECLAMATIONES

Digitized by Google

D 53810

EXCUDEBAT JULIUS DIDOT
NATU MAJOR, REGIS TYPOGRAPHUS.

Digitized by Google

XV. o)
100

MARCI FABII
QUINTILIANI
DECLAMATIONES
MAJORES ET MINORES
ITEM CALPURNII FLACCI

EX RECENSIONE BURMANNIANA

CUI NOVAS LECTIONES ET NOTAS ADJECIT

JOANNES JOSEPHUS *DUSSAULT*

UNUS E PRÆFECTIS
SERVANDÆ BIBLIOTHECÆ SAN-GENOVEFANÆ

VOLUMEN SEXTUM

SEMINARIO DE DERECHO ROMANO
UNIVERSIDAD COMPLUTENSE MADRID

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIV

Digitized by Google

b23308965

Digitized by Google

M. FABII QUINTILIANI

DECLAMATIONES,

QUÆ EX CCCLXXXVIII

SUPERSUNT CXLV,

EX VETERI EXEMPLARI RESTITUTÆ,

CUM P. PITHŒI, ÆRODII, GRONOVII, SCHULTINGII,

ET ALIORUM NOTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. FABII QUINTILIANI

DECLAMATIONES*.

* * * *

... manifestum[1] est, et in hac tamen civitate extra controversiam præcipue... positum... eos qui a se homines occisos esse fateantur, teneri lege, qui[2] distingues igit... sa... ere. Occidisti adulteros. Quis igitur dubitat hoc in civitate a legibus permissum? Adulterum, inquit, cum adultera liceat[3] occidere. Quid aliud feci? sed non licuit occidere tibi: et in hoc omnem calumniam suam

* In hac editione veteris exemplaris fidem sequuti sumus: nihil adeo conjecturis datum est, aut alienis, aut nostris: quibus hic suum potius locum assignavimus, simul et emendationibus errorum quorumdam ex his, qui inter relegendum occurrerunt, præcipue vero ex distinctionibus, quas in hujusmodi argutiis apte et convenienter notare non cujusvis est hominis, ut facile operis eam culpam ignoscam, in qua, ut verum fatear, ne mihi quidem ipse satisfeci: omnia notare nec animus, nec otium fuit. Dabunt veniam æqui lectores, immo et gratiam de beneficio habebunt: cæteros nihil moramur. Illud vero admonere visum est, in veteris exemplaris initio unam tantum, aut alteram paginam desideratam, quod et quaternionum signa et Declamationum ad finem adscriptus numerus satis arguunt. Novem tamen nondum hactenus editarum nova accessio de reliquis, quas intercidisse dolemus, spem fortassis non vanam cupidis earum dabit. PITH.

1. *Manifestum.* Argumentum forte habuerit: Imprudentis cædis damnatus quinquennium exsulet. Adulterum cum adultera liceat occidere. Qui imprudentis cædis damnatus erat, in exsilio audivit uxorem suam adulterari: domum reversus deprehensos occidit: reus est cædis. SCHULT.

2. *Qui distingues.* Forte, *qui distingues igitur, qui fatere occidisse adulteros.* SCHULT.—Bipont. ed. interpungit *lege. qui.* ED.

3. *Liceat occidere.* Forte, *licet*: hæc a parte altera. SCHULT.

Digitized by Google

contrahit... negat mihi licuisse occidere : primum, quod jus civis non habuerim eo tempore, quo exsul eram, nec ad me jura pertinuisse, quod exsulo. Si in perpetuum exsilium missus essem, forsitan posset de hoc quæri, an ad leges pertinuerim, quum illud ex lege fieret, quod exsularem. Quinquennale vero exsilium dubium est, quin..... processerit absente me, neque erat causa, propter quam vis inferretur ei, qui imprudens occidisset... non damnabatur [1]animo, aut sceleris ea pœna erat: sed ut pertinuerit, inquit, ad te lex..... tamen tibi non licuit, quum ad occidendum venire non licuerit. Lex enim quinquennio te jubet exsulare.... puta me contra jus rediisse.... in præsentia... tamquam contra jus redissem... Non tamen mihi objicere debes quod occiderim, sed quod... tingente fecisse contra leges... contra illam tamen legi feci.... ad judicium pertinet.... sic etiam redire mihi licuisse..... hoc rerum..... occidere licere.... Ergo lex qu..... significat omnia..... quæ adversus adulteros scripta est, ut contra alias leges..... ab exsilio, nec homines occidere licuit: sed quemadmodum homine..... erant ita rever....

SERMO.

Locus patens, quomodo, quantum liceat adversus adulteros: sed in hac controversia facere oportet in communibus[2] fere, ut quoties communem dixerimus locum, ad proprium revertamur. Communis est locus adversus adulteros omnes: proprius, adversum hos adulteros.

1. *Damnabatur animo.* Malim, *animus:* et paulo post, *jus rediisse. Si.* Pith.

2. *In communibus.* Lege, *ut in communibus.* Schult. *quod in com.* Bipont. Ed.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Itane mulier impune peccassit, quæ calamitatem viri sui pro occasione habuit.... bus erat, cui quinquennium breve videbatur: æquale enim illud fuit adult..... narrabatur cujus opinio..... dum frequens, sed pæne continuum ac perpetuum fuit. Ne quis autem existimet cum[1] adult..... unius tantum vindicandum..... ad exemplum totius civitatis.

CCXLV.

QUI DEPOSITUM INFICIATUS FUERIT, QUADRUPLUM SOLVAT. Qui filium luxuriosum relinquebat, pecuniam apud[2] unicum deposuit, et mandavit ut redderet emendato. Petit adolescens pecuniam: ille quadruplum petit[3].

SERMO.

...videtur hic adolescens..... tamen asper exactor... quoniam persona nobis proponitur amici, et amici, hoc ipso de quo agitur, probati. Nam ita facilius ostendemus omnia eum fecisse adolescentis istius causa, si ne reus[4] quidem usquam ad odium compellitur.

1. *Existimet cum adult.... Existimet nunc adulterium unius t. v. pertinet ad ex.* SCHULT. Et supra *breve* pro *brevi* recepimus ex Bipont. ED.

2. *Pecuniam apud unicum deposuit.* Scribe: *apud amicum.* MOX: *persona nobis proponitur amici.* GRONOV. Ita et Schult. conjecerat.

3. *Petit adolescens pecuniam.* Scribe: *Reddit adolescenti pecuniam. Ille quadruplum petit.* GRON. Lege, *petit adolescens pecuniam; ille a negante quadruplum petit.* SCHULT. Forte, *petit adolescens pecuniam: inficiatur, ille quadruplum petit.*

4. *Si ne reus.* Forte, *et sic ne reus.* SCHULT.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

DEPOSITUM QUI INFICIATUS FUERIT, QUADRUPLUM SOLVAT. Inficiari, est depositum nolle solvere. Itaque ne actio quidem hæc dari potest, nisi adversus eum, qui damnatus fuerit. Eo enim tempore quæratur necesse est, an habeat pecuniam, et an inficietur: neque omnino quadruplum solvere debet, nisi simul convictus: quare si hanc tantum negasset aliquando, et postea obtulisset, non tamen poterat videri quadruplo obligatus, quum hoc ipsum quadruplum cum ea summa habuerit, quæ negatur. Quid si et absolutus est hoc judicio, quum in quadruplum damnari poterat? neque enim ideo debet quadruplum solvere, quia potuit ne simplum quidem solvere, si ipsam[1] pecuniam, quæ a patre tuo apud amicum[2]..... velles, non liceret tamen tibi rem judicatam retractare. Hoc ergo fieri potest, ut rem non potueris repetere[3], pœnam rei petas[4]?

SERMO.

Hæc circa jus, illa circa æquitatem. Qui quadruplum ab inficiatore petit, illa dicere solet: Oportet pœnam esse avaritiæ, et affici supplicio cupiditates: neque enim aliter fides constare potuerit[5] apud omnes, nisi metu contineatur. Depositum hoc eo magis vindicandum, quod fere secreta sunt citra probationem: non potest omnino in hoc arguere avaritiam.

1. *Solvere, si ipsam. Solvere si ipsam p.* PITH.

2. *Apud amicum.* Forte, *apud amicum deposita fuerat, petere velles.* BURM.

3. *Ut rem non potueris.* Malebat Cl. Almelovenius, *cum*, vel, *si rem non potueris.*

4. *Rei petas.* An, legendum potius, *repetas?* PITH.

5. *Potuerit.* Legerem *poterit.* FRANCIUS.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Depositum, quo tempore petisti luxuriosus [1]adhuc, si noluisses [2] confiteri, haberes pecuniam: nondum tamen debebatur. Non est in depositis simplex conditio: deponitur aliquid, quod quandocumque repetitur, reddendum est: deponitur aliquid in tempus. Hoc quomodo depositum erat? ut acciperes, quum luxuriari desisses. Quo tempore repetebas, adhuc luxuriabaris: non debebatur ergo, nec potest videri inficiatum, quod eo tempore negavit, quo illi extorqueri non posset vel confitenti. Quare tamen negare maluit, quam hoc jure uti? quoniam te luxuriosum spes adhuc pecuniæ faciebat. Annon hoc est, quod te fecerit frugi? Didicisti tibi pecuniam [3].... et labore servandam. At mehercule vereor, ne cito obtulerit. Sine dubio tu discussam luxuriam vis probare avaritia, et hæc ipsa accipiendæ pecuniæ fames alias videretur prodere cupiditates. Satis erat homini frugi, quod accepisti. Itaque et alias quoque conditiones frugalitati tuæ ponit amicus paternus, si vixeris, quomodo videris fecisse, si tenendi potius patrimonii, quam auferendi habueris curam, est adhuc quod tibi possit tribuere patrimonium paternum: sed adhuc [4] habet suum.

1. *Luxuriosus adhuc.* Forte, *adhuc eras.* Schult.

2. *Si noluisses.* Lege, *si voluissem confiteri habere me pecuniam.* Schult.

3. *Tibi pecuniam.* Forte, *tibi pecuniam quærendam labore et servandam.* Burm. — *Tu discussam.* Quod recepi ex Bip. pro *te disc.* Ed.

4. *Habet suum.* Suspecta hæc sunt Schultingio. Forte *habes tuum*, nimirum, quod labore quæsivisti, nam et hoc patrimonium dici docuit Munk. ad Hygin. fab. 194.

Digitized by Google

CCXLVI.

Soporatus fortis privignus.

Qui fortiter fecerat, bello imminente soporem[1] ab noverca subjectum bibit. Causam dixit tamquam desertor: absolutus accusat novercam veneficii.

DECLAMATIO.

Etiamsi, judices, eventus proximæ causæ satis videri potest etiam in hanc quoque pronunciasse, primum tamen doloris mei professionem dissimulare non possum, quod novercam ante accusare non potui. Debeo quidem sententiis judicum omnia: homo tamen gravissimam injuriam passus, adhuc tantum absolutus sum. Verum me quamvis præcipue in hoc judicium agat ultio talis, illud quidem periculum fallit: hodie constituetis, an merito absolutus sim. Inter summa discrimina reipublicæ non fuit venenum..... ..... ego deserui: si quis autem ad hanc præteritorum indignationem adjicere etiam formam ipsam judicii potest, illud certe est, quod nulla possit tolerare patientia, quod se mihi contendit noverca beneficium dedisse: vos æstimabitis, quid de persona hac sentiatis: non fecisset hoc mater: certe quod mihi satis est, pater non fecit.

1. *Soporem.* Ita Nepotem in Dione cap. 2, *soporem dare* dixisse notavit Cl. Schultingius, et plura adduxit Broukhusius ad Tibull. IV, IV, 9, p. 84 nostræ edit. ubi *sapores* prætulimus; vide ad Decl. XV, ubi *odium dare et accipere*, pro potionem odii dare, etc. ponitur. Ed.

Digitized by Google

SERMO.

Quoties finiendum erit, primum intueri debebitis, quid utraque pars velit: deinde, id quod vult, quam brevissime complecti. Quare negat venenum esse qui pro reo[1] dicit? quia non occiderit, neque sit mortiferum. Quare dicit venenum esse qui accusat? quoniam medicamentum sit, et efficiat aliquid contra naturam. Ergo non est satis id modo videri venenum[2] quod occidat: sed hæc omnia venena sunt: ad tuam quidem finitionem etiam mortiferum istud erit. Nam quum id ageres, ut desererem, desertorem pœna sequatur, etiam id quod deesse huic medicamento videbatur[3], adjiceres.

DECLAMATIO.

Veneficii accuso. Veneficam dico, quæ soporem dedit. Unde tibi in hos usus venena? notiora sunt quædam pernicie, et experimento deprehenduntur, adeo ut aliqua publice dentur. Hoc quid est, quod tu vis vocari in tempus[4] venenum, quo mens aufertur, quo corpus gravatur, quo membra solvuntur? Sæpe in scelere virtutis est nosse veneni modum, eo magis quod videmus copia constare, quod temperamento quodam, ut stetur citra mortem[5]. Si quis accusare te veneficii voluisset

1. *Qui pro reo.* Lege, *pro rea* GRONOV.

2. *Videri venenum.* Lege, *videre an sit, venenum, q. o. sed et hoc an omnino venenum sit.* SCHULT.

3. *Adjiceres.* Lege, *adjecisti*, vel *adjici vides*, intelligit autem mortem. SCHULT.

4. *Hoc quid est, quod tu vis vocari in tempus.* Distingue et scribe: *Hoc quid est? quid tu vis vocari?* Respondet dein ipse sibi: *in tempus venenum est.* GRONOV. Lege, *hoc quid est, quod tu non vis vocari venenum? in tempus venenum est.* SCHULT.

5. *Ut stetur citra mortem.* Forte, *gustetur.* LATINIUS. *Ut detur citra*, Obrecht. Ludov. d'*Orleans* ad Tacit. Ann. XII, 525, legit, *ut stet via citra mortem*, sed omnes credo frustra: sensus est: Ut ejus vis

Digitized by Google

illo tempore, quo sane non vacabat[1], si protulisset corpus meum, quod non solum motu corporis, familiæ conclamatione excitari non potuit, sed belli tumultu, et fragore signorum, et trepidatione totius civitatis, victurum promitteres? Veneficium scientia docui, veneficium periculo docui: volo dicere et de animo. Potionem istam cui dedisti, quo tempore dedisti? privigno dedisti: si alio tempore dedisses, deceptam te putarem, nunc excogitasti potionem, quæ me lege occiderit[2]. Equidem si me interroges, vixisse me illo tempore non arbitror: quid enim, pro dii immortales! aut in qua parte naturæ locavit me noverca? Bellum mihi nuntiatum est, et hominem, [3]quem non peregrinatio detinuit, non absentia ulla a periculo civitatis relegavit, quid acti[4] sit, manente me intra muros, commilitones mei narraverunt: dicitur ingens fuisse prælium, commissa utrimque acies, dubia sæpe victoria, et huc atque illuc spes inclinata, quum interim miles, in quo plurimum fiduciæ, in quo maximum momentum videbatur, in nulla parte visus auditur. Quid plus contingere potuit hosti, si perissem? non alio modo audivi bella, quam avorum proavorumque temporibus. At si mihi detur emendatio præteritorum,

subsistat citra mortem, soporet quidem, sed non occidat, vide ad Decl. III, 13. Ita contra dixit Flor. II, 7: « Vulnera ultra mortem pa- « tebant. » Vid. Albinov. Eleg. in Drusum V, 50. Burm. Edit. Bip. *circa mortem;* non meliori sensu. Ed.

1. *Quo sane non vacabat. Quo somno vacabat.* Obr. et in emendationibus habet *vacabam.*

2. *Lege occiderit.* Qua puniuntur desertores. Schult. *Occideret* Francius malebat.

3. *Hominem quem.* Malim, *homini.* Pith. Nihil temere mutarem, nam et *hominem* posuit, ut sæpe alii, referens ad *detinuit*, ita ut Ter. Eun. IV, 3: « Eunuchum quem de- « disti, nobis quas turbas dedit, » ubi vid Donat. Cicer. IV; ad fin. I: « Rem vides quo modo se habeat: » ubi Manut. et ita millies optimi quique: vide Lamb. ad Horat. IV, Od. 4; Muncker. ad Hygin. fab. 34, 249, et 274; et alios. Burm.

4. *Quid acti.* Ut Ovid. Art. am. II, 637: « Quid tuti superest, ubi « nominis exstet adulter. »

Digitized by Google

utinam noverca illud statim venenum dedisset, quo vita auferretur! illa potione consumptum tota civitas ad rogum tulisset, celebrasset laudes; etiam temporis discrimen multum attulisset admirationis: illa dicerent homines, non tulissemus hæc[1], si vixisset. Ego, inquit, tantum animo bono feci. Erubescite matres, quæ amplexæ armatos jam liberos, impiæ tamen jam estis mei exemplo: inventa est tota civitate magis amaret[2] una quæ parceret noverca. Non dico de his adhuc, quæ secuta sunt: non illam judicii contumeliam. Interim tamen, quid mihi potuit gravius accidere? quam ego, dii deæque! perdidi occasionem? Obtulerat deus tempus merita geminandi: venerat dies approbandi, quod fortiter feceram, id non fortunam fuisse. Felices commilitones mei, hostium terga vidistis, calcastis cadavera, victoriam publicam clamore læti retulistis: at [3]ego, quando pugnandum est, interrogavi; longamque illam novercæ noctem tandem emensus non mente, non gradu constiti, ac mihi vicisse cives meos accusator indicavit. Videor ex magna parte, etiam approbasse causam proximo judicio: quo enim modo absolutus sum, nisi illa accusatori dicerem, Vis tenuit, et [4]devicta mens?

1. *Non tulissemus hæc.* Scilicet dubia bella, injurias hostium, si vixisset ille egregius miles, vel potius si non soporem bibisset.

2. *Tota civitate amaret.* Scribe: *Inventa est tota civitate, magis matre, una, quæ parceret, noverca.* hoc est, una noverca, quæ magis matre parceret. Gronov. *Quæ magis amaret una, quæ parceret.* Obr.

3. *At ego.* Lege, *at ego* (scil. *experrectus*) *quando pugnandum est? interrogavi.* Schult. recepit Bip.

4. *Vis tenuit et devicta mens.* Lege, *devincta.* Gronov. *Devincta* etiam Schultingius conjecerat.

Digitized by Google

CCXLVII.

RAPTORIS DIVITIS BONA MARITI UXOR ACCIPIAT. Adolescens locuples rapuit, priusquam optaret puella, misit ad eam propinquos rogatum, ut nuptias haberet. Auditis illa precibus, tacuit et flevit. Percussit se adolescens: prius quam exspiraret, optavit illa nuptias, petunt bona propinqui et uxor.

SERMO.

Demonstranda vobis est via. Videte quid utraque pars velit, quid utraque pars dicat, et illud quam fieri potest brevissime et significantissime comprehendite. Ut puto, dicit hæc puella, uxor sum: nuptias enim optavi: optando statim maritum habere illum cœpi: necesse enim erat illi marito esse, si viveret: nec tempore ut[1] matrimonium, sed jure. Hæc certo comprehendenda sunt finitionibus. Dicit pars diversa, Non fuisti uxor: non nupsisti cum illo: [2]op-

1. *Nec tempore ut.* Hic locus sic fortasse restituendus est: *nec tempore ut patrimonium, fit matrimonium, sed jure: hæc certo comprehendenda sunt finitionibus. Dicit pars diversa, non fuisti uxor, nupsisti cum illo;* et paulo post: *Tu non es tradita.* Patrimonium fit tempore, quod usu capitur. Atque et usu fit uxor: quod alibi et pluribus tractavimus. Sed hæc rhetorice dicuntur, non juridice. PITH. Pithœus perperam: *nec tempore, ut patrimonium, fit matrimonium.* Patrimonium tempore fieri ait, quod usu capitur. Hic objectat sibi: atqui et usu fit uxor. Respondet hæc rhetorice dici, non juridice. Immo patrimonium non usucapitur, sed statim est filii, simulatque decessit pater. Sic Curioni post patris mortem Cicero patrimonium gratulatur. Præterea inutilis hic mentio *patrimonii*, et insolens inculcare vocabula præter necessitatem. Scribe: *nec tempore fit matrimonium, sed jure.* His verbis non obstat matrimonium usu. Loquitur enim de illo genere matrimoniorum, in quibus usus et tempus non habet locum. GRONOV. *Tempore fit,* etiam Latinius et Schultingius, qui etiam *nititur* conjiciebat: *tempore coit.* OBR.

2. *Optione tradita.* Conjicerem *optio ne tradita.* ED.

Digitized by Google

tione tradita quidem illi, sed statim quidem discessit post vocem: hoc finitione comprehendendum est. Uxor est, quæ femina viro nuptiis collocata in societatem vitæ venit: tum non est tradita[1]. Illa quid dicit? uxor est, cujus cum viro matrimonium factum[2] est. Pars diversa hoc dicit; finitio interim dicitur falsa, interim parum plena. Nos neque falsam possumus dicere partis adversæ finitionem, neque parum plenam: nec tam in subvertenda ea morari debemus, quam in confirmanda nostra. Sit ergo, ut non infirmandum finitionis genus, ita ad convincendum nimis plenum. Non possumus enim dicere, Ea, quæ viro per nuptias tradita in societatem vitæ venit, sed non tantum hæc uxor, sicut non negaremus uxorem, si ita finiremus. Uxor est, quæ per nuptias a parentibus in matrimonium tradita in societate multis annis fuit. Illud, *a parentibus tradita*, non necessarium in finitione uxoris sit. Ista falsa quidem non sunt, sed plerisque detractis, erit adhuc uxor. Fingamus enim factas esse nuptias, consecutam statim alterius mortem: erit profecto uxor, etiam te confitente, tradita, si in societate vitæ non fuerit. Quomodo ergo ista *societas vitæ* adjecta non quidem mentitur, sed afficit necessarium[3]: ita illud quoque, *nuptiis collocata*, efficit uxorem: sed non hoc solummodo erit. Fingamus enim nuptias quidem fecisse nullas, coisse autem liberorum creandorum gratia: non tamen uxor non erit, quamvis nuptiis non sit collocata. Videamus igitur, si ista supervacua et circumfusa sunt; finitio huic nomini sufficit: neque enim hoc intueri debetis, quid desit, sed quid satis sit[4].

DECLAMATIO.

Dixi uxorem esse, cujus cum viro matrimonium fac-

1. *Tum non est tradita. Tu non es tradita*, ex MS. Latinius.

2. *Uxor, cujus viro matrimonium factum.* Lego: *pactum est.* Gron.

3. *Sed afficit. Sed adjicit.* Ed. Pith. *sed nec adjicit*, Schultingius. Francius, *sed efficit.*

4. *Sit.* Burm. *est:* nos cum Bip. *sit.*

Digitized by Google

tum est. Quid amplius? nam sicut coitus atque congressus citra jus non efficeret uxorem, ita uxor etiam citra hæc[1] manet. Id ex quotidianis et in frontem incurrentibus approbari potest. Nam ut ab ipsis incipiam: comprehendo uxorem duxisse dici; hoc ante noctem, hoc ante congressum, hoc primo statim jure, et fortasse in aliis possit videri necessarium exspectare: hæc de nuptiis convicimus[2]. Est quidem jus patrimonii explendum, tamen exspecto et circuitum, et quod id peto, matrimonium jungendum, hæc in ejusmodi conditione non sunt exspectanda, quia antecesserint. Raptor si non occiditur, jam maritus est: id sic quoque accipitur: qui maritus erit, non est cælebs, quæ uxor, non vidua, aut virgo. De utraque vos persona ego volo interrogare. Putemus statim optione finita quæri de adolescente: diceresne illum esse cælibem? at si diceres, ille occurret[3]. Dic igitur cælibem: uxorem potest aliam ducere? virginem hanc, aut viduam, non diceres. At

1. *Citra hæc.* Præcesserunt duo masculini generis, *coitus atque congressus.* Nihil tamen moveo: ita enim et Fabius Inst. VI, 3, §. 29: « Oratori minime convenit distor- « tus vultus, gestusque, quæ in mi- « mis videri solent: » sic apud Sueton. Claud. II. ex MS. Memmiano: « Aviæ Liviæ divinos honores, et « circensi pompa currum elephan- « torum Augustino similem, decer- « nenda curavit. » Burm.

2. *Nuptiis convicimus.* Lego, *Communibus.* Communes nuptias vocat, quæ fiunt jure communi, non illo singulari ex lege raptarum. Pith. — Non placent *communes nuptiæ.* Neque hac tantum parte laborat locus: corrige: « Hoc pri- « mo statim jure. Et fortasse in aliis « possit videri necessarium exspec- « tari hæc. De nuptiis convenimus. « Est quidem jus matrimonii exple- « tum: tamen exspecto et coitum « et id, quod peto, patrimonium « jungendum. Hæc in ejusmodi con- « ditione non sunt exspectanda, « quum antecesserint. » vel *quia antecesserint.* (Et habet Bipont.) *Exspectari hæc*, quæ dixerat, *noctem, congressum* et cohabitationem. Ut, inquit, exempli gratia, pactæ sunt nuptiæ, tum quidem jus matrimonii, etc. Multis hæc probare poteramus: sed festinamus: et sapienti satis. Gron.

3. *Ille occurret.* Forte, *illa occurreret.* Schult.

Digitized by Google

de altera quæri supervacuum est: si viduam, interrogo, an esset aliquis, cujus nuptiarum habitura esset jus puella: crederem igitur neque illam virginem esse constare, et illum non esse cælibem, si hæc uxor, et ille maritus. Nunc quæro, cujus ille maritus, cujus hæc uxor: nuptias tamen in domo. Nuptiæ in aliis sint sane necessariæ: quamquam ne id quidem utique jus exigit, causam tamen in domo hanc habeto ostendendæ voluntatis, filiam tibi, aut eam ipsam conjungi, quæ sui habet potestatem. Hoc quod nuptiæ efficiunt, optio fecit: videamus an etiam fortius atque vehementius: quippe illic voluntas, hic etiam necessitas quæritur. Ausim dicere utique in hoc genere litis, nullas esse digniores, quæ retineant maritorum hereditates, quam eas, quæ uxores ex raptu esse cœperunt: quoniam post raptum nulla uxor est, nisi beneficio suo: ac forsitan inde etiam lex ista descendit. Ad illa libet pervenire, ad quæ pars diversa vocat. An hæc digna sit, quæ uxoris nomen accipiat: si hoc tantum dicerem, meruit hereditatem pro injuria; posset tamen videri hereditas ista genus quoddam satisfactionis: amata est ab adolescente: debet quoque hoc valere in portione litis hujusce; nihil ille maluit, quam ista bona, etiamsi viveret, esse communia. Ille fecit his bonis hanc legem: speravit de ea adolescens: ideo rogare ausus est: nuptias petiit puella: non dico nunc de jure: cogitate quantum beneficium dare voluerit: immo quod ad ipsam pertinet, dederit: remisit injuriam raptæ virginitatis ea, cui lex et mortem vindicare permisit[1]. Sed sero hoc dedit. Etiamsi hujus tarditate factum esset,

1. *Cui lex et mortem vindicare permisit.* Lege, *morte vindicari*, vel *vindicare*, scilicet illam injuriam. Gron. *Morte* Schult. et Obr.

Digitized by Google

non illius festinatione, noli tamen mirari pudicam, si castitas non statim iræ suæ imperare potuit: satis præstat rapta, quæ non cito optat. At enim jam vulnerato optavit, quoniam moriturum sciebat: captavit hereditatem. Num igitur animum puellæ a primis temporibus raptor ignoravit? Magnum clementiæ argumentum. Cui potestas adeundi magistratus statim, emissa continuo vox, qua se et injuriam suam ulcisceretur, finiret onera pudoris sui, audit rogantes diu: primum hoc præjudicium ejus est, quæ exorari possit. Rogari velle, pro rogato est: hoc tantum non [1] satis erat, judices, si dicerem, non negavit. Atqui dolor erumpit, et numquam ira fere silentio continetur. Miseret me adolescentis optimi alioqui et nimis verecundi, quod sic animum ejus interpretamini: satius erat dicere, non negavit: audeo dicere, illud promisit, neque unum promittendi genus est. Voluntas hominum non tantum voce signata est. An vero si manu promisisset, an [2] vultu annuisset, dedisse fidem et confirmasse spem puella videretur, quæ facie affectum, quæ totis oculis misericordiam prodidit? flevit: idem fecit quod illi, qui rogabant; ad mentionem periculi, ad mentionem carnificis, uberes lacrimas profudit; certe non video affectum, qui occidat. Sed tacuit: alioqui hoc vos exigebatis ab ea, quæ modo virgo fuerat [3], quæ hoc nomen paullo

1. *Tantum non.* Leg. *tantumnon*, uno vocabulo, quod etiam pluribus auctorum veterum locis ignoratione corruptum est, non modo apud Valerium Maximum, sed et apud Senecam, Asconium et Suetonium Tranquillum, qui et eadem forma *tantumquod* dixit pro, vixdum, ut Marcellinus, *modonon*, quod pluribus hic persequi non est instituti nostri. PITH. Sed cur non divisis vocibus? ut toties jam in Declamationibus prioribus vidimus.

2. *An vultu.* Leg. *aut vultu.*

3. *Quæ modo virgo fuerat.* Cl. Bestius de ration. Emend. Leg. c. XIV, §. 8: ita legit et distinguit:

Digitized by Google

ante perdiderat, ut de nuptiis loqueretur, nisi ubi necesse erat? Ea post vulnus optavit. Ecce majorem misericordiam : suscepit raptoris sui misera curationem: queritur quippe de fortuna, quod beneficium perdidit: neque enim divellere poterat tam alte exactam manum[1]: misera existimabat hoc eum fecisse causa miserationis: pervenit tamen aliqua ad illum lætitia datæ salutis : etiamsi brevis, tamen grata est voluptas. At voce ejus audita certe oculos sustulit: si nihil aliud, hoc certe solatii tulit, non mori se tamquam damnatum: non illum, quamvis semianimem atque palpitantem invasit carnifex, vulneratum cruentumque per ora populi traxit; non illud caput, vel exanime, lege recisum est: pro immitis[2]! qui de summa clementia tam triste fecit exemplum.

« Ab ea (modo virgo fuerat, atque hoc nomen paullo ante perdiderat), ut de nuptiis loqueretur « nisi ubi necesse erat. An ea post « vulnus optavit. »

1. *Neque enim divellere.* Scribe: « Neque enim divinare poterat tam « alte exactam manum. Gronov. — *Neque enim diu videre.* Schult.

2. *Pro immitis?* Lege: « Pro immites q. d. s. c. t. t. fecistis exemplum, » intelligit propinquos raptoris, qui male interpretati erant et detulerant verba puellæ. Schult.

Digitized by Google

CCXLVIII.

Octo anni dupliis imprudentiæ.

IMPRUDENTIS CÆDIS DAMNATUS QUINQUENNIO EXSULET; EXSULEM INTRA FINES LICEAT OCCIDERE. Qui cædem per imprudentiam commiserat, abiit in exsilium: ibi tertio anno exsilii aliam cædem similiter commisit: explevit tempus quinquennii ex eo tempore, quo iterum occiderat. Redeuntem illum post octavum annum occidit quidam intra fines. Reus est cædis.

DECLAMATIO.

Non continuo occisus homo ad crimen et ad damnationem pertinet, quum hoc interim legibus facere liceat. Quoties autem licet, etiam [1] oportet. Exsulem occidere intra fines licet: id jus dupliciter efficitur. Aut enim redit, cui omnino [2] licet, aut non redit, nisi licet: nescio an ex iis duobus etiam justius videatur occidi, quum redit contra leges, qui aliquando jure rediturus sit. Illum enim sane cupiditas patriæ et ultima desperatio cogat aliquando furtum facere juri. Præterea quum aut ita revertantur exsules, tamquam in hoc fallant, aut ita tamquam his facere liceat, aliquando magis ii occidendi sunt, qui palam contra jus revertuntur: illis enim remissum furtum non utique

1. *Licet, etiam.* Lege: « Licet, « non etiam oportet. » Cicer: « Est « ubi quid, quod liceat, non opor- « teat. » Vide Grot. de Jur. Bel. et Pac. III, IV, §. 2. SCHULT.

2. *Aut enim redit, cui omnino.* Videtur legendum, *cui non licet.* Non est nova horum verborum permutatio in veteribus libris. PITH. Forte: « Aut enim redire ei omnino « non licet; aut non redit, nisi « quum licet. » GRONOV.

Digitized by Google

nocet in exemplum, neque is, qui se agnoscit contra jus reverti, diu intra fines mansurus est. Is vero, qui contra legem sciens redit, tentat jura vincere, et in impudentia sua perseveraturus est. Videamus nunc, an sicut quum decessisset[1], occisus est, reverti tempore illo liceat. IMPRUDENTIS CÆDIS DAMNATUS QUINQUENNIO EXSULET. Utrum hoc intelligimus, singulis cædibus quinquennium esse constitutum? an interest aliquid, quoties quisque peccaverit, nulla invenietur ratio, qua duæ cædes octo annis exsulatum[2] efficiant: nam si imprudentis cædis damnatum quinquennio exsulare oportet, nihil intererit[3] quot quisque occiderit. Ego igitur hoc dico, quoties commissa sit cædes, toties quinquennium esse ponendum, et hoc satis firme tueri alienarum rerum exemplo possumus. Fingamus talem, ut qui furtum fecerit, solvat quadruplum: ponamus quamlibet pœnam ei, qui injuriarum fuerit damnatus: num dubium est, quin quoties injuriam commiserit, toties passurus sit et pœnam? ergo si animadversio contra singula delicta constituta est, hic bis deliquit, bis puniri debuit: decem annis exsilium implere debuit. Sed ex eo, inquit, tempore, quo sequentem cædem commisit, quinquennium explevit. Nihil mea refert, utrum sequenti cædi non reddiderit tempus, quod debebat etiam priori: nam si quinquennium ex triennio numeras, illud prius non est satis plenum: si assignas priori cædi suum tempus, non cœpit exsulare sequenti cædi, nisi post

1. *An sicut quum decessisset.* Conjicio: « Videamus nunc, an huic, « qui quum redisset, occisus est, « reverti illo tempore licuerit. » Gron.

2. *Octo annis exulatum eff. O. a. exulandum efficiunt. Num si.* SCHULT. Francius volebat, *octo annorum.*

3. *Nihil intererit.* An, *tamen* excidit, *nihil tamen?* vel an legendum, *multum intererit.* SCHULT.

Digitized by Google

quinquennium : explica enim mihi medium illud biennium. An hoc dicis, nihil interest? dic mihi, quo modo magis exsulaverit, quam si unum occidisset. Quod est istud contra leges compendium, ut idem illud biennium prioris pœnæ ultimum sit, sequentis primum? Libet interrogare tamquam præsentem: illo medio tempore utri exsulasti? cujus hoc morti lex præstitit? Fingamus enim duos statim occisos, ut duos, ita etiam plures, et ad quemcunque numerum: nulla differentia est, inter eum, qui in uno lapsus est, et eum, qui satisfactionem pluribus debet? IMPRUDENTIS CÆDIS DAMNATUS QUINQUENNIO EXSULET. Ista ratione statim poterat post quinquennium redire, siquidem hoc dicere satis est, Cædem imprudens commisit, quinquennium exsulavit. Videamus nunc, quam rationem secuta sit lex constituendæ ejusmodi pœnæ, quam mehercule videtur mihi priore clementia, quam justitia[1] constituisse pro morte hominis innocentis, pro vita quinquennio denique constituit absentiam. Ego quidem impudentiam illius vel in hoc mirari satis non possum, quod festinavit tam cito in patriam reverti. Est enim, ut[2] sibi aliquis unum casum remittat, et semel lapsus errore se humanæ necessitatis excuset: hic vero, qui commisit iterum idem, quo exsilium meruit, computatis diebus atque horis legem tantummodo inspexit, non etiam crimina sua numeravit, nihil verecundiæ suæ adjecit, nihil pudori. Quis autem indignari potest eum interfectum, qui occiderit duos? nam si ulla hoc loco miseratio est, debet esse pro illis: hæc

1. *Priore clementia quam justitia.* Lege, *majore.* GRON. *Priore clementiæ quam justitiæ cura const.* SCHULT. — Forte, *pejore*, ut commutata illa vocabula fuere etiam Instit. lib. VIII, 2. Francius malebat, *potiore.*

2. *Est enim ut.* Ad Græcorum morem, qui ita ἐστιν ὅτως utuntur. vide ad Petron. cap. CXXVI.

Digitized by Google

dicerem tamquam de eo, ad quem lex pertineret, quæ cædem imprudentem damnaret: lex quomodo constituit? IMPRUDENTIS CÆDIS DAMNATUS QUINQUENNIO EXSULET. Nihil mea interest, an imprudens occiderit: non enim justitia[1] constitutum est, ut qui imprudens occiderit, quinquennio exsulet: sed qui cædis damnatus imprudentis sit, quinquennio exsulet. Hominem occidi in exsilio fortasse imprudens; constitui tamen oportuit ab imprudente esse occisum: nam quoties aliquis interfectus est, aut id quæritur, an omnino interfectus sit ab eo, qui arguitur; aut id, an ab imprudente, aut per imprudentem sit interfectus: hic quidem certum esse pronunciari oportuit: non modo alterum quinquennium debuit legi, sed perpetuam pæne pœnam. Imprudentis cædis damnari, genus absolutionis est: hoc illi non contigit: remittamus tamen in præsentia perpetuam pœnam: de illo quis dubitabit, non posse eum damnari, nisi post exactam jam quinquennii proprii pœnam? Fingamus illi quinquennio peracto redire licuisse: accusari tum debebat, tum damnari, quum in alterum quinquennium abiisset: et, rogo, quid interest idem istud, quo tempore exsilii fecerit? Si peracto jam quinquennio, aut in fine certe quinquennii hominem per imprudentiam occidisset, num dubium, quin vobis confitentibus alterum quinquennium erit debiturus? ita bene illi cessit, quod hominem citius occidit.

1. *Non enim justitia.* Lege, *non enim ita constitutum est.* GRONOV. — *Non enim jure ita c.* SCHULT. — Ego mallem cum Obrechto, *non enim jus ita constitutum*: ita enim passim JCti. vid. l. 9. ff. de Instit. et jur. et alibi. Cicer. pro Cæcin. XIV: « Videte, quod jus nobis, « quam conditionem vobismet ipsis, quam denique civitati legem « constituere velitis: » et ita ille sæpius. Infr. Decl. CCLIV. « Non « jure novo, sed vetere atque olim « constituto reversus est. » Et Declam. CCLVIII: « sane ita sit constituta lex. » Et in his Declamationibus centies hoc verbum *constituere* eo sensu occurrit. BURM.

Digitized by Google

SERMO.

Hæc fere sunt quæ in themate sunt posita[1]. Ut imprudens occidisse videatur, supervacuum habeo quærere quidquam de animo illius, quamvis duos occiderit.

CCXLIX.

Abolitio[2] *adulteri fortis.*

NE LICEAT CUM ADULTERA MARITO AGERE, NISI PRIUS CUM ADULTERO EGERIT. Cœpit agere maritus cum eo, quem adulterum esse dicebat. Bellum incidit. Inter moras judicii fortiter pugnat is, qui accusabatur: petit præmii nomine judicii abolitionem, impetravit. Vult agere cum adultera, CD.[3]

SERMO.

An semper cum adultero prius agere necesse sit? an hic egerit? an etiam, si quid defuit actioni, quoniam tamen publico judicio interceptum est[4], non debeat hujus actionibus nocere? quæ mens fuerit præmium dantis reipublicæ? utrum uni abolitionem judicii, an per conjecturam utriusque[5] et adulteræ dederit? Summum quod in omnibus controversiis est, utrum æquius sit?

1. *Sunt posita. Ut.* Lege, *sunt posita, ut imprudens.* Pith. et ita Obrecht.

2. *Abolitio.* Confer Declamation. CCCLXXI.

3. *CD.* Id est, *contradicitur.* Vid. ad Declam. CCLIV.

4. *Interceptum est.* An, *reipub. judicio interventum est, nunc debeat,* ut in ipsa Decl. « Republica « interveniente. » et ita *interveniente fato.*

5. *Per conjecturam utriusque.* Malim, *utrisque.* PITH.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Adulterii ream defero: puto, hoc auribus vestris non novum crimen est: quod satis est, non ab hac cœpi: qualem causam pertulerim, sic æstimare potestis: petitur altera abolitio: ille optavit: hæc præscribit: neuter negat: postea videbo, an isti oporteat tantum præstari, quantum viro forti. Interim semota personarum ratione, ipsam excutere legem volo. NE LICEAT, inquit, CUM ADULTERA AGERE MARITO, NISI PRIUS CUM ADULTERO EGERIT. Differo illa, quæ fecit: differo, quæ passus sum; hoc in præsentia dico, non utique semper exigi, ut prius agatur cum adultero. Id vobis, judices, facillime persuaderi poterit, si non tam injustos, neque tam imprudentes existimatis legum latores fuisse, ut necessitate præstringerent ea, quæ præstari non possent. Satis sine dubio lex ipsa dicendo, *ne prius cum adultera agatur, quam cum adultero actum fuerit*, ostendit, se de his loqui, quorum uterque accusari potest. Admonebo tamen uno aut altero argumento, quantam lex ipsa, si ita accipitur, passura injuriam sit: fingamus enim adulterum vel sua voluntate, vel ita interveniente fato statim decessisse: hoc justum poterit videri, ut quoniam alterum debito supplicio fata subtraxerint, altera quoque impunitatem mereatur? Fingamus alterum conscientia criminis profugisse, nullo modo facere sui potestatem, numquid exigetis, ut ideo cum adultera non agatur, quoniam adulter crimen verum esse confessus sit? nullo modo id justum videri potest; nam is qui dicit, cum adultero prius agere debes, illud dicit, prius cum adultero age: fingamus enim vel a te ipsa, vel ab alia nobis adulterii

Digitized by Google

rea hanc quoque proponi præscriptionem: nonne illa patronorum defensio firmissima erit, habes adulterum, lex te ab illo ordiri jubet: quid transilis? hoc in hanc non potest dici. Quis igitur credat ejus conditionis esse jura ulla, ut aliquid non liceat et necesse sit? nam si mihi hoc ab ea dicit, Accusa prius adulterum, ad te venio[1]: respondeo, accusare adulterum volo: hæc dicerem, si non inchoassem, si nihil fecissem. Nunc egi cum adultero, et si contentus essem voluntate legis, agere volui, per me non stetit: habet lex animum meum: cœpi, egi, nec lex utique ullo scripto hoc comprehendit, ut mihi necesse sit agere usque ad finem: nam etsi judices consedissent, et absolvissent, ego tamen egeram. Apparet igitur non exitu judicii constare actionem, sed introitu: igitur si absolutus esset is, quem tuum adulterum dicebam, agere mihi tecum licebat, et ista præscriptio nulla esset: nunc non licebit agere, quia se confessus est absolvi non posse? egi: puta enim eadem statim die, qua reum detuli, interrogari te: quid faciam? an ante quum album descripsi, quum judices rejeci, per illas omnes moras judiciorum longas nimium, et pro nocentibus compositas, quid aliud feci, quam ut agerem? non inficiaberis[2] me agere cœpisse: quid* qui agere cœpit, quia semel contigit, num quum

1. *Ad te venio. Respon.* Forte: « Nam si mihi hoc ab ea dicitur, « Accusa prius adulterum; respon- « deo, Ad te venire accusato adul- « tero volo. » Gron. Lego: « Nam « si mihi hoc ab ea diceretur, Ac- « cusa prius adulterum. Deinde ad « me veni. Responderem, accusare « adulterum nolo, » quia scilicet, non possum prius agere cum adultero. Schult. *Dicitur, accusa prius adulterum, cedite* (*cedat* in emendationibus) *præmio, respondebo, accusare adulterum volo.* Obrechtus.

2. *Non inficiaberis.* Lego: « Num « inf. m. a. cœpisse? quum qui a. c. q. s. c. nunquam non agere cœ- « pit: neque tamen videri, etc. » Schult. « Egit qui agere cœpit, « quia semel contigit reum; quum « agere cœpi, egi. » Obrecht.

Digitized by Google

agere cœpi: neque enim videri possum agere cœpisse, nisi egissem: ergo quantocunque tempore egi, nihil obest non consummasse; neque enim eum, qui non vicit, negaveris pugnasse; neque eum, qui fructus non percepit, negaveris possedisse; aut eum, qui naufragium fecerit, negaveris navigasse. Sed abolitionem petit[1]: vel hoc argumento satis justo probare possum, egisse me. Tum igitur quum abolitio petebatur, quid ego eram? actor, ut opinor, et accusator. Quid ille erat? reus opinor: atqui hoc nomen nunquam in eum, adversum quem non agitur, cadit. Tu hodie quid pugnas? ne adversus te agere incipiam? nam eventus, ut tu vis videri, dubius est: contra multa accidere possunt adhuc, propter quæ judicium ipsum non agatur. Præscribis tamen ne agam, id est, ne nomen tuum deferam, ne te legibus obligem: quum igitur tecum acturus sim, si statim cum illo jam egissem, putemus non contineri[2] actionem non finito judicio: si tamen mea culpa accidit[3], quo minus judicium finiretur, satis injuriæ passus sum in priore judicio; et potest apud æquos judices pro actione perfecta haberi, quoniam mihi agenti consummare non licuit. Dixi igitur ea, quæ ad causam pertinebant, neque semper priorem adulterum accusari posse, et a me actum esse, etiamsi non esset perfecta actio; tamen, quoniam republica interveniente, et lege viri fortis, perfecta non esset, proinde eam haberi oportere, ac si ego fecissem, quidquid volui: propius accedere ad confessionem[4] hujusce rei

1. *Abolitionem petit.* Lege, *petiit*, scil. adulter, quasi possit eo defendi, quod non sit accusatus. Schult.

2. *Non contineri. Non competere.* Schult.

3. *Mea culpa accidit.* Immo, *non accidit.* Gron. — *Injuriæ* marito illatæ ex adultero impunito. Ed.

4. *Ad confessionem.* An, *ad contentionem?* ut Declam. XIX. An,

Digitized by Google

volo. Crimen adulterii duos continet: ex iis necesse est qui cum adultero prius agit [1], agat et cum adultera. Num igitur hoc mihi dicere potest? prius me agere tecum non oportet: secundo te loco ream detuli, secundo loco produxi ad magistratus. At quidquid secundum est, habeat aliquid prius necesse est: hæc natura ita sunt copulata, ut si cum adultero egi prius, tecum agam: si non egi, ago tecum prius, tamquam cum adultero jam egero. Reliquum est intueri, judices, voluntatem quoque reipublicæ, quæ fuit tempore illo, quo præmium dabat. Petit abolitionem vir fortis, ut opinor, sibi, nec potuit accipere, nisi quam petit: alioqui si hoc tempore suam abolitionem petisset, et tuam, primum omnium duo præmia petisset; ut, quantumlibet meritis ejus deberemus, nemo tamen passus esset duplici præmio unam honorari militiam. Tuam abolitionem quare ipsi concesserimus? nam abolitionis illi concedendæ ratio quædam fuit: etiam si peccavit, etiam si gravem uni fecit injuriam, redemit tamen virtute, redemit sanguine, redemit vulneribus. In te quid spectavit abolitio, quod vitiis tuis et cupiditate illum quoque bonum alioqui, ut apparuit, civem adulterum fecisti? Scio, judices, hactenus [2] pertinere actionem ad hodiernum judicium; nec quæ sum objecturus, quum mihi accusare permiseritis, hodie dicenda sunt. Quomodo deprehenderim, quo teste [3], relinquo: illud tantum, qualem hanc putetis esse feminam, quæ defendi noluit. Quamquam hoc jam prior ille confessus est, qui quum fortiter fecisset, quum recenti meritorum

connexionem, ut paullo post, *ita sunt copulata*. Schult.

1. *Prius agit. Prius egit.* Schult. et ita Obr.

2. *Hactenus. Non hactenus pertinere.* Schult.

3. *Quo teste.* Pro *quos testes.* Scn. Et ita Obrecht. et nos cum Bip. Ed.

Digitized by Google

gratia niteretur, plus tamen putavit apud vos valere virtutem, et religionem, et fidem vestram, sicut vere putavit. Hodierno igitur judicio apparebit, an illi abolitionem petere necesse fuerit. Non estis exhortandi mihi ad tuendam castitatem, civitati ante omnia necessariam: matrimoniis, etiamsi ego tacuerim, scitis contineri civitatem, his populos, his liberos et successionem patrimoniorum, et gradum hereditatum, his securitatem domesticam: quomodo enim peregrinabimur, quomodo ad colendos discedemus agros? quæ nobis securitas dabitur suscipientibus legationes publicas, euntibus in militiam, quum frequenter bella sint? potest vobis contingere, ut et præmium viro forti dederitis, et tamen adulterium vindicemus.

CCL.

Sortitio ignominiosorum.

QUI INJURIARUM DAMNATUS FUERIT, IGNOMINIOSUS SIT. IGNOMINIOSO NE QUA SIT ACTIO. Duo adolescentes invicem agere cœperunt. Sortiti sunt utrius judicium prius ageretur. Is, qui sorte vicerat, egit et damnavit injuriarum: damnato agere volenti præscribit.

SERMO.

Patronum necessarie dabimus. Nam etiam ut agere illi liceat, est tamen ignominiosus.

DECLAMATIO.

IGNOMINIOSO NE QUA SIT ACTIO. Si hodie primum

Digitized by Google

deferret, necesse habebat pati conditionem fortunæ suæ, nunc præscribendi tempus abiit: tum enim præscribere debuisti, si poteras, quum delatus es[1]: et in hoc ipsum præscribere, ne deferret: neque enim ulla præscriptio inchoata judicia peragi vetat, et inchoari aliquando prohibet. Actio isti, cui præscribis, data est: nec data solum, verum etiam inchoata. Invicem rei fuistis: quid enim? tu initium putas actionis, quum judices consederint, quum ad dicendum surrexerit orator? minime? hæc enim tu fecisti[2] felicitate actionis; et lex, quæ ignominioso non dedit actionem, hoc spectavit, ne omnino in causam educendi potestatem haberet, ne reum faciendi, ne in periculum perducendi: quæ si omnia jam facta sunt, tempus præscriptionis transiit. Accedit aliud, quod quærendum est, IGNOMINIOSO NE QUA ACTIO injuriarum earum, quæ factæ sint, postea quam ignominiosus esse cœpit. Fecit injuriam aliquis ei, fecit frustra ignominioso: videtur minus peccasse, quam si aliquem civem, cui integer status esset, læsisset: hunc contemptum utique noluit damnationis[3] lex esse, nisi post damnationem. Hoc autem, de quo quæritur, confitearis oporteat, actum esse ante damnationem: tam ignominioso noluit esse actionem, quam ignominiæ vindictam: ut si jus emendi auferretur damnato, manerent tamen ea, quæ emisset, antequam damnaretur. Ergo non tempore præscribis, nec perire ea causa potest, cujus origo ante damnationem est: hæc dicerem cuicumque et in quacumqne actione. Te-

1. *Delatus es: et in hoc. Delatus es, et in hoc;* et postea, *vetat, et si inchoari.* PITH.

2. *Hæc enim tu fecisti. Sic enim tu egisti.* SCH. — *Felicitate actionis.* Lege, *felicitate sortis,* vel *sortitionis.*

3. *Utique damnationis.* Lege, *utique damnatis.* GRON.

Digitized by Google

cum agere invicem cœpit, et agere cœpit injuriarum: quantopere autem voluerit hujuscemodi peragi judicia, legum lator ostendit, quum injuriarum damnatum ignominiosum esse voluit. Quare si apparuerit te malam causam habere, incipis rem iniquissimam postulare, ut, tales pœnas, quales præscribis, patiatur: nam si tam gravem rem et tam intolerabilem lex injuriarum putavit[1], ut ei, qui commisisset tale delictum, omne jus pœnæ auferret; quærendum de eo quoque est, quod etiam sorte factum est, ut prior ageres, non quia atrocius erat, quod querebaris. Quid porro? hac ipsa sorte non hoc quæsitum est, uter prior ageret? Jam hoc ergo, de quo contendimus, constitutum est: illa enim sorte duo judicia ordinata sunt: et tum, quum accusares, eras reus, et proximo loco reus. *Hæc ad jus, illa ad æquitatem*[2]: quid adeo justum, quam te damnari, si injuriam tum fecisti? non enim ignominioso fecisti, et fortasse per te stetit, ut injuriam hic quoque faceret: alioqui tu, si quam fiduciam haberes innocentiæ tuæ, nonne his ipsis, quibus excludis illum, confideres? quid times? accusabit te, neminem postea accusaturus: cæcidit te: fecit injuriam: confitebimur[3]: probabimus tamen istud jure accidisse. Quanta diffidentia in te causæ est, qui post ista trepidas? et in nobis quanta fiducia, qui post hanc infelicitatem, post hanc fortunam confidimus, dignos nos apud judices futuros, qui vindice-

1. *Lex injuriarum putavit.* Scribo: « Nam si tam gravem rem et « tam intolerabilem lex injuriam « putavit. » Gron. — *De eo quoque est. De te quoque quod.* Schult.

2. *Hæc ad jus, illa ad æquitatem.* Hujusmodi plerisque in locis Sermonis videntur esse, non Declamationis. Qua in re tamen vetus exemplar bona fide secuti sumus. Sequitur, *Quid adeo justum est*, sic enim lego. Pith. Vid. Declam. CCLIV; et ad Sermonem Declam. CCLXX.

3. *Confitebimur.* Francius legit, *confitemur.*

Digitized by Google

mur? Iniquissimum alioqui est tantum fortunæ sortis illius licuisse, ut hoc videatur quæsitum, uter ignominiosus esset.

CCLI.

Rapta sterilis repudiata.

INTRA QUINQUENNIUM NON PARIENTEM REPUDIARE LICEAT. INJUSTI REPUDII SIT ACTIO. Quidam uxorem, quam ex raptu habere cœperat secundum optionem, intra quinquennium non parientem dimisit: agit illa injusti repudii.

DECLAMATIO.

Injusti repudii accuso. Neminem adeo fore alienum a bonis moribus credo, qui dubitet parum istud injuste factum esse, quod quæ summum dederat beneficium vitæ, ne id quidem obtinuit apud maritum, quod præstitit. Itaque calumnia resistit et impugnat justum esse repudium, quod maritus jure aliquo fecerit. Ego porro non hanc interpretationem istius verbi video, ut jura spectanda sint, sed illud aliquando[1], uti justitia spectetur. Nam illud injustum repudium est, quod justitiæ contrarium est: verumtamen si ad illa revocemur jura, nihil tamen ad hanc pertinebit. Istam enim legem et hoc beneficium habeant fortasse ii, qui nuptias ex æquo fecerunt[2], qui tradentibus parentibus: ad eos vero, ut

1. *Sed illud aliquando. Sed plus aliquanto ut.* Seneca mire lib. III, de benef. cap. 7: *Legem* et *Justitiam humanitatis* et *misericordiæ* opponit. SCHULT.

2. *Nuptias ex æquo fecerunt.* Id est æquo jure, æquali conditione, ita Decl. CCCI: « Quam erecta ex « æquo cervix, » vid. ad Petron. cap. LXXIV.

Digitized by Google

quos necessitas pertinet nuptiarum, nihil ista lex: non magis enim repudiare licet, quam non nubere[1] liceret. Duas enim pœnas adversus raptores constituisse lex videtur, alteram mortis, alteram nuptiarum; leviorem hanc, et beneficio popiorem; et tamen illam non sine necessitate. Quod si lege non defenderis, profecto injustum divortium est: sed fingamus te lege [2]defendi: reliqua hæc sit quæstio, an facere debueris. Beneficium te accepisse summum manifestum est: vitam tibi dedit læsa, dedit vitam juste irata, dedit vitam perituro per supplicia, per dedecus: pro his nihil non præstari oporteret uxori: quid aliud exegit, quam ut uxor esset? At enim non pariebat intra quinquennium. Si tibi eam parentes collocassent, aut ipsa nubendi tempus elegisset, dicerem, non semper fecunditas properat? aliquando dilata veluti pleniores fructus reddit. Hæc vero et rapta est antequam destinaretur, antequam idonea nuptiis videretur, et habuit maritum in amores præcipitem, in cupiditates pronum: et quum invisa fuerit marito, potest videri quod non peperit, pudicitia[3], non sterilitate fecisse. Tu porro quidquid licet, statim putas esse faciendum: quidquid asperrimum leges, quidquid crudelissimum habent jura, occupas: voluisses animum talem fuisse puellæ illo tempore, quo ad genua jacebas? Hæc vero non tantum marito, sed etiam reipublicæ reddere plenam potest rationem: nam etiam si non habet filium, asservavit tamen juvenem, tamen hominem, tamen civem.

1. *Quam non nubere. Ducere.* dicendum foret. Schult.

2. *Fing. te lege. F. te tua l.* Sch.

3. *Pudicitia.* Quod minus, quam maritus, salax, et sedata cupidine prædita fuerit. Schult.

Digitized by Google

CCLII.

Parasitus raptor candidatæ[1].

INSCRIPTI MALEFICII SIT ACTIO. RAPTOR X MILLIA[2] SOLVAT. Pauperis et divitis filia sacerdotium petebant. Rumor erat, futurum ut pauperis filia sacerdos crearetur: rapuit eam parasitus divitis. X millia accepta a divite solvit e lege: accusat pauper divitem inscripti maleficii.

SERMO.

Pleræque controversiæ sub hac lege positæ duas quæstiones habent, ex ipsis earum verbis tractas: an inscriptum sit quod objicitur, et an maleficium sit, quod frequenter dixi[3], non semper utramque, quoniam fere ubi de inscripto constat, quæri solet de maleficio: si de maleficio convenit, in controversiam venit, an inscriptum sit. In hac controversia tertia quoque adjiciatur quæstio necesse est, quæ generalibus constat[4] duabus, an hujus maleficium sit, sed pro hac[5] media eximitur: non enim quæri potest an sit maleficium; neque enim in rerum naturam cadit, ut quisquam mortalium id maleficium neget, cujus pœnam solutam esse contendat: quæremus ergo an inscriptum sit, et an hujus maleficium sit.

1. *Candidatæ. Competitrix.* Decl. CCCLXX dicitur.

2. *Raptor X millia.* Ita apud Sulp. Victor. Inst. Orat. p. 261: « Qui virginem vitiaverit, det decem « millia. » SCHULT.

3. *Quod frequenter dixi.* An, *dicitur, non semper utrumque*, an, *qua de frequenter dixi, non semper de utraque*, an, *quæ* (vel *quod*) *frequenter, non semper utraque.* SCHULT.

4. *Quæ generalibus constat.* Lege, *quæ ex generalibus. Constat*, accipio, oritur: ut apud Plaut. Amph. act. I, scen. 1, vs. 78; Curt. X, cap. ult. §. 12; l. 194, ff. de reg. Jur. SCHULTING.

5. *Sed pro hac.* An *propter hanc?* SCHULT.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Inscripti maleficii agitur: quum maximam partem defensionis adversarius in hoc ducat, ut inscriptum esse maleficium neget, poterat brevi conditione decidi, ut diceret qua alia lege cum alio[1] consistere potuerim: nunc, callido et vetere, ac diu jam excogitato consilio, legem non ad reum refert, sed ad crimen, et tamquam ego nihil aliud, quam de amissa virginitate filiæ querar, recitat legem, quæ contra raptores scripta est. Ego autem, etiamsi cum ipso agerem, qui rapuerat, poteram tamen non contentus X millibus, quæ accepi, in argumentum inscripti maleficii lege agere etiam cum parasito. Lex enim, quæ X millia solvere raptorem pro ablata virginitate voluit, contra eos scripta est, qui nihil aliud egerunt: differunt autem hæc et personis, et temporibus, et locis. Nam ut pulsatus civis injuriarum aget, si magistratus erit, majestatis crimen[2] obligabitur: si legatus erit, bello vindicabitur et jure gentium[3]: et eadem pecunia sublata ex privato, furtum erit; ex sacrario temploque sacrilegium. Sic raptor ejus, quæ nihil aliud, quam virginitatem ultum ibit, X millia solvet: alia erit conditio ejus, qui rapuerit in comitiis, qui rapuerit eam, quæ sacerdotium petebat; immo, ne ingratus sim adversus beneficia populi, jam quantum in illo erat, acceperat. Longa ratio est[4], quoniam in argu-

1. *Cum alio consistere.* Lege, *cum illo.* Gron. Ita et conjecerat Schultingius, et recepit Obrecht.

2. *Majestatis crimen.* Leg. videtur, *crimine.* Pith. Barth. Advers. lib. X, c. 3; legit: « Majestatis obli- « gabitur, si legatus erit, crimen « bello vindicabitur. »

3. *Et jure gentium. Ex jure gentium.* Schul.

4. *Longa ratio est.* Id est, *longum est, ratio* pro *re*, deinde lege, *quanquam in argumentum, etc. loquar.* ut Declamatione 257: « Ne « argumenti quidem causa dicenda sunt. » Schult.

Digitized by Google

mentum tantummodo causæ hujus de injuria parasiti loquor. Tu autem mihi non debes recitare legem, quæ contra parasitum scripta est, cum quo non ago, sed contra te, qui inscripti maleficii reus es lege. Neque enim[1] hoc, quod, dicitur raptorem X millia e lege solvere oportere, ei solvis[2] qui dicat, Rapuisti; qui dicat, Raptorem summisisti; sed ei, qui dicat, Comitia turbasti; sed ei, qui dicat, Sacerdotium abstulisti. Hæc crimina, si quam aliam legem habent, tranfer sane actionem meam; si nullam eam habent, cur præscribis adversus majorum diligentiam et exquisita ingenia, quæ scripserunt[3]? Est igitur inscriptum. An maleficium sit, si modo ista, quæ objeci, vera sunt, neminem dubitaturum arbitror. Illud tamen et judicio non alienum, et affectibus meis necessarium est dicere, quantum maleficium sit. Diligentissime majores hanc videntur excogitasse legem, quod, quum scirent nullam tantam esse prudentiam, nullam immo tam certam divinationem, ut omnia quæcumque ingeniis malorum excogitari unquam potuissent, providentia caventium videret: hac lege omnem malitiam, veluti quadam indagine, cinxerunt, ut quidquid aliarum legum effugisset auxilium, quasi extrinsecus circumdaretur. Ego autem, judices, non de his, qui hanc legem conscripserunt, sed de ipsa rerum natura[4] queror? in ipsis inscripti

1. *Neque enim.* Lege: « Etenim « hoc quod dicit jus, raptorem, « etc. ei solvis qui dicat rapuisti, « non ei qui dicat, raptorem summisisti, nec ei qui dicat, comitia « turbasti, nec ei qui dicat, sacerdotium abstulisti. » SCHULT.

2. *Ei solvis qui dicat. Solves.* editiones aliæ.

3. *Quæ scripserunt.* Forte, *quæ jus scripserunt.* SCHULT.

4. *Rerum natura.* Non hic capi potest, ut vulgo solet, sed de conditione et natura criminum, quæ lege de inscriptis comprehenduntur, quod in omnium inscriptorum maleficiorum reos eadem fere pœna sit constituta. An legendum, *de*

Digitized by Google

maleficii reis nullum discrimen esse servatum. Summisit aliquis raptorem: inscriptum maleficium est: quid pœnæ adjicitur, quod adversus petitricem, quod adversus eam, quæ sacerdotium, ut dixi, jam prope acceperat? tantum etiam in ipsis suppliciis habiturus lucri, in compendio numeret, quod plus malefecit. Reliqua una quæstio est, an hoc, quod filiam meam rapuit, quod illo tempore, quod post illud populi judicium, credatis non a divite effectum. Nihil argumenti [1] ex moribus istius ducam, etiamsi qualis sit, quam dissolutus, quam luxuriosus ac perditus, argumenti satis vel uno argumento probari potuit: parasitum habuit. Inter hæc, ut opinor, posita est religionis vestræ cunctatio, judices, ut dispiciatis, utrum parasitus sua voluntate, an quoniam id diviti præstabat, rapuerat. Parasitus rapuit. Quid ais? tantum illi vacuit [2]? adeone saturitate apud te exundavit, ut vilia scorta non quæreret, qui omnibus contentus est? an solus oculos ad ingenuas et ad virgines, et aliquem etiam petentes honorem attolleret? Nunquam hercule tam felicem istam servitutem

ipsa legum natura, quod videtur requirere sequens *ipsis*. In legibus enim, non in natura rerum, nullum est discrimen servatum. Burm.

1. *Argumenti*. Et argumentum et initium hujus Declamationis desideratur: sed partim ex eo, quod reliquum est, partim ex argumento Declamationis CCCLXX, infra, et ex Seneca Controv. lib. II, 2, thema colligi et restitui potest hoc modo: « Sacerdos casta e castis, pura e « puris sit. Qui ingenuam stupra- « verit, det decem millia. Inscripti « maleficii sit actio. » Pauperis et divitis filiæ petebant sacerdotium: rumor erat pauperis filiam futuram sacerdotem. Eam parasitus sub diem mysteriorum, submissus a divite, rapuit. Dives pro parasito obtulit decem millia: inscripti maleficii reus est. De hac pœna decem millium Fabius noster Institutionum orat. lib. VII, cap. 4, §. 36. Ea primum lege Scatinia constituta est. Porro quid sit scriptum sive inscriptum maleficium, vide Decl. CCCXLIV. P. Ærodius. Cl. Schultingius legebat, *argumento satis vel uno probari potuit*.

2. *Vacuit*. Schultingio placebat, *placuit;* Francio et Pithœo, *vacavit*.

3.

Digitized by Google

esse crediderim, ut impetus ad illicitas libidines haberet. Hoc dico, hanc tantum vult rapere parasitus: age, non vultis adjiciam illud; unde manus illa, qua expugnati sumus? unde tantus ac tam prorsus[1] domus tuæ tumultus? unde denique solvit quod lege debetur? Si credibile est[2], quod opponitur, jam certe relictum est, ut ea parte fecerit. Et hanc tamen partem[3] excutiamus. Summisit raptorem: habuit enim causam: eumdem honorem virgines competebant; nostra filia summoveri aliter non poterat. Si incerta populi judicia, non professæ palam sententiæ essent, dicerem tanti tibi fuisse vel securitatem[4] vel indignationem. Nemo est tam arrogans sui æstimator, ut accessurus ad comitia, et periculum sortiturus humanitatis, non malit sine adversario esse: hæc de incertis judiciis dicerem. Quid si ad securitates[5] et indignationes accedit metus? manifestum erat non futuram sacerdotem filiam tuam. Forte argumentis hoc colligo: longa et difficili conjectura probandum puto. Loquutus est populus. Si alia quæcumque mihi fama defendenda foret, dicerem tamen, judices, rem esse miraculo similem, quod, quum pauci ad vos

1. *Ac tam prorsus. Protinus*, an, *ac statim prorsus?* Schult. Latinius legebat: *ac tum operosus.* Forte, *ac tum proprius tuæ d. tumultus.* — *Solvit.* Male Var. et Bip. *solvet.* Ed.

2. *Si credibile. Si incredibile.* Sch.

3. *Excutiamus.* Senec. Hercul. Fur. 580: «Veteres excutiunt reos.» Schult. Hinc demum Ærodius incipit declamationem, qui præcedentia ignorat.

4. *Tanti tibi fuisse vel securitatem.* Tanti, nempe decem millibus. Nam quum filia pauperis aliter submoveri non posset, quam jactura pudicitiæ, cujus decem millium legitima æstimatio est, dives tanti redemit aleam comitiorum, et indignationem, quod pauperis filiam videret anteferri. Ærodius.

5. *Quid si ad securitates.* Hæreo in his, antecedentia enim hæc confirmare videntur, et sensus tamen erui non potest. Forte, *quid si ad hæc e civitate et dedignationis accederet metus.* Civitas opposite ad judicia: ita mox *civitatis universæ consensus.* Schult.

Digitized by Google

testes producuntur, fidei vestræ jurisque[1] jurandi satis idonei auctores habentur :quoties vero civitatis universæ consensus, et omnes, qui intra hanc sedem sunt, unum aliquid certumque dixerint, rumor vocatur: in aliis fortasse falli ista possunt: utique verum dicit fama, quæ de se loquitur: quis enim loquebatur? populus: de qua re? quam facturus erat populus. Quum de comitiis consentiunt rumores, de se quisque dicit, hæc fiet[2]: hoc est dicere, hanc faciam: non est ista fama: comitia sunt. Neque est quod mirari, dives, aut indignari velis, in comitiis plus sæpe pauperes posse: non omnia possunt opes vestræ, neque in cunctis quæ humanam continent vitam, domina pecunia est. Latius possidebitis, et numerosiores familias vestras ignorabitis; magnam partem civitatis occupabunt domus vestræ; ingens pondus argenti perstringet oculos: sed hæc intra privatum valent: quum in publicum veneris et in campum, spectabitur innocentia, fides. Forsitan gratiæ quoque non parum nobis affert ipsa tenuitas: ubi tabellam pauperes ferunt, tum subit tacita quemque cogitatio superbiæ vestræ: tum omnium, quas singulis facitis, injuriarum. Attamen in cæteris (petentes magistratus dico atque provincias) possitis tribus emere, pecunia dispersa parare gratiam: ubi vero de sacerdotio quæritur; et judicium religio agit: illam populus spectat, illam intuetur, quæ semper futura sit virgo; quæ a cultu templorum, a sacris non recessura. Non vereor, ne ista videar præsentis gratia judicii dicere: sacerdotium filiæ meæ ante rumorem speravi. Sed cur ego diutius circa causam maleficii istius etiam moror? confessus est. An

1. *Jurisque jurandi. Jurique jurando.* SCHULT.

2. *Hæc fiet.* Scilicet sacerdos. Vide ad Inst. lib. V, 10. BURM.

Digitized by Google

diutius quæri potest, an maleficium sit, cujus pœnam solvat[1]; præmium operæ non clam neque secreto, quamquam ista quoque profecto facta sunt, sed palam apud magistratus in medio foro numeret? Vidimus decem millia, quæ parasito donasti: interrogo, quare? non est istud propter longæ servitutis officia, non illarum, quibus gratiam meruit, contumeliarum: decem millia dedisti, quod rapuisset: nisi deberes, summa indignatione etiam vindicare volueras: nam qui candidatam sacerdotii rapuit, nocuerat exemplo, et tibi. Igitur et inscriptum maleficium est adversus eum, cum quo agitur: et maleficium non solum confessum, sed etiam grave ex his apparet, et ex persona parasiti, qui nunquam ad tantam peccandi audaciam processisset sua sponte; et ex persona divitis, et ex causis, et ex numeratione pecuniæ; ex eventu denique, quis impulerit, quis coegerit. Superest, ut ostendam, non quid parasitus acceperit, sed quid dives ipse. Quæritis, quid iste X millibus emerit? videte filiam contra, sacerdotem[2], videte vittas, videte honores. Fortasse ego superbe faciam atque arroganter, qui tamquam privatam injuriam, tamquam maleficium adversus me commissum persequar: quota enim ego sum portio istius indignationis? perdidi sine dubio honorem, pretiosissimum pauperum censum: perdidi virginitatem filiæ meæ, et cui modo sacerdotium sperabam, difficile inventurus sum etiam maritum. Sed populus perdidit arbitrium dandi honoris: sed paullo

1. *Cujus pœnam solvat.* Lege, *cujus pœna soluta, et præmium operæ.* Schult. *Cujus præmium solvat, præmium operæ*, etc., ita distinguit Obrechtus. Francius, *cujus pœnam solvit.* Ærodius, *Cujus pœnam solvat*, et *præmium operæ.*

2. *Filiam contra sacerdotem. Filiam contra arbitrium populi sacerdotem*, Ærodius. Male: *contra* est pro isto pretio X millium, ut dicimus *auro contra carum.*

Digitized by Google

ante sacerdotem creavit, quam noluit. Ite nunc et excludite campo divites, et corrumpi sacra vetate, de ambitu leges conscribite: comitia nostra decem millibus rapta sunt[1] atque translata: quam sanctum istud sacerdotium fore putatis, quod stupro debetur?

CCLIII.

Tyrannicida volens dedi.

In duabus civitatibus[2] vicinis tyranni erant: in altera, quum quidam tyrannum occidisset, alter vicinæ civitatis tyrannus petit eum in deditionem, et bellum minatus est, nisi darent: fert ipse rogationem, ut dedatur.

DECLAMATIO.

Ut meo nomine sum vobis, Quirites, obligatus, quod quamquam necessarium et ad salutem pertinens civitatis remedium præsentis timoris, respectu tamen mei prætermisistis: ita ipsius reipublicæ nomine iras-

1. *Comitia rapta sunt.* Ita Decl. CCLXVIII: « Rapiunt malas cau- « sas. »

2. *In duabus civitatibus.* De hujuscemodi argumentis ita Institut. Orat. lib. VII, c. 1, §. 4: « Erat mihi « curæ in controversiis forensibus « nosse omnia quæ in causa versa- « rentur. Nam in schola certa sunt « et pauca, et ante declamationem « exponuntur quæ Ὑφέσεις Græci « vocant, Cicero, *proposita*. Præter « quæ nihil est diluendum, » ut alio loco ait auctor noster, lib. IV, c. 2, et c. 1, §. 3 et 4, quo fit, inquit, ut declamatores ea licentia utantur, ut eorum semper ita sit exordium: « Quasi causam judex jam « noverit, quod ante declamatio- « nem illa velut imago litis expo- « nitur. Sed in foro quoque con- « tingere istud principiorum genus « secundis actionibus potest. » Item lib. VII, cap. 2, §. 54: « Verum illa « scholarum consuetudo ituris in « forum potest nocere, quod omnia « quæ in themate non sunt, pro « nobis ducimus. » Æaon.

Digitized by Google

cor, neminem exstitisse priorem, qui pro salute communi me offendere auderet. Neque id satis est: sed invenio, qui adulentur, et ne a me quidem latam hanc rogationem existiment respectu mei recipiendam : cum quibus mihi consistere fortius, atque etiam, si ita res exigat, acerbius necesse est; quum in id quoque [1] periculum venire intelligam optionem meam, an hoc velim. Satis erat mihi dicere, rogationem fero utilem civitati: ista enim speciosa dictu, et vana quadam imagine honesti circumdata, non respiciunt præsentes necessitates. Si tantas vires haberet civitas, ut bella suscipere, ut frangere impetus tyranni posset, non tam diu servissemus, non illum cruentissimum dominum unus ex insidiis occidisset: atque ego, etiamsi plurimum esse civium in hac civitate spectarem, bene tamen redimi capite unius civis pacem putarem. Facile est ista in concionibus et consiliis dispicere dicendo. Jam si exercitus hostium intra fines nostros fuerit, si ardere villas, si frugifera succidi, si fugam rusticorum in urbem, si compulsa intra muros pecora viderimus, si mœnia oppugnabuntur, si turres quatientur, si ad delectum ab amplexu matrum juvenes rapientur, quam sero pœnitebit tam caro uni [2] pepercisse? Etsi quid tamen deforme habitura civitas fuerit, dedito, ut subinde dicitis, tyrannicida, id omne mea rogatione detractum est: omni pudore liberati estis: invitum non dedidissetis: quod ad vos pertinet, bellum suscipere maluistis. Sed hoc est præcipue, quare ego hanc ferre debeam rogationem: ego pro civitate tam grata, pro populo tali, non sub-

1. *Quoque periculum*. Id est dubium. Ita Terent. Adel. II, 2, dixit: « Et in periculum venire, et in du« bium. » Schult.

2. *Tam caro uni*. Sic vero Atilius Regulus, sic Sp. Postumius, sic C. Mancinus rogationem tulerunt, ut ipsi dederentur. Ærod.

Digitized by Google

ibo qualecunque periculum? Sed non solum reipublicæ, verum etiam mea interest hanc recipi rogationem : quem vultis enim ponite eventum : periculum mihi mortis est. Quid? ego non satis vixi? non enim annorum numero, nec spatio ætatis terminari certum est fortium virorum vitam, sed laude et fama, et perpetuæ posteritatis immortalitate. Ita dii faciant, ut magnum exemplum posteritati etiam pœna dare possim : satis videbitur mihi omnia facere[1] fortuna, ut tyrannicidium meum majus sit. Sed illud interim vereor, ne tyrannus ex me petat famam lenitatis : habet enim apud malos quoque multum auctoritatis virtus : et forsitan hoc ille ambitiose faciet, ut potestate contentus sit. Quidquid est, videat me et illa civitas vicina : multum illis servientibus prodero : videant quo vultu tyrannum feram, quam interritus tribunali assistam[2], quam me nihil minæ, nihil supplicia ipsa moveant : potest fieri, ut exhortetur illos hic animus meus. Vobis quidem custodire pacem, reddere quietem majus ipso tyrannicidio puto : nam si bellum imminet, si periculum universa civitas habet, quod illum, cujus nomine mihi gratias agitis, occidi, maximam vobis injuriam feci.

1. *Omnia facere. Omnino facere fortuna, et tyrannicidium meum majus fiet.* SCHULT.

2. *Tribunali assistam.* Edit. Bip. exhibet *tribunali ejus assistam*, nescio qua auctoritate, nempe omnes nostræ quas contulimus τὸ *ejus nesciunt*, ut credamus intrusum mendo esse operarum, velut infra Declamatione CCLIV, p. 45 fin. *hominum* loco τοῦ *hominem* oscitantes usurpavit. ED.

Digitized by Google

CCLIV.

Exsul accusator, et sententiæ pares.

EXSUL, QUI SECRETUM AD REMPUBLICAM PERTINENS INDICARE VOLUERIT, HABEAT IN CIVITATEM REDEUNDI POTESTATEM: ET SI INDICAVERIT, MANEAT IN CIVITATE. Exsul dixit se habere, quod de affectata tyrannide diceret: venit in civitatem: postulavit reum: is æquis sententiis absolutus est: fert quidam rogationem, ut maneat. CD. [1]

SERMO[2].

Potest venire in dubium, quo genere divisionis uti nos in hac controversia oporteat. Videtur enim quædam posse dicere etiam citrà rogationem advocatus hujus exsulis, per quæ jus manendi vindicet. Utrum ergo hæc, quæ citra rogationem quoque pro illo futura sint, dicemus ante principium; an statim post rogationem? Species eo ducit, ut quoniam et præcedant, et leviora videantur, et prima sint. Sed ratio diversum mihi suadere videtur: ideo quod necessaria nobis quæstio superabit, an hæc rogatio contra legem feratur: in cujus parte sint necesse est illa, quæcunque dicturi sumus, an videatur hic etiam alia lege

1. *CD.* Nota est contradictionis, ut apparet ex quibusdam argumentis sequentium Declamationum, tum ex Seneca, tum ex aliis declamationibus, quæ falso Quintiliano huic nostro tribuuntur. De contradictionibus confer. infra Declamat. CCCXXXVIII. ÆROD. Vid. Declam. CCXLIX.

2. *Sermo.* Sermo, qui ἀποστροφὴ dicitur in forensibus actionibus, est aversa a persona judicis oratio, vel ad coronam, vel patronum diversæ partis, vel ad ipsum adversarium. Quint. Inst. lib. IV, cap. 1, §. 63. In scholis vero est ἀποστροφὴ ad discipulos, qua fere semper ante Declamationem, post etiam sæpe, raro Quintilianus in medio utitur. ÆRODIUS.

Digitized by Google

remanere potuisse: an rogationem ferre oporteat ad singulos pertinentem, an contra legem: an hæc rogatio contra legem sit, an meruerit ille remanere.

DECLAMATIO.

Si aut minus verecundus esset is, quem rogatione mea retinere in civitate constitui, aut judicia felicius expertus; nihil concione, nihil conscripto meo, nihil denique opera rogationis opus esset: prima igitur carere hac invidia vel propter hoc possum, Quirites: nemo enim crediderit me rogatum ab eo ad vos processisse, qui ipse, ut remaneat, non laborat: verum ille quidem multas, atque utinam minus potentes, hujus propositi sui causas habeat: ego præter cætera, propter hoc quoque eum existimo esse retinendum, quod manifestum fecit, ad indicium tyranidis affectatæ venisse, non remanendi cupiditate. Quod nisi vetustissimum jus, Quirites, eos, qui secreta ad rempublicam pertinentia indicassent, remanere in civitate jussisset; forsitan dicendum mihi necessario existimarem, qua gratia hic pressus, quibus inimicitiis in exsilium esset actus. Sed quid necesse est repetere hæc, quæ videtis? et quod ad animum quidem illius pertinet, satis vobis est, ut existimo, probatus; quod quamquam damnatus, quamquam in exsilium actus, reipublicæ tamen non potuit irasci. Indicium professus est: viderimus an verum: interim tamen nihil eum finxisse manifestum est, quod persuaderi tam multis utique potuerit. Causam qua conditione dixerit damnatus, exsul, contra potentem, contra gratiosum, quid necesse est diu dicere, quando is exitus judicii fuit, ut non plures sententiæ pro adversario fuerint? non enim causa victus est, sed legibus,

Digitized by Google

sed publica humanitate: quæ quidem ipsa me in hoc exhortata est, ut rogationem ad vos de retinendo cive ferrem in civitate tam misericorde. Negant rogationem esse recipiendam, quæ ad singulos homines [1] pertineat. Ego porro hoc in eo jure, quod perpetuum, et in omnia tempora scribitur, existimo esso servandum. Potest enim dici mihi, in honorem hominis unius obligabis tempora futura, et omnes eadem necessitate constringes. Itaque quoties ad præsens tantummodo tempus rogatio fertur, ne ferri quidem, nisi de singulis, potest. Quod si hanc tollimus consuetudinem, nec duces ad exercitus ducemus [2], nec provincias decernemus, nec imperia prorogabimus: omnia enim ista rogationibus ad singulos pertinentibus consummantur. At enim contra legem rogatio est: si confiterer, dicerem tamen non ferendæ rogationis esse causam, ubi lex est. Quid enim necesse est convocari tribus, contrahi populum, si idem effici jure vetere, et jam olim constituto potest? Igitur si rogatio supervacua, ubi lex [3] non est, non fere

1. *Quæ ad singulos homines pertineat.* Fuit enim lex XII, *ne privilegium irrogator.* Cæterum interversum ordinem in hoc loco esse arbitror, ut alias plerumque. Igitur subjungo: *Potest enim dici mihi, In ho. ho. v. obli. te. f. et o. ea. ne constringes. Ego porro hoc in eo j. q. p. et in o. t. scr. ex. e. servandum. At quoties*, etc. Ær.

2. *Ad exercitus ducemus.* An, *delegemus.* Schult. An, *dicemus*, ut dictator *dici* solebat. *Duces* autem *ad exercitus* dictum, ut *milites ad naves*, et similia: vid. Gronov. ad Liv. XXII, 14.

3. *Supervacua, ubi lex.* Corruptissimus erat hic locus, et tamen adhuc obscurus: sensus est, meo quidem judicio: Lex est quæ vetat rogationem recipiendam, quæ ad singulos homines pertineat. Item lex alia, quæ permittit exsulem manere in civitate, ita si indicaverit. Dicitur hæc rogatio contra legem, tum quia reum non condemnaverit, et ut æqua tulerit suffragia, si ideo manere eum oportet, ad id contra legem privilegio opus est. Respondet patronus exsulis, atque ita refert. Si confiterer, in hoc genere, quum reus paribus sententiis absolvitur, exsulem indicasse non vidéri, atque adeo rogationem hanc contra legem esse; omnis igitur aut supervacua sit necesse est, aut

Digitized by Google

poterit ferri nisi contra alicujus voluntatem: et hoc tamen apud quos dicit? video enim præscriptionem excludi posse judicio. At in rebus parvis ac periculosis, ista judex recipiat. Cæterum quidem quoties de jure populi agitur apud populum, cui mutare, cui abrogare, cui ferre quas velit leges, accipere quas velit rogationes liceat, nunquam se ipse diminuet. Quomodo tamen rogatio ista contra legem et contra commodum suum, contraque eam, quæ hunc in exsilium misit: non jure novo, sed vetere atque olim constituto reversus est, manere etiam citra hanc rogationem potest? De quo priusquam loquar, necessario illud, quod ab adversariis frequentissime objectum est, depellendum videtur. Cur enim, inquiunt, si remanere suo jure poterat, exspectavit rogationem? Ut verecundia ei adeo nihil apud vos prosit, ut etiam in causa plurimum noceat: ante omnia non miror hominem judicia toties infeliciter expertum, tot in civitate inimicos habentem, nihil tentasse

contraria legibus. Supervacua, si lex est de ea ipsa re, de qua rogatur populus. Si lex non est, hoc ipso alicui legi contraria, quia privilegium irrogatur. Sed hæc rogatio nec supervacua est, licet lex scripta sit, ut docebit paulo post: nec ei legi contraria, quæ rogationem ad singulos pertinentem recipi vetat, quia ad præsens tempus tantummodo fertur, non ut ad exemplum trahatur, et legis perpetuæ loco sit: quod utrumque rogationis appellatione contineri, vel ex ipso Gellio, X, 20, manifestum est. Et hoc tamen vel supervacuam, vel alicui legi contrariam rogationem esse, apud quos hic dicitur? Ita enim fortassis si lis esset coram judice, qui præscripta a prætore formula judicat, exsul tamquam præscriptione et exceptione submoveri posset, *Si non tua rogatio supervacua aut legi contraria est.* Sed quum de jure populi apud populum agatur, nunquam se ipse ita diminuet, hoc est, nunquam feret, ut præscriptione solvatur hoc judicium et translationibus minuatur ejus auctoritas: vel (si placet hoc ad exsulem referre) nunquam adeo de jure suo decedet, ut non secundum legem esse hanc rogationem omnino affirmet, minimeque superfluam: nemo enim tam demens fuerit (inquit Fabius) ut id quod firmissimum duxerit se habere, remittat et ad leviora transcendat. Ærod.

Digitized by Google

privatim: litigavit innocens reus, damnatus est: detulit affectatæ tyrannidis reum, ut pars judicum putat, manifestum: impedimento publicæ humanitatis victus est. Hodie contra rogationem, contra jus vestrum, contra potestatem populi pugnabit? Ille tamen mihi alias et, ut dixi, graviores in exsilium abeundi causas videtur habuisse: absolutus est quidem reus: sed innocentem se esse accusatori nondum persuasit. Ego vero non miror, quod hic timet adhuc civitatem [1], quod vult impendentem quamdam omnibus nobis ruinam suffugere; et evitare, quod prævidit periculum, cupit: sed tanto magis retinendus est. Putemus alioqui citra rogationem, talem institutam esse legem, qualis esset, si hic in civitate remanere vellet. Lex quid dicit? *Qui secretum ad rempublicam pertinens indicare voluerit, habeat remanendi potestatem.* Nemo [2] dubitabit an indicaverit; verba igitur legis pro nobis omnia: sed ad interpretationem voluntatis vocamur: nec enim scriptum putant esse, nisi quod certum approbatum sit: negant indicari, nisi id, de quo non dubitetur. Ego autem existimo, legum latori non defuisse eloquendi facultatem, ut approbatis demum his quæ detulisset, remanere in civitate exsulem vellet: id ipsum plane aperteque dicere non contentum puto esse legum latorem: voluntatem [3] ejus retinuit. Satis est igitur, ut nihil finxerit, nihil cupiditate revertendi mentitus sit, nihil denique ideo fecerit, ut remaneret. Vos quid dicitis? mentitum eum vultis? interrogemus partem judicum.

1. *Quod hic timet adhuc civitatem.* Lege: *quod hic timet adhuc civitati.* Id est, pro civitate. Gron. *Quod hic timeat huic civitati.* Ærodius, qui in margine, *timet: at hic civitatem quod velut impendentem.*

2. *Dubitabit. Dubitat.* Ærod. qui in marg. *dubitatu an dicaverit.*

3. *Voluntatem.* Alii *voluntatem enim intuetur.*

Digitized by Google

Non accuso nunc reum: evasit, absolutus est: habet beneficium legis: illud tamen contentus sum dicere, fuisse aliqua, quibus judex moveretur, illa quæ moverunt judicum partem, illa quæ tot tristes sententias effecerunt. Jam ergo animum dignum habeo[1] emendatione fortunæ: quum affectari tyrannidem putaret (sic enim loquamur) non dissimulavit: non ultionem putavit[2]: non, quum ipse patriam perdidisset, invidit, sed venit in civitatem, et suscepit gravissimum laborem, et novas inimicitias, et recentem æmulationem: non excepit divitem ab indice fortuna. Hæc ego dicerem, etiam si victus judicio esset: nunc fortiter hoc possum contendere, quod fuisse dicitis eum causa inferiorem. Quid est igitur? lex jubet[3] eos absolvi, qui pares sententias tulerint. Imputabitis istud publicæ misericordiæ, imputabitis humanitati: non ego arguo hanc legem, sed dico esse communem. Eodem enim tempore non id modo quæsitum est, an affectatæ tyrannidis reum damnari oporteret; sed illud etiam, an hunc remanere in civitate oporteret. Quod si pares sententiæ periculo prosunt, pro utroque sunt; an vero affectatæ tyrannidis reus absolvatur, quoniam non plures pro accusatore, quam pro reo sententiæ fuere; hic qui periculi, qui exsilii vel eamdem, vel utique graviorem pœnam, experiretur, non eamdem experiretur legis humanitatem? Hæc de jure[4], hæc de rogatione: illa jam de æquitate. Dignum esse existimo, qui maneat in civitate: pericula nostra tentavit, servitutem reipublicæ

1. *Dignum habeo. Habet* vel *habetis.* Schult. *Dignum habet commendatione*, Ærod. marg.

2. *Non ultionem putavit.* Nempe in patriæ oppressæ servitio. Al. *Optavit.* Lege, *paravit.* Gronov. *Optavit*, Ærodius.

3. *Lex jubet.* Vid. Senec. Ep. 82.

4. *Hæc de jure.* Et hæc sermonis propria sunt. Pith.

Digitized by Google

discutere, quantum in ipso erat, voluit. Nescio an plus debeamus, si ad indicium non certis argumentis perductus sit: nam si manifesta detulisset; si ea, de quibus dubitare nemo nostrum posset, crederetur cupiditate manendi in civitate fecisse. Solam pietatem in causa indicii habuit, qui in urbem detulit litem, et litem injustam[1] conditione: ex altera parte solus, et exsul, damnatus; ex altera parte homo potens, gratiosus. Omnes ista diligenter perpendite: intelligetis non esse sententias pares. Quid est igitur? ego etiam pro ipso, qui absolutus est, reo, existimo esse manere hunc in civitate? Illud dicere pro republica satis erat, habemus in civitate custodem. Inquirit adhuc: forsitan omnia tam videre non potuit exsul, non omnia tam clare perspicere: hoc visuri[2] pro opinione ejus, qui absolutus est, non timebitur, quamdiu hic fuerit in civitate. Immo hercule si mentitus est, si fictum detulit crimen; satis alioqui daturus est pœnarum inter inimicos potentes, et inimicos gratiosos.

SERMO.

Totam autem existimo commodiorem esse partem diversam: suadeo his, qui dicturi sunt, in illam potius incumbant.

1. *Injustam. Injusta conditione*, id est, *gravi*; ut *injustus fascis*, Virgil. Georg. III, 347. SCHULT.

2. *Hoc visuri. Hoc usuri. Porro oppressiones ejus, q. a. e. non timebitis, q. h.*, etc. SCHULT.

Digitized by Google

CCLV.

Transfugæ excludendi.

Inter duas civitates bellum erat: in alteram multi transfugæ veniebant: fert quidam legem, ne recipiantur.

SERMO.

Proxime ad suasorias accedit hoc genus: nam et suasoriarum, et legis suasio et dissuasio est. Ergo dicet is, qui legem feret, non esse honestum recipere transfugas, nihil prodesse: forsitan ad finem belli [1]. Summum illud, propter quod lex fertur, periculosum esse.

DECLAMATIO.

Etiamsi non esset in eo statu bellum, ut honesta cogitare vacaret: vel cum periculo tamen, optima et ad famam itura fecisse, fortasse honestius foret, quam ut obstare utilitas videretur: nunc minus laudis, immo plus tamen securitatis est, honesta facere. Nemo igitur dubitaverit turpissimos esse, qui transfugerint. Spectemus enim rem ipsam, neque eo decipiamur, quod utile videtur: hostis est, qui facit: aliter constituamus, quam ut intelligamus [2] potuisse hoc et nostros facere. Nunquam prodest malum exemplum: etiamsi in præsenti occasione quadam delectat, in futurum tamen altius nocet. Proximos existimo esse eos tranfugis, a quibus transfugæ

1. *Ad finem belli. Ad f. b. recipiendos.* Ærod.

2. *Quam ut intelligamus. Constituamus causam, ut et intelligamus.* Schult.—*Occasione quadam.* Francius malebat *quiddam.*

Digitized by Google

recipiantur: hoc natura simile est, facere scelus, et probare. An, si quis nostrum transfugisset, non ipsum modo pessimum civem et omnibus suppliciis dignum judicaretis; sed infamia etiam[1], si qui receperunt, et velut auctores scelerum, velut magistros turpitudinis colligeretis: idem non reflectemus in nos? tandem utilitate ducti, in auxiliis habituri sumus, quos recipiemus? Fingamus eam civitatis esse fortunam, ut auxiliis opus sit: hos in auxiliis[2]? scilicet qui quum ex altera parte intuerentur patriam, et memoriam pueritiæ, et necessitudines omnes, ad fortunam tamen inclinaverunt, proniore pro nobis sacramento, fortiore animo stabunt? (Transfugas non esse[3] recipiendos.) Adeo facilius est in istis scelus deprehendere, quam pœnitentiam: inutile ergo militum genus, nobis minime necessarium. Quippe etiam hi, qui recipiendos esse transfugas, hoc dicunt, in superiore esse loco nostram civitatem: neque enim amore nostri, sed metu imminentis fortunæ transfugiunt. An facilius depositurus propositum bellandi hostes putamus, si plures transfugerint? minime: nam hi, qui bellum gerere contra nos non audent, si locum in civitate nostra non habuerint, sæpe deponendi belli auctores erunt; nunc in privatum sibi singuli consulunt: est magnum in singulis momentum:

1. *Sed infamia etiam.* Lege; *sed infames etiam.* Gronov. Sed quid est *infames colligere*, aut *infamia?* an ut *argumentis colligere*, Decl. CCLII, ita infamia? mallem, *sed infamia etiam, si qui receperunt, velut a. s. v. m. t. corrigeretis.* Non modo judicaretis pessimum, sed notaretis infamia, mox lego, *idem non reflectemus in nos, qui tandem*, etc. Cl. Schultingius volebat, *idem reflectemus in nos, si tandem u. d. i. a. h. s. q. recipimus.* Ærod. *Etiam si qui receperunt eos velut a. s. v. m. t. colligaretis. Idem ne.* In margine *etiam quasi.* Burm.

2. *Hos in auxiliis. Quo hos in auxiliis?* de qua particula *quo* vid. Gronov. ad Senec. controv. Schult.

3. *Transfugas non esse. Transfugas dico non* (vel *nego*) *recipiendos.* Schult.

Digitized by Google

ac si præclusa hæc fuerit spes, quod singuli faciunt, universi suadebunt. Hæc dicerem, etiam si nihil ex istis metus esset: nunc vero non possum non confiteri sollicitudinem meam; quoties oculos circumtuli, et singulas castrorum metior[1] partes, non aliter quam si vallum hostis invaserit, alienos habitus, aliena arma video: versantur inter domos nostras, inter templa, inter muros, in mediis reipublicæ visceribus. An aliquid mali velint facere, postea videro; interim possunt. Ego istud credidi scelus[2] quum a singulis spes est, quum a paucis spes est: quum a plurimis jam consensi. Novum hercule genus artis: supervacuum est cuniculos fodere, et per occultos specus ingenti labore exhaustis terris, in mediam subito emergere civitatem: supervacuum est redimere proditorem, et scelus pecunia pacisci. Videntes palam, immo gaudentes etiam, accepimus intra viscera hostem: vos æstimabitis, an suspectum debeatis habere, quod ad tantum numerum per singulos pervenerunt: nemo illos recepisset, si universi venissent. Omnesne hi desperaverunt? omnesne consulere[3] ac prospicere voluerunt? adeone facilius est transfugere, quam cadere? Omnes hi reliquerunt in civitate conjuges in ludibrium ac contumeliam eorum, qui se a scelere maximo ulcisci velint: [4]manifestiore

1. *Metior.* Scil. oculis, ut Lucan. VI, 32: « Metitur terras oculis. »

2. *Credidi scelus.* An, *ergo istud non creditis scelus*, vel *credidi scelus, non quum a singulis suspiciones, non quum a paucis spes est, sed quum a plurimis jam consensum.* Sch. Locus depravatissimus.

3. *Omnesne consulere. Omnesne sibi consulere.* Schult.

4. *Manifestiore. Manifestiorem quamdam conjecturam capere possumus*, scil. de his transfugis: homines sunt nihili, cæteroquin manifestis conjecturis colligeremus, num minus jam animi hostibus esset. Schult. Ut *conjecturam capere*, ita et *conjectura capere* recti dici potest: ita *conjectura percipere*, Cicero, pro Milone, 9. Vel *perspi-*

Digitized by Google

quadam conjectura capere possumus: num minus animi sine his, num minus pertinaciæ desertis? Age sane, hoc non cogitatis, quod nec publica retinere jura tanti putant. Miratur aliquis timere me hostes, quod isti transfugiunt? illi me non timent. Caveamus, obsecro, dum plures sumus.

CCLVI.

Furiosus trium filiorum pater.

Qui tres filios habebat, duos per furorem occidit; a tertio sanatus, abdicat eum.

DECLAMATIO.

Poteram etiam si non irascerer, abdicare, tamquam bonus pater. Omnia de fortuna mea timeo, omnia de tam fragili, ac tam mutabili mente: et propter hoc dimittendus mihi a domo filius erat, ne incideret in meum furorem. Sed quatenus et causas quoque abdicationis interrogor, id est, quod cogit me frequentius

cere, ut alii codices. Quare legerem, *omnes hi, si reliquerunt, etc., manifestiore quadam conjectura capere possumus non minus animi sine his, non minus pertinaciæ desertis fore*. Si hi transfugæ reliquerunt uxores stuprandas ab illis, qui volunt scelus transfugarum illa contumelia ulcisci, inde conjicere possumus, non minus animi fore hostibus, ad se tuendos, ne, si nostra opera civitas expugnata fuerit, transfugæ vindicent acerrime contumeliam illam ipsis factam in uxorum stupris et adulteriis. Desperatius pugnabunt deserti a transfugis, postquam uxores ludibrio habuerunt, quia metuunt ne transfugæ, nobis victoribus, ulciscantur contumeliam. Debent autem conjungi, *reliquerunt conjuges in ludibrium eorum*, id est, hostium, qui se eo modo ulcisci velint a scelere transfugarum. Burm.

Digitized by Google

malorum meorum meminisse: quamquam inter præcipua, propter quæ abdicem, hoc est, quod mihi ista narranda sunt; dicam tamen: imputo filio meo orbitatem. Respondebit: non ego occidi. Scio, mea manu factum est: ipse ego pater, qui genueram, qui educaveram, per viscera liberorum ferrum exegi: credo enim tibi, et orbitatem tamen tibi imputo, tibi æstimo illam ex die mei doloris [1]. Quædam ignorare simile non passi est [2]: tunc liberos perdidi, quum perdidisse me sensi. Esto, gravem sine dubio manibus meis injuriam fortuna fecerat: posuerat tamen hujus rei in ipso animo remedium illo tempore, quo furere et agi dementia videbar: frequentius in ea cogitatione eram, ut crederem esse cum liberis omnibus. Abstulisti mihi ignorantiam malorum. Quanto miserabilior fui ex die tuæ sanitatis? furiosum me non sic cecidi: tum lacerare vestes, tum verberare vultus meos cœpi. Omnia igitur hæc non in aliam vim accipi debent, quam si filios meos ipse occidisses, quam si ipse abstulisses. Unde tantum boni [3], ut reddere possis illam valetudinem, illum furorem? Quod unum possum præstare

1. *Illam ex die mei doloris.* Vet. *ex meæ sanitatis.* Pith. Hanc notam pertinere puto ad seq. ex *die tuæ sanitatis*, hic vero forte, *tibi æstimo me illam debere ex die mei doloris*, ab eo tempore, quo a te sanatus a furore, cœpi scire et sentire orbitatem, æstimo me illam debere tibi: vel *tibi imputo, quia æstimo illam ex die mei doloris.* An *æstimare* hic posset sumi ut in Lucano explicat Gronovius Observatt. I, 6. Burm.

2. *Non passi estis. Non passis est*, Obrecht. *Non passi est*, editiones aliæ: et recte. Qui ignorat dolorem, similis est illi, qui non patitur. Adscripserat margini Schultingius Senec. Herc. Fur. 1097: « Solus te « jam præstare potest Furor insonte. » Marg. Ærodii al. *Quædam ignorare, haud fecisse simile non passi estis.*

3. *Unde tantum boni.* Inst. lib. I, c. 6, §. 54: « Unde enim tantum boni, « ut pluribus, quæ recta sunt, placeant. » Schult. *Unde tantum boni reddere possis*, Ærod.

Digitized by Google

infelicissimis illis juvenibus meis, præstabo; ne quis eorum morte gaudeat, ne cui prosit, quod filios meos occidi.

CCLVII.

Nuptiæ inter inimicorum filios.

Qui habebat filium, et divitem inimicum, captus a piratis scripsit filio de redemptione. Ille quum pecuniam non haberet, offerente divite filiam suam, duxit eam in matrimonium, et pecunia redemit patrem. Reversus ille, imperat ut dimittat: nolentem abdicat.

DECLAMATIO.

Si ab alio redemptus esset pater, statim ut rediisset a gravissima fortuna, et abdicare me instituisset, dicerem tamen, quid intra tam breve tempus commisi? quid tam scelerate a me factum est, ut ira patris præcederet ipsam gratulationem? Nunc certum habeo indigna quædam exspectare vos facinora, quum abdicetur filius, qui redemit: est sine dubio istud non meum beneficium, et omne redempti patris munus ad socerum redit. Ego tamen navigavi: ego periculosa maria ingressus sum[1], ut redimerem patrem, quemadmodum ipsum dicere audistis: quædam etiam non facienda passus sum. Quæ ei ratio abdicationis est? non obsequeris[2], inquit, mihi. Si hoc ad abdicandum satis esset,

1. *Ingressus sum.* Vid. ad Declamationem VI, 21.

2. *Non obsequeris, inquit, mihi.* Lex enim est, *minus dicto audientem filium liceat abdicare.* Quintil. Instit. Orat. lib. VII, c. 1, §. 21, sed

Digitized by Google

supervacua erant omnia judicia ipsa: cur enim nobis defensionis potestatem dedistis, si nihil nostris consiliis libertatis relictum est? Servi mehercule quædam liberius ex bona mente faciunt; et aliquando indicium fidei putant pretio empta mancipia, non paruisse. Filios vero quis dubitavit unquam esse plerumque suæ potestatis? ut ea præteream, quæ sub tam bono patre, ne argumenti quidem causa, referenda sunt: nec dicam, non coges templa incendere, non coges operibus publicis manus afferre; (leviora certe nostræ mediocritatis esse manifestum est) ut sententiam judices dicere velimus, ut testimonium non ad arbitrium parentum reddere, immo suadere [1], quod animus dictaverit. Quod si licet aliquando etiam contra patris voluntatem, ea, quæ alioqui reprehensionem non merentur, filio facere: nusquam tamen libertas tam necessaria, quam in matrimonio est. Et hoc dicerem, si quæreretur hoc judicio, an mihi aliqua ducenda esset. Ego eligam, cum qua victurus sum: ego comitem laborum, sollicitudinum, curarum ipse perpendam: quis enim amare alieno animo potest? Nunc vero firmius hoc esse atque facilius cœpit: uxorem jam duxi, non dico quare, meo impulsu, mea voluntate: eripuerat enim te mihi fortuna [2], dederatque mihi illam miseram libertatem. Re-

abdicabis, inquit, non quicunque voluntati tuæ non paruerit. Nos de hac re alio loco. Ærod.

1. *Immo suadere.* Nam si quid cum populo agatur, et ubi quid pro republica consulendum, filio licet a patre in aliam ire sententiam: sed vel merito contradicendi tanta reverentia est, ut prudentissime nostris sit olim, ut aliorum legibus constitutum (de quibus Arist. Polit. lib. V, cap. 6) ne simul pater et filius magistratum adipiscerentur. Ærod. qui in margine habet, *ideo suadere.*

2. *Eripuerat enim te mihi fortuna.* Ait captivitatem patris interim sibi libertatem attulisse, ut quam uxorem vellet, duceret. Nam jure civili certum est, dum pater habetur in potestate hostium, aut ubi sit ignoratur, filium sine consensu pa-

Digitized by Google

pudium igitur imperas, et copulatos jam diu diducis animos: neque enim in hoc tu spectaveris, quod cum uxore mea non diu vixi: sine dubio secundum nuptias profectus sum; continuo me peregrinatio excepit: et vel hoc ipso iniquius est repudiari eam, quæ certe non potuit offendere. Descendamus sane ad hanc quoque necessitatem [1], ut imperante patre, etiam repudium filius debeat pati; quid de ipsa, quam repudiari vis, querar? sane pater fuerit inimicus; cur hæc nurus esse desinat, quam nihil peccasse tu quoque confiteris, qui expellis? Negas idoneam esse matrimonio meo locupletem. Quam vereor, ne cui videatur pater sic inimicus diviti esse cœpisse: non enim fortuna in utramlibet partem intuenda est. An vero apud me noceat puellæ, quod dives est; quum apud patrem illius non nocuerit mihi, quod pauper sum? Dives est: numquid ergo hoc dicere potes; superbior erit, et fastidiet? se-

tris, nuptias potuisse contrahere. l. si filius ejus ff. de ritu nupt. l. in bello §. medio ff. de captivis. Sed Julianus addit exceptionem, si eam filius ducat, cujus conditionem certum sit patrem non repudiaturum: in quo versatur hæc controversia. Ærod.

1. *Descendamus ad hanc necessitatem.* Hoc est, demus vel filii aut filiæ seu repudium, seu divortium in potestate patris esse, contra id quod jure et ex æquo, et bono receptum est: quid de ipsa, etc. Paulus, lib. V sentent. tit. de Interd. « Bene concordans matrimonium « separari a patre divus Pius pro- « hibuit. » Ulpian. tit. de liber. exhib. lib. I: « Si quis filiam suam, « quæ mihi nupta est, velit abdu- « cere, vel exhiberi sibi desideret: « an adversus interdictum exceptio « danda sit, si forte pater concor- « dans matrimonium, et forte libe- « ris subnixum velit dissolvere? Et « certo jure utimur, ne bene con- « cordantia matrimonia jure patriæ « potestatis turbentur. Quod tamen « sic erit adhibendum, ut patri « persuadeatur (ut in hac Decl.) « ne acerbe patriam potestatem « exerceat. » Vulgaris est hic locus apud nostros juris auctores. l. quum hic status, §. si socer. ff. de donat. inter. vir. l. cum te. C. de inoff. test. l. filiæ. l. dissentientis. C. de repudiis. Ærod. Qui et Brissonio videri, legendum esse *descendamus*, notavit: ipse edidit, *defendamus*.

Digitized by Google

curus sis, pater: petiti sumus, empti sumus[1]. At inimicus, inquis, fuit. Volo adhuc sic loqui, tamquam odia utraque parte durent. Non oportet immortales esse inimicitias: et ita demum tutum perpetuumque esse humanum genus, si amor ac fides nullam habuerint oblivionem: ea rursus, quæ aliquo incommodo commutantur, brevi morte deficiant. Sed non est diu mihi in hac parte commorandum, quæ certe satis potens apud divitem fuerat. Inimici nomen habuerit aliquando: nec quæro, quam immerito, nec quæro, quam injuste; modo redire in gratiam cum eo potuerim. Sed hoc solum reprehendit, quod se absente omiserim cum divite inimicitias. Ita opinor, feci hoc contemptu patris, feci vilitate: restitui nos in integrum putate, judices. Captus est pater meus a piratis, vincla et ultimos metus patitur, et ea, quibus gravius id tantum est, quod imminet: hoc scio, hoc ipsius epistolis cognovi: hinc redimi non potest: duram putate conditionem poni, nonne subeunda est? Si piratæ hoc mihi pollicerentur, ut vicarias pro patre manus acciperem[2], non recusarem catenas: si obligarer fœnore, æs alienum tamen non renuissem, ut redimerem patrem. Duxi puellam honestam, locupletem: ego tamen, si ulla mihi dicenti fides est, non hoc in ista conditione spectavi. Ille me movit, ut beneficiis vinceremur: sed neque in me ille probavit aliud, quam pietatem: vidit fletus meos, vidit totius animi atque

1. *Petiti sumus, empti sumus.* Petiti a divite, et ideo empti: nam petere vel rogare, satis emere est. Genus item erat nuptiarum quod coemptione fieret: et eo fortassis alludit. Ærodius. Sic adulans Augusto Virgil. Georg. I, 31: « Teque « sibi generum Tethys emat omni- « bus undis: » ubi de nuptiis per coemptionem agit Servius, et alii.

2. *Manus acciperem.* Francius, *exhiberem*, vel *porrigerem* malebat. Forte, *manicas*, id est, vincula scripserit. — *Renuissem.* Ed. Leid. Var. *tenuissem*; male. *Timuissem*, Par. Ærod. Bip. Ed.

Digitized by Google

etiam corporis defectionem : sic homini, inter principes nostræ civitatis numerando, cœpi bona esse [1] conditio. Itaque intelligo mihi, judices, non in hoc tantum laborandum, ut iram patris mitigem, ut leniam : illud est partium mearum; illud vobis adhibitis rogo, in gratiam velit redire jam cum propinquo meo, cum redemptore suo : non enim jactabo meam pietatem : illius opus est, quod redemi.

CCLVIII.

Fortis contumax patri forti.

SI DUO AUT PLURES FORTITER FECERINT, DE PRÆMIO ARMIS CONTENDANT, VIR FORTIS OPTET QUOD VOLET. Pater et filius fortiter fecerunt : petit pater a filio, ut cederet sibi præmio : non impetravit : cessit ipse, et abdicat.

DECLAMATIO [2].

Etiamsi dissimulari posset, quæ causa patri fuisset : ipsum tamen hoc abdicatione dignum erat, aliquid petenti negasse : quantum enim mihi præstare poterat, ut paria redderet? Non jam imputo illa vulgaria, lucem et jus libertatis, et usum vitæ : hoc imputo : quod fortiter fecisti, roboris et corporis mei [3], meum est : ani-

1. *Bona esse conditio.* Martial. V, 17, v. 2 : « Si tibi noster eques sordida « conditio est. » Vid. Gronov. Obs. I, 6, et ad Senec. de Benef. 9. Unde probatur lectio Palatini codicis apud Suet. Cæs. 27 : « Octaviam « sororis suæ neptem, conditionem « ei detulit. » BURM.

2. Huic Declamationi respondet illa apud Senecam, lib. X, Decl. 2; et lib. VI, Contr. 31, ubi pars filii potissimum tractatur ; patris, tractatam esse ait a Labieno. Quintiliani non meminit, cum quo inimicitias exercuit. ÆROD.

3. *Roboris et corporis mei. Quod*

Digitized by Google

mus iste ad contemnendum pericula paratus, ex meo fluxit: ego te diu præceptis feci virum fortem, proxime quidem etiam exemplo. Quantumcunque sit istud, quod peto, non indicare satis est, non desiderium pervenire in notitiam tuam sufficit, nisi preces adhibuero? nisi auctoritatem paternam summisero? multum peccaveras, etiamsi præstitisses. Nunc vero quid a te petieram? ut mihi præmio cederes: non dico quid fuerit secuturum. Sane ita sit constituta lex, ut in judicio contendamus, ut citra periculum feratur de nostra virtute sententia; non erat æquum cedere te, ut non dicam patri, seni? tibi approbandæ virtutis multa tempora supersunt: tu sperare id, quod hodie cesseris, potes: mihi indulsit fortuna hunc supremum honorem. Inter extraneos quoque et alienos est aliquod privilegium ætatis: honores prior peterem: ad signandum advocatus, prior rogarer: in his etiam minimis observationibus, inhumane non cederes honorem lateris. Age vero, non præter hoc etiam dignior præmio fuit virtus mea? non est tam admirabile, quum fortiter facit juvenis: hoc ætas postulat, hoc robur juventæ poscit: pæne turpe est, non fecisse: hoc est honore dignius vicisse annos, et ultra ætatem durantes agere virtutes. Eo tempore fortiter feci, quo cogi non possem, ut militarem. Utrum tandem vis magnum esse, quod ego feci, an minus esse, quod tu fecisti? videamus nunc hæc: quis fuerit secuturus exitus: si in ista contentione præmii, idem animi ego quoque habuissem, armis contendendum erat: et

fecisti robore et corpore tuo, meum est. SCHULT. Color ductus est ex illis Ulixis apud Ovid. Met. XIII, 235: « Tempore ab hoc, quodcun- « que potest fecisse videri Fortiter « iste, meum est. » Ut et vers. 173 dixerat: « Quod Thebæ cecidere, « meum est. » Quare legerem: *Quod fortiter fecisti, meum est, quod roboris et pectoris tibi est, meum est.*

Digitized by Google

lætissimo alioqui domus nostræ proventu, gravissimum funus et crimen inurebatur. Jam vides quare non cesseris: hoc tibi præmio majus videbatur, committi cum patre, et parricidium facere jure: hoc profecto etiam in acie facere cogitasti: et quum imitareris virtutem meam, non optandi jus, sed pugnandi quærere videbaris. Ego, quantum est in te, in medio foro, et universa spectante civitate, filii manu trucidatus sum: vel, quod est gravius, occidi: tu perseverasti, quum me cupere sic videres. Etiamnum interrogo, [1] staturusne contra fueris dicturum? nam si fuisti perseveraturus, vide an gravius etiam crimen sit, patri negasse, quod præstare poteras. Habe ergo præmium istud, quantumcunque in eo honoris est: sed contentus esto appellasse rempublicam; discede de domo mea [2]: non jam ultionis gratia facio, sed etiam securitatis: insomnes noctes ago, et ad omnes terreor strepitus: nulla mihi secura nox est: habeo in domo filium, qui me potuit occidere. Nam præmii quidem gratia strinxisses ferrum contra patrem, et in conspectu civitatis populique parricidium fecisses; ut heres citius fias, ut bona mea occupes,

1. *Etiamnum interrogo, staturusne.* Alias *staturusne contra fueris? an contra fueris dicturus?* vel, *statuerisne te mihi contradicturum.* Ut ut sit, sensus est: Etiamsi non duello, sed in judicio jure et legibus de nostra virtute et præmio litigandum esset, an tu item, qui adversus me in judicio stare non potes, nisi venia a prætore impetrata, statueris te mihi dicenti opponere, et verum parare adversarium? id autem, inquit, gravius crimen sit, etc. Ænod. *Staturusne contra fueris; dic utrum?* Obrecht.

2. *Discede de domo mea.* Hæc est græcæ abdicationis formula, mutuata ex romana repudii: infra Declam. CCLXII. Cui non omnino absimilis et illa, qua amicitiæ more majorum dirimebantur, ut est apud Tacit. Annal. lib. VI, cujus exempla si quis requirat, reperiet apud Suetonium in Augusto 66, Caio 3, et de Illustribus Grammat. in Curtio, Nicia, Valer. Max. lib. V, c. 8, ubi formula hæc: « Protinus e conspectu meo filium abire jubes, » et alios auctores, quorum hic locos ascribere nihil opus esse putavi. Pith.

Digitized by Google

homo tam cupidus non audebis parricidium facere secretum? Non ignoro omnium fere, qui abdicantur, hunc esse morem, ut acta jam causa ad preces convertantur, et mitigare patres rogando velint: hoccine tu concipis animo posse fieri, ut exores?

CCLIX.

Pauper naufragæ liberator, maritus.

Dives cum amico paupere et filia navigabat: naufragium fecit: extulit filiam divitis pauper. Rumor erat eam nupturam cuidam nobili juveni. Quodam tempore in domo divitis tumultus fuit: inventi sunt una pauper et puella: ab utroque dictum est vitiatam puellam. Imperavit filiæ dives, ut nuptias optaret: educta ad magistratum, optavit: postea comperit dives, non esse vitiatam puellam, imperat, ut relinquat pauperem: nolentem relinquere abdicat.

SERMO.

In omnibus quidem abdicationis controversiis, quatenus pro liberis dicimus, submissa debebit esse actio, et satisfactioni similis. In hac tamen controversia, istud aliquanto magis servandum est: nam et filia est quæ abdicatur: et hic pater aliquid etiam boni et clementis viri fecit: et nobis tutissimum, uti etiam hac bonitate.

DECLAMATIO.

Non ignoro, judices, quantum causæ nostræ oneris accedat ex persona abdicantis; non propter illud commune, quod pater est; sed quod pater indulgentissimus, amicus optimus: etiam si quando injuriam ac-

Digitized by Google

cepisse videtur, mitissimus: itaque priusquam defensionem aggredimur, in hoc satisfaciemus animo nostro, ut gratias agamus ante omnia filiæ nomine; quam sic amavit, ut eam diduci a se ne navigaturus quidem voluerit; cui ad magistratus eductæ præstandum putavit, ne qua occisi hominis infamia inquinaretur[1]; quam tradidit amico suo, quod jam dici potest, optimo marito. Proximum est ab hoc, ut amici quoque, et, si permittit, generi, mandata perferamus: sunt autem similia; nam et plurimum cum eo vixit; et nulla causa, nullo diductus est loco: et usque in hoc tempus in ea fuit opinione, ut se crederet vivere beneficio istius. Erat profecto felix domus, si in illa prima simulatione[2] hi manere voluissent: sed dum hanc quoque beneficiis optimi senis ferre gratiam volunt, et simpliciter fatentur omnia, omnia inciderunt ambo in hanc dicendæ causæ necessitatem: dum scilicet ambitiosus gener vult videri socero suo innocentior, quam videbatur. Equidem peractis gratiarum agendarum man-

1. *Occisi hominis infamia inquinaretur.* Lex erat: *Rapta raptoris mortem, aut indotatas nuptias optet.* Igitur quamvis jure et lege mors optari posset: quod humanius, ac prope minus infame est, maluit filiæ auctor esse, ut eum sibi maritum posceret, cui ex naufragio vita debebatur: hujus mortem optari non posse, sine scelere et flagitio. Cæterum ne deinceps ulla mulier, vel consciente patre, raptoris eligeret sibi nuptias, a Justiniano sancitum est lib. IX de Rap. virg. et constitutione 143. Sed rursus pontificio jure, aliquid ex illo antiquo novatum est, XXXVI, Q. 1 et 2, cap. ult. de rapto: et huc pertinet cap. 22, exod. Ærod.

2. *Si in illa prima simulatione.* Hoc est, si in illa divitis non jam, ut apparet, vera amicitia, sed simulatione, nihil humanitus ex tumultu accidisset. Aut verius, si perpetuo et filia, se raptam; et pauper, se rapuisse simulasset: non autem celebratis nuptiis, diviti, causa cumulationis habendæ gratiæ, veritatem omnem exposuisset. Cæterum hic exclamari potest, quod ab Euclione in Aulularia: «Dii immortales! facinus audax incipit, Qui cum opulento pauper cœpit rem habere aut negotium.» Ærod.

Digitized by Google

datis, hoc primum puto, ut isti, si permittit, gratuler. Filia ejus probissima, puella ac verecundissima, nullam accepit injuriam; amicus et gener nullum scelus fecit: nam si quid tale cogitare, et in animum inducere potuisset, illo tempore vitiandi habuit occasionem, quo naufragam in litus evexerat. Reliqua pars actionis meæ, non tam ad defensionem, judices, spectat, quam ad deprecationem: nam nulla profecto certior ratio est, quam ut istum priorum temporum admoneam. Hic enim, judices, adolescens (quod in hoc demum judicio audivimus a divite dici) pauper, unam sibi domum, quam coleret, elegit, unum hunc, cui fidem suam impenderet: ac brevi moribus, sanctitate, innocentia fecit, ut inter omnes etiam superioris fortunæ carissimus videretur. Itaque hercule, quum peregre proficisci destinasset, quamquam navigationum pericula non ignoraret adolescens, tamen secutus per maria, per tempestates. Non nimium de fortuna querimur: etiam si naufragium illud multos metus, longam vexationem, aliquod attulit detrimentum: tamen rem difficillimam expressit, fidei experimentum: in illa omnium trepidatione, in qua pro sua quisque salute sollicitus, nihil de proximo cogitabat; quum inter fluctus et turbati maris minas, vix evadere, ac suæ quisque consulere saluti videretur, non mehercule miror, quod, quamvis optimus pater, filiam tamen respicere non potuit. Quis enim hoc crederet posse fieri, ut modo saluti suæ consuleret, verum etiam suscepto onere infirmitatis alienæ, evadere in terram, et vincere minantis fortunæ metus posset? Itaque non servus ullus tam fidelis, non libertus tam beneficio obligatus manumittentis fuit, ut hoc subire periculum posset. Unus amicus (nondum

Digitized by Google

enim illud faciebat tamquam gener) accepta humeris suis puella, per tot difficultates, per tot pericula, nihil pro seipso sollicitus, tulit. Quam istud non humani tantum operis, sed divini cujusdam beneficii arbitrandum est? Quum hos conjunxistis, copulastisque : fortunæ, nihil necesse habeo diutius hoc imputare; tamquam non intellectum, non perdidit beneficium: et puella se nihil non huic debere credidit: et pater ita interpretatus est, majus illud, ut existimaret amico in se, ac suos, omnia licere. Rumor itaque in civitate, non quibus alias solet causis, exortus est: sed homines, dum indignantur, nescio cui juveni optimo et nobili dari puellam, convicium moribus hujus, tamquam ingrati fecerunt [1]. Intelligo, judices, quam difficili, ac velut scopuloso loco versetur oratio mea: quomodo narrem istud, quod confessi sumus? Illud puto tutissi-

1. *Tamquam ingrati fecerunt.* Ingrati hoc est, inviti: vel, ut adnotavimus, ingratæ. Sensus est: Qui rumor in aliis causis exoriri solet, indigne factum: violatam ab amico amici filiam: atque tum maxime, quum dignæ opibus, dignæ potentia, et nobilitate nuptiæ dignæ parabantur. Non hi rumores, inquit, exorti sunt: sed dum divitem audiunt immemorem tantorum beneficiorum, alium sibi generum quærere: oblata illa ex tumultu occasione, qua solum cum sola nacti essent, de industria raptam a paupere divitis filiam, quisque jecit in vulgus, ut bono hoc dolo illum juvenem nobilem a nuptiis averterent: quasi pauper jure suo fecerit, non vi, non clam, non precario. Ærod. Neque *ingrati* est inviti, quasi hæc vox ad juvenem nobilem et optimum pertineat; neque legendum *ingratæ*, ut ad puellam referatur. *Hujus*, id est, divitis. Nec *rumor* iste ex tumultu, sed aliquanto ante tumultum. Rumor est *juveni opulento* (et ita forte scribendum pro *optimo*) *et nobili dari puellam*. Rumores plerumque oriuntur ex rebus novis atque insolitis. At neque novum, neque præter exspectatum est diviti divitem legi generum. Tamen quia pauper servatæ puellæ ab sese nuptias meruisse videbatur, indignati homines ad mentionem alterius generi lecti, patrem tamquam ingratum et immemorem beneficiorum pauperis, rumoribus distulerunt. Vides cur dicatur *rumor, non quibus alias solet, causis exortus.* Vides cujus *moribus convicium, tamquam ingrati* fecerint. Gron.

Digitized by Google

mum est: rapere voluit[1]: (huic enim certe crimini ignoscitis) inde tumultus, inde voces repugnantis, inde fortasse etiam nimia puellæ querela, quod audaciam pro injuria tulit; quod se raptam, quoniam ille rapere voluisset, proclamavit. Nec is sane negandum existimavit: et, quamquam nihil acciderat tale animo suo, confessus est. Illud certe manifestum est: pater filiam putavit irasci: itaque sollicite quoque, nec pro imperio tantum patris, sed etiam pro auctoritate, pro sententia deprecatus est. Tum admonuit illam: Memento hunc esse, cui vitam debeas: hunc esse, qui te ex periculis servaverit maris. Quanta illa gratulatio? quanta patris laus fuit? quam felix domus? nihil deerat gratulationi nostræ, si raptor fuisset. His moribus suis, ac tanta bonitate meruisse visus est pater, qui non falleretur. Indicaverunt integritatem: quo speraverunt futurum, ut magis amarentur, incidunt in offensam. Nisi forte invicem ludimur, et nos pater mutuo mendacio tentat: quare non omnia statim simpliciter dixerimus, minatur. Dii faciant, ut iste sit eventus, qui adhuc in hac domo omnium periculorum fuit. Nostra tamen quatenus forma judicii proponitur, agitur defendentis imitatio. Nam si te prorsus irasci existimarem, optime pater, illa dicerem, filiam abdicas: nondum defendo factum, nihil de isto crimine loquor: satis tutum esse potest apud judices. Fulmen istud patrum adversus ferociam adolescentiæ datum est: adversus filios, qui

1. *Rapere voluit.* Hoc ad filiam refero, quæ voluit pauperem rapere, id est, ut pauper eam raperet. Igitur se raptam proclamavit: nec hic sane negandum existimavit, et (ut supra) tamquam non intellectum non perdidit beneficium. Huic certe crimini ignoscitis, inquit: raptus etiam non committitur in volentem, etsi demus raptam. Ita enim usurpatum est, ut ex hoc loco apparet, et ex lib. I de Rapt. virg. in C. Theod. seu postea merito emendatum. Æron.

Digitized by Google

peccare plus possunt. Filia vero vix nutricum minas tulerit, vel eorum, a quibus educatur, tristitiam : et ut virgo pertineat ad patrem, tamen nupta pertinet ad maritum. Post illum, quo spes liberorum inchoata est, quo in nepotes[1] usque cogitationem misisti, quid aliud potes exigere a filia tua, quam quod placuit ei, cui collocata[2] est? Si lætius[3] agendum esset, illud dicerem, Abdicare propter matrimonium non potes : paullo fortior recusaret etiam nubere, nisi cui voluisset : hæc subjecit in hoc se imperio tuo : ex arbitrio patris nupsit. Paullo fortius vindicare debet matrimonium jam factum : ut etiam nuptias imperare possis, repudium imperare non potes ejus, ad quem puella legibus, et magistratibus, et jurejurando pervenit. Verum contra hæc, paullo latius repetit abdicationem : et non est contentus ea objicere, propter quæ judicium est : mentita est, inquit, patri : de raptu mentita est. Defendam, judices : absoluta sunt[4] : ego vero malo esse crimen, ut patri plus debeamus : deceptus est : ita malles filiam tuam raptam esse. Volo sic defendere puellam, tamquam factum sit ipsius culpa. Hæc quid? ignoscit : non est hic amor : gratus animus est. An illa sibi ullum fideliorem fore tota vita existimaret, quam eum, cui secundum te debeat plurimum? Cogita quæ fuerint illa pericula, ex quibus evasit; quæ tempestates, qui fluctus et naufragia, et cætera, quæ nihil divisione egent, nomina. Sed omnem hanc culpam maritus ad se trahit :

1. *Quo in nepotes.* Id est, per quem. Etenim idcirco filios filiasve concipimus, atque edimus, ut ex prole eorum earumve, diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus; ut eleganter scripsit Callistratus, lib. II Quæstionum. Ærod.

2. *Collocata est. Collata est*, Ærod.

3. *Lætius. Latius*, id est, circumitione, ut mox, *Verum contra hæc paulo latius.* Schult. In Francius: *liberius*, Marg. Ærod.

4. *Absoluta sunt. Sum*, Schult. et Francius.

Digitized by Google

nihil tantum puella cogitavit: quidquid est istud, ego feci: qualecunque istud est, meum consilium est: tu ignosce, qui soles. Recedere jubes a marito tali? qua tandem causa? pauper est: non solebat hoc illi apud te nocere. Relinquam: nec dico pauperem: nam in matrimonio quidem filiæ, quod[1] solebat nocere, te auctore nupsit, te hortante nupsit. Redde rationem illius sententiæ. Quamvis putarem turpe, tamen cogitasti, quid præstitisset filiæ tuæ.

SERMO.

In summa parte declamationis utrumque producemus, et pro utroque pariter rogabimus, et aliquanto magis pro marito misero. Decet enim illum amare: dicat se morituram: totum est enim in eodem.

DECLAMATIO.

Petiturum[2] se affirmat: quo tu illum exemisti, quum ad magistratus eductus est, hic animum tuum exigit priorem, hic illam misericordiam.

1. *Filiæ, quod solebat. Filia, quod solebat vovere, te auctore nupsi, t. h. nupsi.* Schult. — In hac Declamatione argumenta hinc illinc magna quadam diligentia in medium producuntur, et partium adversarum vices sedulo implentur, nunc ad illam, nunc permissa ad hanc oratione, velut minime etiam attendenti perspicere facile est; ita ut hanc Declamationem ad genus illarum quas vocat Seneca, et ipse scripsit, Controversiarum, pertinere judicemus. Ed.

2. *Periturum.* Hæc cum præcedenti sermone continuat Ærodius. — *Quod.* Burm. et Var. ita. Nos cum edit. Bip. *quo.* Ed.

Digitized by Google

CCLX.

Pastor abdicatorum.

Dives adolescens abdicatos recipiebat, et de suo alebat: læsæ reipublicæ reus est.

SERMO.

In plerisque controversiis[1], plerumque hoc quærere solemus, utrum ipsorum persona utamur ad dicendum, an advocati: vel propter sexum, sicut feminis: vel propter aliquam alioqui vitæ, vel ipsius, de quo quæritur, facti deformitatem. Hic adolescens et honestus est, et quum sit locuples quoque, nihil tam turpe commisit, ut illi pro se fas loqui non sit. Ego tamen existimo dandum esse advocatum: primum, quod etiam si quid remissius ac liberalius fecit, ætate excusari potest. Non consentiunt autem hæc inter se[2], ut idem: et tantum infirmitatis animo, ut

1. *In plerisque controversiis.* Hic locus, et alius infra Decl. CCCXXXI pertinet ad edictum de postulando. Ut autem plane confirmem, has illius esse Quintil. Declamat., nihil ex Institutionibus oratoriis præteribo, quod non huc transferam. Ait lib. IV, c. 1, §§. 45-46: « In iis « quæ negari non poterunt, elabo- « randum, ut aut minora quam dic- « tum est, aut alia mente facta, aut « nihil ad præsentem quæstionem « pertinere, aut emendari posse pœ- « nitentia, aut satis jam punita vi- « deantur. Ideoque agere advocato, « quam litigatori facilius: quia et « laudat, sine arrogantiæ crimine, « et aliquando etiam utiliter repre- « hendere potest, etc. Ideoque hoc « primum intuemur, litigatoris an « advocati persona sit utendum, « quoties utrumque fieri potest. Nam « in schola liberum est; in foro ra- « rum, ut sit idoneus suæ rei quis- « que defensor, etc. Quoties, inquit, « utrumque fieri potest: quia reo « affectatæ tyrannidis, aliisque cer- « tis personis adesse, vix aut ne vix « quidem licebat, ut alio loco vi- « debimus. » Æmon.

2. *Non consentiunt autem hæc inter se.* Tale quid desidero, *ut idem qui jam ejus ætatis et animi est, ut sua se voce et oratione defendat:*

Digitized by Google

hac excusandus sit. Alterum illud est, quod si defensionem ultra excusationis terminum proferimus, laudandus est adolescens. Arroganter autem faciet et tumide, si cœperit se ipse laudare: præsertim jactaturus id, quod facere possit, a fortuna esse. Dabimus ergo illi, his causis, advocatum.

DECLAMATIO.

Non necesse erat[1] mihi, judices, de facti hujusce, quod *hic tantum infirmitatis animo defendendus sit.* Vel, *ut idem pro se dicat fiducia ætatis, cui tantum crimen objicitur, ut infirmitatis animo excusandus sit.* Ærod. Asterisco notavit locum Obrechtus. Cl. Schultingius ita supplebat, *ut idem et pro se dicat, et tantum infirmitatis animo habeat, ut hac excusandus sit.* — Asteriscum recepit ed. Bip.

1. *Non necesse erat.* Unus locus est in jure nostro, ubi mentio fiat de abdicatione. « Abdicatio » (inquit Diocletianus imperator, lib. VI, C. de patr. potestate) « quæ « græco more ad alienandos liberos « usurpatur, et ἀποκήρυξις dicebatur, romanis legibus non com- « probatur. » Ad *alienandos*, accipe, non vendendos quidem aut pignerandos, sed pellendos et ejiciendos domo penatibusque nostris, ut jam prorsus nobis alieni sint, non sui. Hac certe pœna usi sunt Græci, nec ulla erga liberos eis alia erat gravior, teste Dion. Halic. Sed non nisi ob grande maleficium, καὶ μετὰ λόγου δικαστικοῦ (ut etiam a Platone scriptum est lib. II, de Legibus), quod publico præconio fieret, et causa utrinque amplissime cognita. Illic Plato formam abdicationis præscribit. Certe abdicatos ali, et ab aliis adoptari non prohibet, τὰ γὰρ τῶν νέων ἤθη, πολλὰς μεταβολὰς ἐν τῷ βίῳ μεταβάλλειν ἑκάστοτε φέρουσιν. Hac præscripta forma ab initio Romani filios suos non abdicabant: nec eis causas probari apud magistratum necesse fuit, quum privatim majorem etiam potestatem haberent vitæ et necis: sed una erat cognitio patris et animadversio. Quod quia longo intervallo emendatum est, ut id patri, nisi causa cognita, non liceret, quæ forma a Græcis sumpta est, ideo scripsit Diocletianus, suis temporibus hæc græco more usurpari. Nam si quis interpretaretur legibus romanis omnem omnino prohibitam fuisse abdicationem, ignoratione historiæ aberraret. Cic. lib. I de finibus, de filio Torquati Silano; Val. Max. lib. V, 8, 3, de eodem. Idem lib. V, cap. 7, 2: Cæsctius eques romanus, qui Cæsari jubenti ut quemdam filiorum abdicaret, respondit: « Celerius mihi, « Cæsar, omnes filios meos eripies, « quam ex his unum nota pellam « mea. » Suetonius in Octavio, c. 65: « Agrippam ob ingenium sor- « didum ac ferox abdicavit, se- « posuitque Surrentum. » Festus: « Abdicare, est quasi non dicere et « negare filium. » Plin. lib. VII,

Digitized by Google

in crimen vocatur, ratione disserere. Scio quod advocato satis sit: sufficiebat hoc solum, si eximerem legi reum: et cætera fiant[1], fortasse pro dignitate, fiant pro conscientia, pro laude. Ad vos id unum pertinet, an lege, qua cognoscitis, obligatus sit, qui accusatur: quæ vis vobis, quo atrocior est, hoc diligentius intuenda est. Sit tolerabile formula errare, et in petitione pecuniæ non uti jure concesso: aliquis caput hominis perperam petit, ut terreat, ut occidat? Reipublicæ læsæ quædam sunt, judices, ad quorum pronunciationem oculi sufficiant. Satis erat accusatori ostendere, si quid hic læserit; aliqua publicorum operum incensa, eversa, vel corrupta; navalia, arma usibus belli erepta, aliquid denique eorum, quæ publice possidemus (ea sunt enim reipublicæ) deterius hujus fraude atque injuria facta: cætera habent suas[2] leges,

c. 45: « Abdicatio Posthumi Agrippæ post adoptionem secuta est. » Denique nihil hic et apud Senecam frequentius, quam de abdicationum controversiis. Quæ tamen, quia paulatim minus frequentari solitæ, ideo Quintil. ait, lib. VII, cap. 5: « Hæc genera causarum, « plus esse scholæ, quam fori: » et quæ abdicatorum in scholis, hanc in foro exheredatorum a parentibus, et bona apud consules repetentium, rationem esse. Nam hoc genus tandem abdicandi abiit in desuetudinem: et abdicationum causæ, in exheredationem rejectæ sunt, quæ sane longe mitior est. Ideo quia nullus exheredatur, nisi post mortem: et nunc ab iratis patribus, nunc etiam adeo, ut filiis suis consulant. l. multi, ff. de lib. et posth. Præterea exheredatus, filius esse non desinit, nec sacra, nec jura amittit familiæ: secus in abdicato. Fuerunt, ait Quint. illo loco, « qui « has causas, materias officiorum « appellarunt: » « ut in foro querela « inofficiosi dicitur, et quædam in« terdicta officii causa competere; » lib. II, §. 1, ff. de interdict. « Sed « abdicationum (lib. VII, 4, 27), for« mæ sunt duæ: altera criminis per« fecti, ut si abdicetur raptor, adul« ter: altera velut pendentis, et ad« huc in conditione positi: quales « sunt in quibus abdicatur filius, « quia non pareat patri: » cujus item partitionis meminit infra Declam. CCLXXI. Æneb. Vide quæ nos ad Institut. lib. VII, cap. 4.

1. *Et cætera fiant.* Significat se factum adolescentis prius defensurum, dein et laudaturum. Gron.

2. *Facta: cætera habent suas le-*

Digitized by Google

sua jura, suas actiones. Si hos, quos recepisse dicitur, occidisset: non tamen reipublicæ læsæ jure teneri videretur. Sint igitur ista gravia, quæ objiciuntur, aliquid fecisse clementer; contra duros et asperos patres interposuisse misericordiam, pro sua ætate: non hoc vidit lex, quæ recitata est: non voluntas ejus, quicunque conditor juris istius fuit. Hæc ego fortius dixi, quia remissurus sum[1]: quid enim objicitur? abdicatos recipit, et sua pecunia alit. Ut gravissime judicemus de hoc crimine, stultas et supervacuas impensas facit. Quis est iste, qui nobis, tamquam pater, irascitur? Patrimonium consumis, et alioqui splendidas opes quotidie effundis. Quæ tandem ista inter se pugna est? legem recitas læsæ reipublicæ, et agis quasi abdices[2]. Sic respondebo tamquam abdicanti; ignosce: juvenis est: non satis roboris, nondum satis judicii confirmare potuit: et tamen si faciendæ sunt impensæ, si perdendum aliquid; non potest honestiore via impendere: non meretricibus donat: non in parasitos profundit: non illi magno cupiditates suæ constant: sumptuosus est misericordia. Libet etiam augere crimen, et si qua nesciunt accusatores, indicare: vos eum largiri tantum abdicatis putatis: iste aliquid et mendicantibus porrigit: iste et multos, fortunæ injuria lapsos, sustentat atque erigit. Quid faciam, inquit, animo meo? quoties infelicem vidi aliquem, et necessarii etiam victus egentem, lacrymas tenere non possum. Invidiam mihi facere vi-

ges. Hoc est, ad horum pronunciationem oculi non sufficiunt: sed inquisitione opus est, quo animo, quo consilio, qua voluntate facta sunt. Ænon. Qui affert, *ea sunt deteriora h. etc.* deleta parenthesi.

1. *Quia remissurus. Quia nihil remissurus sum.* Schult.

2. *Et agis quasi abdices.* Nam si tamquam pater abdicas, quod patrimonium effundit, ne majestatis reum facito. Ænon.

Digitized by Google

detur patrimonium meum, pulsant frontem meam cæduntque, etiam si taceant, ipso habitu, ipsa tristitia, ipso silentio: sed et rogant, et provolvuntur ad genua: nec mihi illa, saltem simulata, ut plerisque, excusatio superest, ut dicam, Non possum. Tu vero tanto, adolescens, fortior, atque omni laude, non in nostra modo tempora, sed etiam in futura omnia secula dignior, solus mihi mortalium videris usum pecuniæ intellexisse. Frustra tibi aliqua fortuna tantum patrimonium dedit, et in breve humani tempus ævi, veluti grande pondus imposuit: relinquendum[1] erat istud, et res transisset ad alios; quandoque locupletem fecisset nescio quem mors liberalis. Libet vobiscum loqui nostro nomine, avari parcique, qui aliquid non fecisse sordide, jam etiam scelus existimatis. Non sunt ista ferenda nobiscum: neque ad inferos servata per vitam fortuna persequitur. Tolle usum, quid est pecunia? quis igitur usus honestior? nullus: nec hic lege possit fieri reus, si hanc ipsam pecuniam, quam per tot beneficia divisit, per gulam ventremque transmitteret: nihil obesse reipublicæ videretur, si vitiorum institores hos eosdem sumptus divisissent. Ego vero huic comparare ne illos quidem timeo, qui aliqua in rem publicam opera posuerunt: hæc enim muta, et humanis tamen constructa manibus[2], et speciem modo, et brevem quemdam usum voluptatibus nostris attulerunt. At hercule referamus ad illam, de qua modo locutus sum, speciem: quanto pulchrius integrum po-

1. *Relinquendum*. Horat. II, od. 14, vs. 21: « Linquenda tellus, et « domus, et placens Uxor, etc. »

2. *Humanis tamen constructa manibus*. Habent priores edit. *humanis muneribus*. De gladiatoriis muneribus loquitur, et quæ his fiunt, amphitheatris. Eodem pertinet, *qui ingentes noxiorum familias occisuri tamen pascunt*. Gronov.

Digitized by Google

puli vultum, illibatam dignitatem civium servasse! si ad utilitatem; quanto melius ac majus, servasse suum numerum civitati, suos ordines! An vero illos, qui ingentes noxiorum familias occisuri, tamen pascunt, plausu fovebimus, et in omnibus spectaculis adulatione multa prosequemur? hunc, qui partem civium, levibus offensis miseram, sustentat, ac pœnitentiæ suæ suorumque integram servat, lege etiam gravissima persequemur? quid enim nobis tam naturale, quid ab ipsa Providentia magis datum concessumque potest videri, quam alere homines ac sustinere? Muta mehercule animalia, quæ venire ad manum[1] et mansuescere queunt, non humanum modo, sed etiam voluptuosum est, alere ac pascere: quid de homine dicam? quisquamne magis negotium publicum, non civitatis modo, sed totius rerum naturæ agit, quam qui animal hoc deo proximum, et in contemplationem omnium, quæcunque mundo contigerunt, constitutum prorogat producitque? qui opes suas in publico posuit[2]? quo locuplete nemo pauper est, nemo eget? O misera tempora! hoc defendendum est? Scilicet illud honestius, liberos sublatos, jamque in adolescentiam provectos, pellere domo, et prohibere penatibus; et omissa emendandi cura sic punire, ut his succurri non liceat. Abdicatos in domo recipit et pascit: sic istud, tamquam sacrilegos, tamquam homicidas, tamquam latrones? Si tam grave crimen est, ætate labi; si tam inexpiabile, offendisse aliquando paternam severitatem, novas excogitate leges, asperiora

1. *Venire ad manum.* Ita *manum pati*, Lutatium, sive quicunque auctor est argumentorum fabularum Ovidii, dixisse observat Barth. VIII advers. 17. Burm.

2. *In publico posuit.* Opponitur hoc illis, qui in *fœnore ponunt*, ut proprie loquebantur. Horat. Sat. I, 2, 13: «Dives positis in fœnore numis.» Vid. et Epod. II fin.

Digitized by Google

aliqua constituite supplicia: hos si pascere non licet, parum est abdicare. Audite, Patres, quæ optimum adolescentem ad misericordiam moverint, quæ ad liberalitatem; aliquid et discite. Nulli horum objectum est, quod venenum patri parasset: nulli quod percussorem in fata parentis sui conduxisset. Creditis, judices: alioqui puto non tam levem subituros fuisse pœnam, sub tam asperis patribus. Quid est igitur? amavit ille meretricem, et intra concessos adolescentiæ lusus, licet aliud parentibus videatur, natura tamen datos, forsitan minus tenuerit cupiditatum frenos? en quod fames emendet. Ille ductus æqualitate, cum sodalibus iniit paulo tempestiviora convivia? en quod mendicitas coerceat. Ille liberalius vixit? et quomodo crimen istud hoc tempore est? aliquid fortasse donavit? non vultis in his causis, in hac criminum summa, misereatur hominum, qui dicunt, et tu juvenis es. At nimium diu, judices, sic defendo optimum juvenem, tamquam victum abdicatis præstiterit. Nolo jam abdicare[1]; reipublicæ (fortius libet agere) imputo: et magis imputarem[2], si tales essent, quales eos accusator esse contenderet. Nihil est periculosius, judices, in hominibus, mutata subito fortuna; nihil ad vilitatem sui pronius, miseris delicatis. Juvenes in magnis patrimoniis, atque

1. *Nolo jam abdicare.* Scribe: *Non jam abdicatis; reipublicæ (fortius libet agere) imputo.* Dimitto illos: parum est debitores habere tam infirmos: immo reipublicæ expensum ferre, reipublicæ datum imputare potest, quod illis dedit: respublica ei hoc nomine debet; et debebit magis, si sunt quales depingit accusator. *Imputo*, ut Senecæ, Suetonio, Plinio, Juvenali, et his scriptoribus eleganter. *Non hoc jam abdicatis*, etc. Schult.

2. *Imputo et magis imputarem.* Ecce, inquit, si hactenus præstitit abdicatis, esto, ne præstet in posterum. Sed tamen hujus benefacti accusatores esse in republica reipublicæ imputabitur, ejusque id cedet magno malo. Nam quos non alas, et fucos et fures esse oportet, ut ait Plato libris de Rep. Æsop.

Digitized by Google

in summa nati dignitate, subito excussi[1], non dico opibus, sed necessariis etiam ad victum, spiritumque ultimum sustinendum, non redibunt ad opus quotidianum, non sufficient assiduo labori: superest, ut audeant aliquid, vel propter quod moriantur: tot hos quos abjicitis (nam quoque turbam abdicatorum esse dixistis) emittite subito nudos, omnium egenos: ipsisne aliquis poterit irasci, si quid fecerint? si in latrocinia se prædasque miserint? Quantumlibet animis nostris remittamus, ac totam innocentiam credamus esse persuasionis, multum contra justitiam necessitas valet: at si nihil adversus alios, adversus se certe multa fecissent. Ornatamne rempublicam atque adjutam, judices, crederetis, si horum fortissimus quisque venisset in ludum, atque arenam? si paullo mollior frons ad laqueum, ad præcipitia, ad qualemcunque vitæ festinasset exitum? tum civitas felix, tum numerus iste minus invidiosus fuisset? Volo, judices, relicta jam hac, quam ad rempublicam composui, defensione, transire ad eos, qui præcipue irasci videntur; patres dico ipsos, qui abdicaverunt; quibus hoc primum, judices, dico. Quam accipitis injuriam? malis vos sane filiis levastis, et exonerata sunt vestra patrimonia. Sinite[2] illos perisse, et velut expositos in aliqua solitudine, aut in maria projectos, nihil ad animum vestrum, nihil ad cogitationes pertinere: fortunam sibi quærant: quid ad vos, quid sint[3], postquam vestri esse desierunt? renati sunt, no-

1. *Excussi.* Sic Decl. seq., *excuti patrimonio.* SCHULT. Horat. Sat. II, 3, 19: « Aliena negotia curo, Ex- « cussus propriis. »

2. *Sinite illos perisse.* An, *fugite illos?*

3. *Quid sint.* Francius malebat, *qui sint;* sed nihil opus. Immo elegantius *quid.* Ovid. Trist. IV, 1, 99: « Quum vice mutata, quid sim fue- « rimque recordor. » Et ita millies ille et alii.

Digitized by Google

vumque fatum quodammodo sortiti. Num invidiam vobis faciunt? hoc enim malebatis fortasse, ut oculis vestris sordidati obversarentur; ut impexi, squalidique incederent; verecunde nomine severitatis dissimulatur vestra crudelitas: minus vos malos patres putavimus. Quod quidem animadversioni sat est, pendunt pœnas, magnumque supplicium miseri luunt: an vos in hoc demum creditis paternam animadversionem, si esuriant, si inopia omnium deficiant atque tabescant? illud parum est, notari infamia? illud parum est, exsulem[1] esse domus suæ, larium suorum? nunc vos putatis esse felicem quemquam horum, aut hilarem? experiatur aliquis: et revocet. Et hæc quidem, judices, duris atque asperis patribus, illa molliora. Speravi, inquit adolescens, aliquam impetus vestri pœnitentiam: credidi futurum, ut aliquando succurrerent initia infantiæ, blandimenta pueritiæ: reservavi filios judiciis vestris: et si quando ignosceretis, in integro habui. Vos æstimatis causas, propter quas expulistis; si crederetis, satis pœnarum dederunt: ego illud præsto, illud promitto, nihil postea turpiter fecerunt. Ne tamen nimium jactare atque imputare videatur, illum quoque misericordiæ suæ ordinem confitebitur. Unus, inquit, fuit primo, qui sollicitaret hanc nimiam liberalitatem, æqualis alioqui, et in studiis comes, et in lusibus: hic fecit exemplum; ausus est rogare proximus; nec adhuc illud onerosum patrimonio videbatur. Inde factus est ordo: etiam legem mihi videor dixisse misericordiæ: cui negarem? omnes idem rogabant, omnes idem excusabant[2], omnes idem pollicebantur. Ego vero, inquit,

1. *Illud parum est exsulem.* Sophocles in Œdipo, τὰ τῶν τεκόντων ὄμμαθ' ἥδυστον βλέπειν. ÆRODIUS.

2. *Omnes idem excusabant.* Non

quamdiu fuerit hoc patrimonium, sic ero, sic utar; et si defecerint omnia, non tamen pauperem me putabo, neque egentem: sed pro illis paternis possessionibus, hos ostendam cives; pro illo fœnore, hunc populum. Et quæ tanta patribus ira, quæ tanta infelicitas nostræ civitatis, quod reipublicæ fatum, ut istud diutius aut pluribus necesse sit? et ne vobis multum videar imputare, non sunt isti onerosi facultatibus meis, non quos ampla, quia sic a parentibus meis constituta est[1], fortuna graves sentiat; quia vivimus parce. Quantulum est enim quod accipiunt? quantulum est quod exigunt? vos fortasse plus consumpseritis, patres, qui studia fovistis, qui ad hanc ætatem usque vixistis: mihi servare cives satis est. Ac nihilominus quod in istos impendo, si creditis, ipse frugalius vivo: quidquid in hos confertur atque congeritur, de meo est; detrahitur adolescentiæ voluptatibus, detrahitur concessis: alioqui quamdiu in his annis sumus cupiditatum, duo simul assequor; quod et liberalius et frugalius vivo.

omnes primum induxerat abdicatos alere: sed ubi semel ab uno rogatus est, cui negare non potuit: dum multorum aliorum parem intellexit esse vicem et conditionem, quum factum excusantium, quod abdicati essent, tum omnem operam huic diviti adolescenti pollicitantium, cœpit passim abdicatos alere. Ærod. qui non habet *omnes idem rog.*

1. *Constituta est.* Eleganter, bene fundata, firmata, ut non facile evertar omnibus bonis. Ita Cicer. ad Fam. I, 9: « Constitutum patrimo- « nium » dixit. Vid. ad Vellei. II, 103. Burm.

Digitized by Google

CCLXI.

Æquatio patrimoniorum.

In qua civitate frequenter tyranni erant, fert quidam legem, ut patrimonia æquentur.

SERMO.

Hæc quoque aliquoties tractata controversia est, et per summas digeri potest.

DECLAMATIO.

Primum incusamus legem non satis significanter scriptam, et multa obscura in se habentem: nam hoc non satis distinxit, utrumne patrimonia nunc demum æquari oporteat, an quoties aliquod eminebit; an si vere remedium id solum pro republica est, perpetuum esse debeat: et ideo lex repudianda, quia hoc non satis dispexit. Si hæc vis est legis istius, ut sit de æqualitate patrimoniorum; idem census omnibus detur; omnes pæne dies, omnia tempora necesse erit in hac partitione consumi, si quis frugalius vixerit, si quis luxuriosius vixerit. Est præterea contra leges omnes scripta hæc lex: quippe nullum jus non ita compositum est, ut suum quisque habeat, et alieno abstineat. Sed ne servari quidem potest: quid enim futurum est? prætereo illud, quod aliqui negotiabuntur, aliqui acquirent, aliqui frugaliter vivent? quæ ratio relinquendæ hereditatis erit? quæ ratio testamentorum? quum is, qui creverit hereditatem, continuo non plus sit habiturus, quam cæteri, et

Digitized by Google

divisurus cum his, qui non eumdem honorem supremis defuncti tabulis habuerunt[1]? His adjiciamus, quod etiam inutilis est, duabus præterea causis: nam et frugalitatem eorum, qui servaturi sunt, imminuet, et luxuriæ eorum, qui consumpturi sunt, prospiciet: cur enim quisquam servet, tam perditurus aliena luxuria, quam sua? cur enim non quisquam abutatur? Hæc de ipsa lege dixisse satis erat, remota temporum æstimatione: nunc videamus quid sit, propter quod ponatur. Frequentes tyranni sunt: primum, quam iniquum est, ideo quod aliquos improbos habeas, exui patrimoniis paternis atque avitis eos etiam, quos bonos esse cives constabit? nam si tyrannidem timemus, erat aliquanto æquius in personas eorum, qui possent reipublicæ esse suspecti, dirigi actiones, quam pœnam esse publicam, metus, ut dicitis, publici. Adjice, quod ne præcipua quidem causa est affectandæ tyrannidis, magnitudo facultatum. Quin ex diverso facilius aliquando occupaverint tyrannidem hi, quorum fracta ratio[2], quorum clauda fortuna, et qui stare republica salva non possunt. Deinde adeo non inhibetis ista re tyrannidem, ut si qui in civitate nostra dementes sunt, etiam causam habituri sint affectandæ tyrannidis: nam si quis tyrannidem occupat, ut aliena bona possideat, quanto facilius ad tyrannidem perveniet, ut sua vindicet, sua recipiat?

1. *Eumdem honorem habuerunt.* Solemnis locutio, quia ignominiæ species erat exheredari. Vide Gronov. ad Senec. de Tranq. Anim. c. 11; et ita sæpe in jure romano, v. l. III, §. 3, ff. de legat. præst. l. V, §. 6, eod. et alibi: hinc sæpe in antiquis titulis, *quos testamento meo honoravi*, quales collegit Fabret. Inscr., cap. III, p. 152, et alium dedit Fontaninus de Antiquit. Hortæ, lib. I, cap. 9, p. 184. Ita *injuria* vocatur exheredatio l. 8, ff. de inoffic. test. Burm.

2. *Fracta ratio.* Horat. Sat. II, 3, 18: «Postquam omnis res mea «fracta est.» *Conturbatæ rationes* etiam dicuntur ad Petr. c. XXXIX.

Digitized by Google

CCLXII.

Maritus virginis raptor.

INJUSTI REPUDII SIT ACTIO. Qui habebat uxorem, rapuit virginem: nuptias rapta optavit: ille repudiavit uxorem: agit illa injusti repudii.

DECLAMATIO.

Lex injusti[1] repudii maxime necessaria ad continenda matrimonia, et his præcipue moribus, quibus finem tantum necessitas fecit, super omnes leges tuenda est. Repudiatam ab hoc uxorem esse manifestum est: reliquum est, ut aliquid repudiatæ objiciat: ita demum enim potest esse justum repudium, si meruit id, quæ repudiatur. Ne ipse quidem tam impudens est, quamquam non desit audacia, ut crimen ullum fingat in uxorem: necessitate defenditur. Poteram dicere, aliud esse justum: nam lex injusti repudii spectat utramque personam: nec satis est id modo intueri, quid maritus facere debuerit; verum id quoque intuendum est, quid pati debuerit uxor: quare licet tu necessario repudia-

1. *Lex injusti.* Quintil. Inst. Orat. lib. VII, cap. 4, §. 38: « Simplicio- « res illæ cavillationes injusti repu- « dii, sub qua lege, controversiæ « illud proprium habent, quod a « parte accusantis defensio est, et « defendentis, accusatio, etc. » Illic omnes fere loci, qui in scholis tractari solent, summatim referuntur. Necnon ibi Fabius explicat, quibus fori actionibus et formulis respondeat. Injusti repudii aut malæ tractationis, rei uxoriæ actio est, quum quæritur, utrius culpa divortium factum sit. Cæterum de divortiis, causis divortiorum, et pœnis culpa divertentium, pleni sunt libri et oratorum et jurisconsultorum: inter quos vide Ulpian. in Fragmentis tit. de dotibus. ÆROD.

Digitized by Google

veris, hæc injuste repudiata est: hæc dicerem, si non tua culpa accidisset, ut repudiares. Sed miror, si in [1] hac civitate diligentissima juris, ulla lex contra alteram scripta est; aut hoc prudentissimi constitutores juris non viderunt. Quomodo necesse est, quod justum non erat? rapta, inquit, nuptias meas optaverat: non est hoc tale, quale si diceres, tyrannus coegit; quale si diceres, aliquis, cui potestatem dederat respublica, hoc jussit; senatus, aut populus pertinere id ad rempublicam existimavit: ut rapta repudiare coegerit, ut cogi posses, tu fecisti. Et ipsum hoc repudii tempus male computas: tunc repudiatam tu credis uxorem, quum res suas sibi habere jussa est? quum egredi de domo? uxorem tunc repudiasti, quum rapuisti; quum potestatem huic legis adversus te dedisti; quum egisti, ut raptæ adversus te liceret, quantum adversus cælibem licet. RAPTA RAPTORIS MORTEM, VEL NUPTIAS OPTET: hanc potestatem adversus te vitiata habuit. Ecquid intelligis jam non esse uxorem [2], quæ non obstat? Ego te adeo non puto defendi hoc genere patrocinii posse: ut quocunque alio modo dimisisses uxorem, meliorem tum causam fuisses

1. *Miror si in hac.* Elegans forma loquendi, qua negamus, non putamus id fieri posse. Calpur. Flac. Decl. IV: « Mirabar, si quis tantum « sceleris auderet. » Curt. lib. VIII, cap. 7, §. 14: « Miraris, si liberi « homines superbiam tuam ferre « non possumus. »

2. *Ecquid intelligis jam non esse uxorem.* Quasi dicat, non sola optio sufficit, ut statim veluti ipso jure, uxor raptoris esse incipiat: sed et jurejurando et decreto magistratus opus est. Prius igitur uxorem aliam repudiasse, culpa est mariti, et ideo injusti repudii agi potest: Altera lectio et restitutio nostra, nec conjectura caret: nam cui uxor est domi, hujus potius mors quam nuptiæ optari possunt: sic ut electioni raptæ præscribi posset. Si non uxorem habeo ÆROD. *Tam non esse uxorem quæ obstet.* SCHULT. *Ecquid intelligis non in eam non posse uxorem, cui alia obstat;* vel *quæ non obstat,* marg. Ærod. ipse *uxorem, quoniam optat,* in textu.

Digitized by Google

habiturus. Egregia hercule defensio! dico, repudiasti uxorem pudicam, obsequentem, fidelem; respondes mihi, sed rapui; sed alienam domum expugnavi. Pessimus maritus videreris, si amorem in aliquam meretricem deflexisses; si ancillarum cupiditas a geniali toro avocaret. Jam tum non eras maritus, quum animus tuus spectabat vacantes; et hoc si tantum libidine et cupiditate fecisses, repudiatæ tamen causa ad te rediret. Quid si ne credibile quidem est, nisi eo pacto factum hoc esse, ut tibi raptori ignosceretur? an vero tu in tantum periculum venisses, ut raperes maritus, ut crimini tuo hanc quoque adjiceres invidiam? Nisi succurritis, judices, inventum est, jam quomodo uxores optimas repudiare liceat. Prospicienda tantum virgo est, rapienda est: cæterum defendemus istud, quod nullo genere licet facere, licet specie necessitatis. Præter hæc, illud quoque, judices, intueri oportebit, quo maximorum istis criminum aliqua tamen vindicta contingat: per se indignum erat, raptorem impune fecisse: indignum erat, injuste repudiatam esse uxorem; utrique crimini una pœna erit, levis quidem [1]. Et sane habeat hoc lucrum magna nequitia, quod non fere puniri pro meritis potest: ab illa quidem rapta vindicabit nos [2] ipse.

1. *Utrique crimini una pœna erit, levis quidem.* Quum bis, inquit, puniri eum oporteret, et quia unam rapuit, et quia alteram culpa sua repudiat: quæ duo crimina, suam pœnam habent legitimam et separatam. Nunc minus odiosa sit hæc agentis mulieris actio, quo utriusque criminis pœna erit unica, et ea quidem levior, quia pecuniaria, quam mariti injuste divertentes, uxoribus præstant. De hac pœna Plutarc. in Romulo; Justinian. in l. consensu. et l. ult. C. de repud. Apud Athenienses dotis etiam usuras præstabat maritus, et quædam frumenti annua; Demosthenes κατὰ νεαίρας. Ærod. Francius legebat, *et levis quidem.*

2. *Ab illa quidem rapta vindicavit nos ipse.* Scribe, *ab illa quidem rapta vindicabit nos ipsa. Ab illa*, puta, nequitia, me vindicabit ipsa rapta, si nempe inane votum fecis-

Digitized by Google

CCLXIII.

Ignominiosus contra tres rogationes.

QUI TRIBUS ROGATIONIBUS CONTRADIXERIT, NEC [1] TENUERIT, IGNOMINIOSUS SIT. Duabus quidam rogationibus contradixit; non tenuit: tertia rogatio ferebatur, qua ignominia remittebatur notatis: contradixit et huic; non tenuit: dicitur ignominiosus.

DECLAMATIO.

QUI TRIBUS ROGATIONIBUS CONTRADIXERIT, NEC TENUERIT, IGNOMINIOSUS SIT. Lex manifesta[2] (fortasse supervacuum ista dicere, verumtamen permittit lex et hoc dicere) justa. Quis majore ignominia dignus est, quam homo inquietus, qui publicis utilitatibus ter obstiterit? qui ne metu quidem ignominiæ ad silentium compelli, saltem tertio potuerit? ergo de lege dubitari nihil potest. Videamus, an hic in legem inciderit: tribus rogationibus contradixit: num fallimur numero? num aliquid adversus istum mentimur? non, ut opinor, ipsum saltem dicere ausurum: bis jam contradixerat; bis non tenuerat: proxime dixerat: non tenuisse eum scimus. Ergo si lex ignominiosum vult esse eum, qui ter contradixerit, nec tenuerit; quomodo ignominiosus inve-

se judicetur, et amissa virginitate marito careat. GRONOV. Si postea cum ea aget, ut nunc cum sua fecit; nisi vos exempla in eum edatis. SCHULT.

1. *Nec tenuerit. Non*, id est, obtinuerit. Decl. CCCLXXI, *nec pro te tenuissem*. Schulting. ad Senec. Controv. VII, p. 115; ita Liv. III, 29: « Patres tenuere, » et ita ille sæpe. Vide Manut. ad Cicer. ad Fam. I, 1, ita *causam tenere*. De quo Torr. ad Horat. Ep. I, 16, 43, et Gronov. ad Liv. XXIV, 3.

2. *Lex manifesta*. Scribe, *manifeste*. Cætera recte se habent. GRON.

Digitized by Google

niri profecto non poterit? non negat se in hanc legem incidisse; sed eadem rogatione, cui contradixit, solutum esse contendit: placuisse enim publice, ut omnibus ignominiosis nota remitteretur. Non miror istum tam frequenter contradicere: vim legum parum perspicit: quo pertineant rogationes, aut dissimulat, aut ignorat. Ferri profecto rogatio, quoties pœna aliqua remittitur, non potest, nisi de his, qui pœna jam tenentur: id vel cogitatione ejus, qui tulit rogationem, vel æstimatione populi, vel ipsa rei natura perspiciamus. Is, qui ferebat rogationem, num aliquid cogitare de eo potuit, qui non erat ignominiosus? non, ut opinor: neque enim hic jam ter contradixerat rogationi: nec an tertio contradicturus esset, divinare poterat: ergo qui ferebat rogationem, nihil de eo cogitavit. Populus, quum in consilium mitteretur, et miseratione hominum moveretur, de his cogitavit, qui ignominiosi jam erant: fortasse motus est numero, fortasse motus est personis, fortasse motus est causis. Hic neque in numero esse poterat; nondum enim ignominiosis accesserat; neque causa miserabilis, qui ne damnatus quidem esset: neque persona[1]: ergo nec qui ferebat rogationem, nec qui accipiebat, de hoc cogitaverunt: nunc ipsam rei naturam intueamur. Quid remitti potest, nisi quod creditur[2]? hæc rogatio nihil aliud fuit, quam ignominiosorum in pristinum statum restitutio: nondum eras in ea fortuna, ut restituendus esses. Sed eodem, inquis, tempore ego

1. *Neque persona.* Hic tale quid desidero, « Quia humilis et abjectus, nulliusque in republica auctoritatis, qui quum jam duabus rogationibus contradixisset, nunquam obtinuit. » Æmon.

2. *Quid remitti potest, nisi quod creditur?* Numquid *tenditur?* aut *intenditur?* Gronov. *Nisi quod creditum*, Obrechtus, in textu, sed in emendationibus *meritum*. Nil mutem, nam præced. congruit *creditur*.

Digitized by Google

ignominiam merui, quo remissa est : postea dicam, quam dignus ista sis ignominia : interim ista temporis computatione excludo : quamvis enim ea rogatio recepta sit, cui tu tertio contradixisti; ante tamen rogatio recepta est, quam tu ignominiosus esse cœpisses : lex enim quid dicit? QUI ROGATIONI TER CONTRADIXERIT, NEQUE TENUERIT, IGNOMINIOSUS SIT : de præterito et de perfecto jam transactoque tempore loquitur. Quum de rogatione ageretur, contradicebas; nondum eras ignominiosus; nondum enim rogatio erat : at quum recepta est rogatio, tum, quia non tenueras, ignominiosus esse cœpisti : illud etiam adjiciendum videtur, neminem unquam digniorem fuisse ignominia, quam te[1] : viderimus enim, quales illæ fuerint rogationes, quibus antea contradixisti : utiles utique : receptæ sunt enim, et pro republica placuerunt. Enimvero huic aliquis rogationi contradicit tam misericordi, tam leni, quæ civium numerum ampliat? si alius quilibet contradixisset, inhumanam rem fecisset : at tu istud contradicis, ne ignominiosi restituantur, homo extra periculum[2] positus. Dignus es ergo, ut patiaris ea, quæ pati omnes voluisti : nisi forte sic intelligimus istam receptam rogationem, ut nemo sit unquam omnino in civitate nostra ignominiosus. An id vel populus voluisset[3], vel ille, qui ferebat? abrogasset potius hanc legem, quam novam constituisset : rogationem appellaret de his tantummodo

1. *Quam te. Quam tu*, Ærod. Vid. inf. Decl. CCCXXI.

2. *Homo extra periculum positus.* Quia si obtinuerit, infamis non erit : sin rogatio recepta sit, dicet eadem se omni nota liberari. Ænon. *Homo non extra p. p.* SCHULT.

3. *At si id vel populus voluisset.* Novum jus hoc quod constitueret, inquit, legem, quæ dat formam futuris negotiis, et omnes homines comprehendit, potius appellasset, quam rogationem, quæ fere de singulis, et præteritis cavet. Æn. *An id vel populus voluisset*, edit. aliæ, quod cum Burm. et Bip. prætulimus.

Digitized by Google

latam, qui erant ignominiosi : illis remisit istam veniam. Fortasse isti placebunt, si plures inciderint in eamdem sortem, in eamdem conditionem.

PARS ALTERA

DECLAMATIO.

Idem tempus est ignominiæ meæ, et receptæ rogationis : nam natura prius est, ut ego non teneam, quam ut recepta lex sit ; nam, si ego tenuissem, lex recepta non esset ; quoniam non tenui, recepta lex est : igitur ignominia mea præcessit tempus rogationis. Prius apud animos suos constituerunt homines, non parere contradictioni meæ, quam rogationem receperunt. Antequam tabella referretur, antequam excuteretur numerus populi, ego jam non tenueram : rogatio nondum erat recepta, nisi posteaquam dinumeratæ sunt populi sententiæ. Hoc ergo tenuit : atque etiam si hoc tempus mihi non remitteret totam ignominiam ; lex tamen, quæ ignominiosos vacare omni nota voluerat, remiserat mihi duas illas contradictiones : non enim facit ignominiam tertia contradictio, sed tres : quod si duæ illæ præcesserant, quæ majorem partem ignominiæ conficiunt, id quod jam me premebat, remiserant.

Digitized by Google

CCLXIV.

Fraus legis Voconiæ[1].

NE LICEAT MULIERI NISI DIMIDIAM PARTEM BONORUM DARE. Quidam duas mulieres dimidiis partibus instituit heredes. Testamentum cognati arguunt.

DECLAMATIO.

Antequam jus excutio, et vim legis, quæ per se satis manifesta est, intueor, primum illud apud vos dixisse contentus sum: adsum testamento. Eventum huic legi dabit religio vestra, et excussa parte utraque, sententiam formabit: interest tamen supremæ hominis voluntati legem favere, ut quod de bonis suis constituit in supremis dominus, fecerit jure. Nec me confundit, quod ex diverso sunt propinqui: jactent, ut volent, sanguinis conjunctionem: ego intelligo, quasdam fuisse causas, propter quas is, qui hos cognatos habebat, aliis moreretur heredibus: ac si in hac parte haberent fiduciam, arguerent testamentum tamquam impium, tamquam inofficiosum. Nunc apparet, neque de personis earum, quæ heredes sunt institutæ, dici apud vos posse; neque

1. *Legis Voconiæ.* Ex hoc tandem loco fit manifestum, ut accipi id oporteat, quod ab aliis auctoribus, absque ulla speciali nota, scriptum est de coercendis ex lege Voconia mulierum hæreditatibus. Atque adeo mulieri non solum quartam, uti ex Dione colligebatur, sed dimidiam totius hereditatis relinquere ex lege licuisse: ut jam nullus Augustino fuerit tam acriter in Voconium Saxam invehendi locus, si quale caput hoc legis fuit, ex Quintiliano cognovisset. ÆMOD. Videnda eruditionis plena clarissimi Perizonii Dissertatio II, de lege Voconia, in qua etiam argumentum hujus Declamationis illustrat.

Digitized by Google

eorum, qui sibi contra testamentum vindicant, merita proferri: solum enim jus excipiunt, et circa legem calumniantur. Quæ lex tamen qualis est? ne liceat mulieri plusquam dimidiam partem bonorum suorum relinquere. Etiamsi forma judicii unius est, apparet tamen vobis cum legibus esse litem: quæro igitur ab istis, utram eligant, in qua malint consistere: neque enim litigant de bonorum parte, sed totum arguunt testamentum: incipiamus igitur ab ea, quæ prior scripta est. Quid in hac parte testamenti vitiosum est? vetatur plusquam dimidiam partem bonorum relinquere, dimidiam partem patrimonii accipi[1]. Excutiemus postea, quale sit illud, quod consequutum est: interim hoc jus firmum est, nec everti sequentibus potest. At enim jus quidem illa habuit capiendi: sed ea, quæ postea scripta est, non habuit: iterum interrogabo, quare? quoniam plusquam dimidiam partem patrimonii relinquere feminæ non potuit: atqui hæc quoque non plusquam dimidia parte patrimonii heres instituta est: nec video rationem, cur id, quod illi capere licuit, huic non liceat, quum in eodem scripta sit testamento. Manifestum est nihil posse calumniæ admittere verba legis ac scripti: nunc peritissimi litium homines ad interpretationem nos juris adducunt: non enim hanc esse legis voluntatem, quæ verbis ostendatur, videri volunt: quorum ego prudentiam, judices, magnopere miror: tantum vicerunt illos majores nostros, illos constitutores juris, illos, qui rudem civitatem legibus ac jure formarunt; ut hoc approbare conentur, defuisse his sermonem, defuisse consilium. Ac prius quam rationem ipsius legis excutio, interim hoc dico, judices; perniciosissimam esse civi-

1. *Accipi. Accepi.* Pith. *Accepit.* Schult.

Digitized by Google

tati hanc legum interpretationem : nam si apud judicium[1] hoc semper quæri de legibus oportet, quid in his justum, quid æquum, quid conveniens sit civitati; supervacuum fuit scribi omnino leges. Et credo fuisse tempora aliquando, quæ solam et nudam justitiæ haberent æstimationem : sed quoniam hæc ingeniis in diversum trahebatur, nec unquam satis constitui poterat, quid oporteret, certa forma, ad quam viveremus, instituta est. Hanc illi auctores legum verbis complexi sunt : quam si mutare, et ad utilitates suas pervertere licet, omnis vis juris, omnis usus eripitur : nam quid interest nullæ sint, an incertæ leges? Lex illa complexa est; ne plus liceat, quam dimidiam partem mulieri relinquere : neutri ex his, quibus adsumus, plus dimidia parte relictum esse manifestum est : et apparet potuisse legum latorem, ut, si partem demum patrimonii pervenire ad feminas vellet, partem utique viris relinquere, id ipsum caveret : neque id magno aut difficili circuitu effici potuit : sed vel sic scripta lege, non plusquam dimidia pars patrimonii ad feminas perveniret. Interrogo enim; si pluribus feminis, sed minores aliquanto portiones reliquerit, quæ tamen computatæ, et in unum contractæ plusquam semissem patrimonii efficiant; quæro, an moveri lis possit? nam si movetur lis, non hac, ut opinor, lege litigabitur, qua plusquam dimidiam partem patrimonii relinquere feminæ non liceat, quum ex illis nulla dimidiam partem acceperit : sive ad totam nos vocas computationem, nihil interest quantum cuique feminæ relinquatur : quid? si ne ratio quidem repugnat scripto, et verbis legis istius? quid enim putas voluisse legislatorem, quum hoc jus constitueret? ne

1. *Apud judicium. Apud judices*, Ærod.

Digitized by Google

feminæ nimias opes possiderent, ne potentia earum civitas premeretur: hoc ergo adversus singulas constituit, et ad evitandas opes feminarum, satis hoc quæsitum[1], ne uni plusquam dimidia pars patrimonii relinqueretur. Cæterum quidem illud non caverunt leges, ne plures feminæ eodem testamento scriberentur; non hercule magis quam illud, ne plures hereditates iisdem feminis relinquerentur.

CCLXV.

Ignominiosi pulsator in templo.

SI QUIS IN TEMPLO INJURIAM FECERIT, X MILLIA DET EI, CUI INJURIAM FECERIT; DECEM MILLIA CIVITATI. IGNOMINIOSO NE SIT ACTIO INJURIARUM. Quidam ignominiosum pulsavit in templo: decem millia petit magistratus, nomine civitatis.

DECLAMATIO.

Si pudor commendandus est, cujus difficillima ratio est in lite pecuniaria, non nobis litigamus, ac ne reipublicæ quidem et civitatis nomine avari sumus: et hæc omnis actio non tam lucri gratia, et acquirendæ hujus pecuniæ constituta est, quam in ultionem deorum immortalium, et templi, ut proprie dixerim, expiationem. Nec minus manifestum jus est, quam integer pudor: lex enim palam scripta est, ut is, qui in templo injuriam fecerit, decem millia det civitati: mihi hoc satis

1. *Satis hoc quæsitum*. Cl. Schultingius dictum putat ut apud Tacit. *Quæsitissimas opes*, et de quo vid. ad Petron. cap. CXIX.

Digitized by Google

est, qui civitatis nomine litigo. Sed totam legem a nobis pars diversa legi desiderat: decem millia, inquit, ipsi, qui injuriam acceperit, decem civitati; et hoc excludere tentat civitatem, quod ipse, qui injuriam acceperit, non habeat actionem. Sane contumeliosus, et pro cætera morum suorum petulantia, adversus magistratum vestrum, audax, qui præscribere tentet civitati, tamquam ignominiosæ: facile, ut opinor, constabit, nihil ad nostram actionem pertinere, quam legem habeat ipse, qui pulsatus sit. Existimemus enim esse aliquem non ignominiosum in templo pulsatum, sed vel dedisse hujus injuriæ veniam, vel alio aliquo impedimento agere noluisse; num ideo ne civitas quidem jus suum tuebitur, ut omnia impune fecerit? Verum ne ipse quidem adversarius tantum in exemplo fiduciæ habet, quantum in ipsa injuriæ interpretatione: nos enim injuriam dicimus esse, quod ignominiosum pulsaverit, cui actio non est. Ego, judices, plurimum interesse existimo, utrum quid facere liceat, an vindicare non liceat: non enim continuo, si ignominioso actio non datur, licet adversus ignominiosum, quod quisque velit: tale est ignominiosum pulsare, quale furtum sine teste facere, ut damnari quidem non possit, admittere tamen non debuerit. Quin ex hoc ipso, quod ignominioso actio non datur, apparet esse reipublicæ actionem: quid enim lex eripuit, si ejus demum rei non dedit actionem, quam facere licuit? non autem jus peccandi adversus ignominiosos dari, uno, et brevi, et manifesto videor argumento probaturus. Quem pulsare licet, occidere licet: atqui ignominiosum si quis occiderit, cædis lege tenebitur: quare? quoniam actio hujus necessario ad alium pertinet: apparet ergo non tibi aliquid adversus

Digitized by Google

ignominiosum licuisse, sed ignominioso nihil pro se licere: itaque ignominiosus non agit tecum injuriarum[1]: tu tamen injuriam feceris; et hoc ad pœnam ejus vitæ ac turpitudinis pertinebit, quod tu non dabis pœnas peccati. Hæc dicerem, si ubicunque pulsasses ignominiosum: nunc ut injuria non sit aliquo loco pulsasse ignominiosum, injuria tamen est in templo pulsare. Nam si id est utriusque nostrum confessione injuria, quod manifestum est, non esse jure factum; ut tibi jus fuerit alibi pulsandi ignominiosum, quod non esse jam docui, in templo pulsandi jus non fuit. Hæc ego ita dicerem, etiamsi omnis ista ultio pertineret ad eum, qui injuriam accepisset: nunc res duplex est: crimina duo sunt ejus, qui in templo pulsatus sit[2]. Quid enim lex dicit? qui in templo injuriam fecerit, decem millia denariorum det ei, cui injuriam fecerit; decem millia civitati. Non si hæc juncta atque contexta sunt, continuo unius legis habent vim et proprietatem: id sic cognoscite: duos actores[3] habent; nec potest videri una lex, cujus pars ad privatum, pars ad rempublicam pertinet. Ergo si juncta sunt ista, ut dixi, duas causas habent: pars est legis ejus, quæ vindicat templum: ergo ut remittatur tibi ea, quæ pertinet ad templum[4], restat ea, quæ pertinet ad civitatem: duæ enim sunt injuriæ in

1. *Ignominiosus non agit tecum.* Scribe: *non aget.* Id est, non habebit jus agendi. Gronov.

2. *Crimina duo sunt ejus, qui in templo pulsatus sit.* Lego: *pulsaverit.* Gron. — *Quod enim.* Editt. Var. et Bip. *quid,* nobis assentientibus.

3. *Duos auctores habet.* Malim: *actores.* Pith. An *duas auctoritates,* quia sequitur, *duas causas habent.* Schult. *Id sic cognoscite, duos auctores habent. Hæc potest,* marg. Ærod.

4. *Ut remittatur tibi ea, quæ pertinet ad templum.* Immo ea non remittitur, nam quæ pertinet ad civitatem, eadem vindicat templum. Scribe: *quæ pertinet ad pulsatum.* Gron. *Ut remittantur tibi ea, quæ ad privatum pertinent, restant ea quæ pertinent ad templum; restant ea q.* Ærod.

Digitized by Google

hoc tuo facto, et ideo duæ pœnæ. An vero iniquum videri potest, eum, qui in templo pulsaverit, decem millia civitati dare? quid enim magis in ulla republica curari observarique oportet, quam religionem? sane petulantia aliis locis mediocrem habeat reprehensionem: in templo vero, in quo verbis parcimus[1], in quo animos componimus, in quo tacitam etiam mentem nostram custodimus, pulsare velut in solitudine, secreto quodam, non est ferendum. Dic nunc, ignominiosus erat: sed in templo. Captis[2] urbibus, vis hostium ac metus religione templorum defenditur: qui jam arma ferre non possunt, qui salutem suam tueri fuga nequeunt, circa aras jacent. In templo pulsasti hominem: rem petulantem fecisti inter sacra, fecisti religiosissimo loco: et utcunque, temeraria licet, aliqua ratio tamen appareret facti tui, si impetu lapsus esses, si ductus ira: nullam petulantiam magis odi, quam quæ propter hoc se exserit[3], quia putat licere. Est sine dubio et hoc ipsum dignum odio, persequi hominem fortasse infelicem, verecundum certe, quod confessus sit. Sane mereatur

1. *Verbis parcimus.* Forte deest *petulantibus*, vel *inhonestis*, vel *ominosis*, vel *male ominatis*, Henr. Steph. Epist. ad Dalechanp. XII, p. 50, et mox leg. *intactam etiam mentem.* Almel. Sed potest simpliciter capi, ut sit idem quod *favemus linguis.* Unde et *pascere linguam* antiquo sermone pro *parcere*, dicebant. Vid. Fest. in *pascito linguam*, id est, coerceto; Horat. Od. III, 14, 11. Burm.

2. *Sed in templo captis.* Magnum momentum hæc acute dicta in distinctionibus habere recte sensit Pithœus. Id et hinc agnoscas licet. Sic autem et Ærodius, quum tamen interpungendum sit: *Dic nunc, ignominiosus erat; sed in templo.* (Supple mente, *erat.*) *Captis urbibus, vis hostium ac metus religione templorum defenditur.* Gron.

3. *Exserit.* An *exseritur*, nisi mavis *exercetur.* Schult. Vid. ad Declam. XIII, 6; sed ego mallem cum Ærodio, *quam quæ propter hoc se exserit.* Ut lib. IV, Inst. Orat. c. 1, §. 55: « Fiducia se ipsa nimium exserere non debet. » Seneca de Clem. lib. I, 19: « Est illi mos exserere se in parvis, » ubi et *exercere* alii. Burm.

Digitized by Google

ille pœnam ulteriorem : manibus tuis parce, parce animo tuo : aut certe relinque istius impudentiæ locum. Respicere[1] ad ictus tuos coegisti patres fortasse, qui vota faciebant, tumultuosa lite aliqua : nescio an etiam publica sacra turbasti[2]. Quomodo enim cecidisse te existimemus, qui faciebas hoc, tamquam liceret?

CCLXVI.

Ex proditore exsule, fortis.

BIS DE EADEM RE AGERE NE LICEAT. In quadam civitate proditionis damnatus, missus est in exsilium. Bello eadem civitate laborante, revocati sunt exsules. Is, qui proditionis damnatus fuerat, fortiter fecit. Petit ut iterum causam suam agat. Accusator præscribit, quod bis de eadem re agere non licet.

SERMO.

Initia communia habet controversia. Præmium peto lege concessum sine exceptione. Sequuntur et illa, ut justum quoque sit, virum fortem optare, quod velit. Secunda illa quæstio est, an contra legem optare liceat : in qua illud dicere solemus, nullum præmium posse inveniri, quod non contra legem aliquam sit : et ideo magnam esse virorum fortium potestatem, quia supra jura omnia sit. Deinde comparabimus etiam legem, et dispiciemus utram servare magis e republica sit, si utique altera tollenda sit. Postea veniemus ad id quoque, an utique ista præscriptio valere

1. *Respicere.* Quod in sacris ominosum. Vide ad Virgil. Ecl. VIII, 102, Serv.

2. *Sacra turbasti.* Et hoc ominosissimum. Vid. Serv. et alios ad Virg. III, 407; et VIII, 109; et D. Heins. ad Sil. XV, 440. Ne mens turbaretur, sacrificantes caput velabant. ED.

Digitized by Google

debeat semper, hoc est, an etiam in publicis causis, bis de eadem re agere non liceat. In quod illud dicetur; privatis litibus, quoniam et minus momenti, et plus numeri habeant, succursum esse hac lege; publicas actiones majores esse, quam ut cadant exceptione. Insequetur denique illud, ut dicamus, etiamsi in aliis publicis causis, bis de eadem re agere ne liceat; non tamen eam conditionem esse proditionis: quomodo in cæteris fortasse de pœna tantum et periculo quæratur ejus, qui accusatur: in causa proditionis, de totius civitatis discrimine litigetur. Illud quæramus, an ista præscriptio ad eos tantum pertineat, cum quibus agitur; patiente eo qui accusatur, liceat bis agere.

DECLAMATIO.

Putemus[1] te esse, qui velis accusare, reum non contradicere: quis tamen prohiberet, quo minus[2] interim accusarer? Ergo quod tibi liceret facere, me patiente, necesse erit, me optante.

SERMO.

His excussis quæstionibus, veniemus ad æquitatem. Dicemus hoc esse pro nobis, dicemus hoc esse pro republica.

DECLAMATIO.

Opto, ut causam iterum dicam: nec me fallit, quam multa præteream, quæ mihi lege concessa sint. Sed quis tandem me innocentem, quis dignum conversatione vestra putaret, si aliud optarem? est pro me: non enim et tum ideo tantum defensus sum, ut in civitate

1. *Putemus.* Continuat Ærod. hæc cum sermone.

2. *Interim accusarer.* Legendum videtur, *iterum.* Pith. *Quis tum prohiberet, quo minus iterum accusarer,* Ærod.

Digitized by Google

remanerem, ut essem vobiscum: sed ut probarem me innocentem, nihil contra patriam meam esse molitum: et nunc non est satis, si mihi ignovistis, si me civem vestrum publica necessitas fecit. Ego vero si merito damnatus sum, si quid tale, quale contra me pronunciatum est, feci; non utor isto beneficio: non est pro me, sed est pro civitate. Homicidii damnatus, etiamsi merito exsulabat, si revocatus est, potest de eo dici, satis dedit pœnarum: alia scelera finem suppliciorum acceperint. Vos proditorem in civitate sinetis esse? Quum toties bella interveniant (non dico de extremo illo discrimine) tantine est metus quisquam? toto animo adversus hostem nisi, non respicietis? non expavescetis? est pro republica. Sed accusatoris quid interest? aut quid est, cur iniquiore conditione dicturus sum hodie causam, quam antea dixi? tum detulerat eum, cui nihil objici posset: hodie defert damnatum. Hoc in primis mihi objiciet, quod contra me sententias tulerint sanctissimi judices, quod proditorem me esse pronunciaverint: objiciat, et sic defendam. Et ne quis me, judices, sic audiat, tamquam ego de his querar, qui pronunciaverunt: si istud invidiosum judicibus esset, poterat videri non immerito præmio meo aliquis obstare: sed non semper judicum culpa est, quum innocens damnatus erit: aliquando testis corrumpitur: aliquando parum diligenter causa defenditur: aliquando reo nocet et ipsa fiducia. Vultis scire hoc non pertinere ad judicum pudorem? nemo contradicit, nisi accusator.

Digitized by Google

CCLXVII.

Flens ad arcem, depositor tyrannidis.

AFFECTATÆ TYRANNIDIS SIT ACTIO. Qui tyrannidem deposuerat sub pacto abolitionis, juxta arcem flens deprehensus est: affectatæ tyrannidis reus est.

DECLAMATIO.

Non fui, judices, dubius eo tempore, quo pœnitentia juvenilis temeritatis rempublicam legibus ac potestati reddidi, quin mihi multum vexationis, sive ab iratis, sive ab invidis immineret: nec enim iste accusator hodie futuræ tyrannidis in judicium descendit: nec mihi ullum imminere periculum ex eo crimine, quod intentatur, intelligo: quapropter et initio actionis, et per omnem orationem nihil magis faciendum mihi esse intelligo, quam ut invocem publicam fidem; ut id, quod remisistis, cujus oblivisci optimum putastis, non intra verba modo, primumque promissum steterit; sed penitus animis, ac mente impetrasse videar. Reliqua adeo longe a suspicione affectatæ tyrannidis aberunt, ut propius spectent ad posteriorum temporum pœnitentiam. Lacrymas quidem miras! si his in judicio[1] temporibus, etiam in hac pace et tranquillitate, degendum

1. *Lacrymas quidem miras! si his in judicio*, etc. In Burmann. edit. hæc ita se habent: *Lac. quid. meas, si hic in j.* quæ quum nullum sensum probabilem efficerent, sic restituimus ex Obrechti emendatione, quam secuta est et edit. Bipont. *In judicio* autem *degere* est, morari, ut Cicero dixit « habitare « in foro. » En

Digitized by Google

est, quum sint exorandi adhuc animi, multorum sustinenda malignitas : hæc mihi omnia arx fecit. An ego possum non flere, quoties cogito, quos habuerim parentes, quam domus famam, quas spes adolescentiæ infelici temeritate, damnandis cupiditatibus, everterim, ut sentio, in perpetuum? nihil est enim quod accusator meus simulatione quadam, ad ea quæ [1] præteriere, obliqua malignitate objicere conetur. Ego me fecisse quod nollem, et scio, judices, et confiteor : et quamdiu vixero, semper hoc animo, tota mente inhærebit : neque enim illas, quæ me tetigerant suspiciones, pertinere ad præsentem defensionem puto, securissima republica : nec quid illud fuerit, an alienis cupiditatibus obstiterim, dum meas, simul omnia [2] ista absoluta esse credo, eo tempore, quo inter me remque publicam convenit, ut hæc omnia memoriæ exciderint, ut non ad leges, non ad odium pertinerent : tunc certe laudabatis. Sed quemadmodum apud vos moderationis famam consecutus sum, ita apud me ipsum : hæc quoque gravis verecundia animo fuit, quod videbar hoc fecisse tamquam moderator. Quid postea? satellitesne contraxi ad arma? habui ante divisam pecuniam? aliquid inter amicos continui? quid objici mihi potest in futurum, quum præ-

1. *Ad ea quæ præteriere.* Scribe : *quod accusator meus, simulatione causæ, et ea, quæ præteriere, obliqua malignitate objicere conetur.* Id est, dum videtur, et præfert hanc se causam agere, oneret me invidia præteritorum, quæ abolita et condonata sunt. *Obliqua malignitas,* ut *obliquis orationibus et edictis,* Suetonio ; *obliqui carminis æstus,* Statio. Gronov. *Dissimulatione quædam et ea quæ pr.* Schult.

2. *Dum meas simul omnia.* Ærodius corrigit et supplet : *dum meis indulgerem. Simul omnia.* Fortassis : *an alienis cupiditatibus obstiterim, dum meas finio : omnia ista absoluta esse credo.* Suspicionem movet ipsam ob tyrannidem depositam, quosdam sibi succensuisse, qui scilicet illius invidia peccabant. Ut faciat non alienum a fide, accusatorem inter hos esse potuisse. Gronov.

Digitized by Google

sertim affectatio tyrannidis multa crimina, et quæ non conjectura colligi oporteat, verum manifesta deprehendat? Apparet, inquit, cupiditas tua; fles enim juxta arcem. Si confiterer depositæ potestatis illius pœnitentiam, dicerem tamen aliud esse affectare tyrannidem, aliud cupere : verum quid signi, quid argumenti istæ lacrymæ habent? flere miratur aliquis hominem? Sed juxta arcem fles: num ego possum continere lacrymas, quoties illum locum video, a quo tam libenter descendi? illic mihi succurrit infamata adolescentia : quoties arcem vidi, succurrit, inde has inimicitias[1]. Sero me, accusatores, deprehendistis : quantum me putatis flevisse, antequam descenderem? istius enim affectus argumentum lacrymæ habent. Cæterum affectare tyrannidem, sperantis est (erectioris animi sunt ista crimina), fletus, remissi, fatigati. Tu id mihi criminis ejus argumentum vis videri, cujus desperatio est : quæro enim ex te, unde istum fletum putes? nam si affecto, si spero, si redituram me ad ea, ex quibus invitus descenderim, puto, quæ causa lacrymarum est? Si vero hoc est, quod animum meum torqueat, quod ex illo fastigio descenderim, quod ex æquo vivam, quomodo affectare possum, quod scio mihi non posse contingere? Eodem revolvatur oratio necesse est, unde cœpit : ego publicam appello fidem, quæ inter piratas sacra est; quæ inter armatos hostes inducias facit; quæ deditarum civitatum jura conservat : qualecunque istud est, promisistis, censuistis : ac de me quidem nihil : mihi enim jam tædio vita est : jamque hæ lacrymæ quotidianæ accesserunt prope ad vota mortis. Illud videte, an si aliquem reipublicæ error, aut fortuna, si quem aut consilium aliquod, aut

1. *Succurrit inde*, etc. *Succurrunt inde hæ inimicitiæ*, Ærodius.

Digitized by Google

temeritas miserit[1], detis locum pœnitentiæ; permittatis emendari; velitis meliores fieri cives.

CCLXVIII.

Orator[2], *medicus, philosophus.*

Contendunt orator, medicus, philosophus de bonis patris, qui testamento eum heredem reliquerat, qui se probasset amplius prodesse civibus.

DECLAMATIO.

Lex contentionis, et formula, et omne præscriptum ex testamento patris pendet: cujus vis non est ea, ut

1. *Aut temeritas miserit.* Credo, *si aliquem reipublicæ error aut fortuna, si aut consilium aut temeritas immiserit.* Hoc est, si quis per errorem aut fortunam, etc. rempublicam invaserit, tyrannidem occuparit. Gron. *Aut temeritas tyrannum miserit.* Ærod.

2. *Orator.* Quintil. hujus controversiæ meminit Inst. lib. VII, cap. 1, §§. 37-39: « Multis millibus versuum, « inquit, scio apud quosdam esse « quæsitum, quo modo invenire- « mus, utra pars deberet prior dice- « re; quod in foro, vel atrocitate « formularum, vel modo petitio- « num, vel novissime sorte dijudi- « catur. In schola quæri nihil atti- « tinet, quum in declamationibus « iisdem narrare, et contractiones « solvere, tam ab actore, quam a « possessore, concessum sit. Sed « in plurimis controversiis ne inve- « niri quidem potest; ut in illa, Qui « tres liberos habebat, oratorem, « philosophum, medicum, testa- « mento quatuor partes fecit, et « singulas singulis dedit: unam ejus « esse voluit, qui esset utilissimus « civitati. Contendunt: quis primus « dicat, incertum est: propositio « tamen certa: ab eo enim, cujus « personam tuebimur, incipiendum « erit. » Et cap. 4, §. 39: « Fingun- « tur et testamenta, in quibus de « sola quæratur, ut in controver- « sia, quam supra exposui, in qua « de parte patrimonii quarta, quam « pater dignissimo ex filiis reliqueu- « rat, contendunt philosophus, me- « dicus, orator. » De hac parte hic agitur, non de omnibus bonis paternis: ait enim, *ut hanc, quam in contentione reliquisse videtur partem*, etc. Ærod. Vide et Fortunatian. pag. 43. Schult.

Digitized by Google

quæratur, quæ professio ex nostris speciosissima, quamquam sic quoque vincerem, sed quæ civitati sit utilissima: nihil est ergo, quod ingenia jactent, nihil quod ex animo suo tantum referant. Quæritur quis omnibus prosit: sit philosophia res summa; ad paucos pertinet: sit eloquentia res admirabilis; non pluribus prodest, quam nocet: sola est medicina, qua opus sit omnibus. Et patrem quoque nostrum id voluisse, ut hanc, quam in contentione reliquisse videtur, partem, quodammodo civitati daret, manifestum est: non sibi utilissimum, non amicis utilissimum, non de patre optime meritum, proprie quid ferre ex testamento suo voluit; qui fuerit utilis civitati: ergo et æqualiter ad omnes medicina sola pertinet, et nulla tam necessaria est omni generi hominum, quam medicina. Reliqua conferamus: ac mihi primum agendum est cum fratre philosopho, cujus ego in hodierna contentione propositum mirari satis non possum: nihil enim videtur habere philosophia præstantius, quam quod modicis contenta est, ampliores opes non desiderat: nam si cupiditates easdem, quas cæteri habent[1], non video, quid prosit. Neque me præterit, judices, quam multa dici adversus hanc professionem ab his soleant, quorum libertatem non impediunt personæ: quippe hos illi et vanos vocant et otiosos, et in ambitum ipsum, contra quem maxime disserere videntur, alligatos[2]. Mihi cum fratre quæstio est: hæc ergo leviora dixisse satis est, philosophiam non esse necessariam. Ego autem mores[3] nasci puto, et propriam

1. *Cæteri habent.* Lege: *quas cæteri, habet.*

2. *Alligatos. Illigatos* mavult Schultingius; sed sic *alligari ad rem* sæpe Fabius dixit. Vide ad Declam. I, 6 *ad mœrorem alligat.*

3. *Ego autem mores. Ego enim m.* Ærod. Hæc ex Stoicorum disciplina illustrat Lips. ad Senec. de Otio Sapientis, c. 41.

Digitized by Google

cujusque naturæ virtutem : alia forsitan discantur : quædam experimentis cognoscenda sunt : boni mores constant voluntate : id patere diversis utriusque partis exemplis potest : nam et optimos viros citra philosophiam fuisse constabit, et studiosos sapientiæ usque ad ultima exempla scelerum nequitiæque venisse : non enim, ut opinor, ex istorum scholis abstinentiam didicere Fabricii, Curii ; nec, ut mortem contemnerent, Decii consecuti sunt, nec vetera horum explicando monumenta. Tulit [1] civitas populi romani liberatores Brutos, tulit Camillos, antequam ulla istius artis simulatio [2] irrepereret. Jam vero si ex diverso intueri placeat, quis ignorat ex ipsa Socratis, quo velut fonte omnis philosophia manasse creditur, schola, evasisse tyrannos et hostes patriæ suæ? non est igitur necessaria philosophia. Atqui enim ut studio perveniri ad sapientiam possit ; via tamen ejus incerta est : namque ut omnes in unum philosophos contraham, non tamen inter eos constare potest, quæ potissimum secta discenda nobis ; quibus præceptis parendum sit : pugnant inter se, atque dissentiunt ; et perpetuam hanc per secula litem trahunt : aliis summum bonum, voluptas habetur : quidam id in nuda virtute posuerunt : nonnulli miscere ista conati sunt, atque confundere ; et ex bonis corporis animique, et eorum, quæ extra essent, ad finem vitæ beatæ perveniri posse existimaverunt : delectavit quosdam modus [3] omnium.

1. *Nec vetera horum explicando monumenta tulit.* Dele τὸ *nec*, et distingue : *Nec, ut mortem contemnerent, Decii consecuti sunt vetera horum explicando monumenta. Tulit civitas populi romani.* Gron.

2. *Artis simulatio.* Sic JCti veram, non simulatam, philosophiam profiteri se dicunt. l. 1, ff. de Inst. et Jur. Schult.

3. *Delectavit quosdam modus hominum.* Sed quid est *modus hominum?* lege *modus omnium*, id est, ex sententia sapientis Chilonis, vel cujuscunque alius ; *ne quid nimis :* et μέτρον ἄριστον. Sidon. Apollin.

Digitized by Google

Jam vero quanta circa deos pugna? quidam nihil agi sine providentia credunt: alii curam deorum intra sidera continent: quidam in totum deos sustulerunt: quidam quum hoc erubescunt, cura vacare utique dixerunt. Hi nos ad administrationem reipublicæ hortantur: illi nihil periculosius civilibus officiis credunt: quosdam videas odio pecuniæ ferri, nudos expositosque, veluti ad provocandas calamitates: sunt qui voluptates non animi modo, sed etiam corporis, inter præcipua ducant bona. Quibus credam? quibus accedam? quidquid probavero, plures negaturi sint: nec porro quæcunque præcipiuntur, stare possunt: ergo et non necessariam esse philosophiam, et difficilem electionem esse dicimus: atque inter ipsos etiam plerosque philosophos constat vix posse percipi. Neque ego ignoro esse quosdam, qui quamquam nomen sapientiæ facile atque avide, ut sic dixerim, dederunt: tamen quidam[1] sapientiam ex fabulis reipublicæ tunc[2], et inter eos qui studuerunt, qui elaboraverunt, nullum adhuc inventum esse confitentur. Verumtamen, ut aliqua etiam de

Carm. II, 158: « Modus optimus « esto. » Horat. Sat. I, 1, 106: « Est « modus in rebus, etc. » Hinc *aurea mediocritatem* vocat idem Od. II, 10, 5: et quæ infinita in hanc rem produci possent. Vide Erasm. in Proverb. p. 508: μηδὲν ἄγαν. Burm.

1. *Tamen quidam.* Alii, *quædam sapientem ex tabulis reipublicæ tantum.* Locus est valde corruptus. Pith. Sapiens, inquit, adhuc inventus est nemo, ex quorumdam etiam philosophorum sermonibus: sive eos laudare licet, qui primi in rep. versati sunt, ad quos tamen hæc laus maxime pertineret, ut de septem Sapientibus Græcorum refert Plutarchus in Solone: sive eos spectes, quos sejungentes se ab omni civili administratione, somniare potius, quam philosophari dicit Plato de Rep. lib. V. Æron.

2. *Sapientiam ex fabulis reipublicæ tunc.* Recte Ærodius *sapientem. Quidam sapientem, et ex tabulis reipublicæ tunc*, Ærod. *Nomen sapientis facile, etc., tamen quidam sapientiam ex fabulis repetunt*, Obr. Nec expedit se ex hoc loco Cl. Schulting., nisi quod legat, *etiam sapientiam ex fabulis repetunt.*

Digitized by Google

universo loquamur; quis usus ipsorum virorum[1]? militiæne utiles, an civilibus officiis? quid in his deprehendas, præter fictam frontem et perpetuum otium, et quamdam ex arrogantia auctoritatem? Verum sint ista, ut dicitur, magna: ego hæc ad formam legemque paterni testamenti voco: quid civitati prosunt? amputant vitia: nimirum nemo luxuriosus est, nemo pecuniæ cupidus. Hæc de philosopho dixisse satis est: transeamus ad oratorem; quem intelligo fiducia eloquentiæ ad hanc descendisse causam. Multum se valere in judiciis putant: rapiunt malas aliquando causas: et sane si justitia valeat, quid est eloquentia? quid ergo civitati conferunt? illa enim sane remittamus: omne circa verba studium, et, quum rerum natura beneficio suo ita homines instruxerit, ut nulla res non voce[2] explicetur, supervacuum quemdam in exornando laborem: eodem redeunt omnia. Quid civitati profuisti? advocatione tua defensus est aliquis; sed læsus, qui ex diverso erat: eripuisti periculo reum; unde scio, an nocentem? Innocentia quidem per se valet: damnatus est aliquis accusante te; unde scio an eloquentiæ vitium sit? Quid ego de privatis loquor? civitatum status scimus ab oratoribus esse conversos: sive illam Atheniensium civitatem, quondam late principem, intueri placeat, accisas ejus vires animadvertemus vitio concionantium: sive populi romani statum excutere voluerimus, nonne gravissimas seditiones, nonne turbidissimas conciones eloquentissimus quisque habuit[3]? Nonne illi Gracchi

1. *Ipsorum virorum.* Non placet illud *virorum*, quum *ipsorum* sufficiat sententiæ. Cæterum similia his de philosophis Fabius Instit. lib. I, 1; et XII, 1; et alibi tradit. Burm.

2. *Nulla res non voce.* Contrarium docet Fabius, lib. X, 1, et alibi.

3. *Quisque habuit. Habere* recte ad *conciones*, sed ad *seditiones* minus bene referri potest. Scimus

Digitized by Google

ad evertendam rempublicam, his veluti armis succincti, accesserunt? Quid ego dicam, quantum civitati profuerit eloquentia? sibi nocuit. Summos utriusque partis oratores videamus: nonne Demosthenem illum, oppressum veneno suo scimus? nonne Ciceronem in illis, in quibus toties placuerat, rostris pœnæ suæ expositum? Hæc dixisse satis erat: nam si civitati nihil utilitatis afferunt hi, cum quibus contendi; satis erat, relictum esse me solum. Aliqua tamen de medicina dicam; non mehercule jactandi mei causa, sed commendandæ artis ipsius, cujus auctores ante omnia accepimus deos: sive, ut maxime reor, ut hæc infirmitas hominum haberet adjumenta aliqua atque solatia; sive tantum huic arti tribuere majores, ut eam vix crederent humanis potuisse ingeniis inveniri; sive ipsa medicina per se [1] sacrum est: contendamus sane apud securos. Si quem (quod absit omnibus) subita deprehenderit valetudo, oratoremne consulet? Quid nunc ego enumerem, contra quot fortunæ injurias medicina advocetur? illam valetudinem, qua spiritus frangitur? an illam, qua visus periclitantur? an illam, qua vulnera curanda sunt? an illam, qua debilitati occurritur? removeam medicinam, tu philosophe, consolaberis? Quod hominum genus est, qui sexus, quæ ætas, quæ non utilitatem ex hac petat? Itaque, etiamsi medicina vinci fata non potuerunt, productus tamen usque ad eam [2] pater noster, qui tres liberos habebat.

quidem sæpe ita solere veteres uno verbo defungi, sed an hic non præstaret legere *aluit?* Burm.

1. *Per se sacrum est.* Τὸ θειότατον. Vide Meibom. ad Cassiodori Formulam Archiatri, pag. 41. — *Contendamus. Contemnamur sane apud securos.* Nam ægros minus decet. Schult.

2. *Usque ad eam.* Et hic quoque locus emendatione indiget. Pith. *Usque ad eam ætatem*, vel *usque*

Digitized by Google

CCLXIX.

Dives sub tyranno auctionatus.

Depositi sit actio. Pauper et dives amici erant. Pauperi duo filii adolescentes. Quum tyrannus esse cœpisset in civitate, dives facta auctione discessit. Rumor erat, pecuniam apud pauperem esse depositam. Tyrannus arcessiit pauperem: torsit ipsum, torsit et filios ejus. Quum ille pernegaret, penes se esse, dimissus est. Postea tyrannus occisus est: redit dives, petit pecuniam, quam se deposuisse apud pauperem dixit: et duos servos, quos solos exsilii comites habuerat, in quæstionem pollicetur.

DECLAMATIO.

Depositum peto: scio hunc esse ordinem probationis, ut primum ostendam habuisse pecuniam, quam deponerem: de hoc nemo dubitat: dives fui. Etiamsi me cupiditas amici ad duos servos redegit: aliquando tamen numerabar inter principes hujus civitatis: et ut sciatis pecuniam non satis esse, patrimonium meum detinet: si domum, si mancipia, si vendita esse omnia, si in pecuniam redacta constabit[1], superest, ut deponendæ pecuniæ habuerim causam. Fuisse me in metu fortunæ hujus, quam patior, manifestum est: nihil minus fuisse rationis, quam ut mecum pecuniam ferrem,

adhuc, mea scilicet opera, et ideo tale testamentum scripsit. Ita *producere* supra Del. CCLX, *prorogat producitque*. Schult.

1. *Redacta constabit*. Proprie utitur hoc verbo de rebus venditis, unde pecunia conficitur. Cic. Ver. II, lib. 2, cap. 19: « Qui præfuerunt « his Heraclii bonis, verbo redi- « gendis, re dispertiendis. » Liv. XXXVIII, ult.: « Nequaquam tan- « tum redactum est, quantæ summæ « damnatus fuerat. » *Cogere* dicit Terent. Heaut. I, 1, eodem sensu.

Digitized by Google

liquere omnibus credo: nec illud tantummodo dico, ne persequeretur tyrannus, ne quis itineris casus auferret, ne fugientem onus ipsum gravaret: potestis aliquid etiam ex ipso fugæ comitatu colligere: ne servos quidem amplius, quam duos duxi. Deponendi fuit ratio: proximum est, ut quæramus, apud quem deponendum fuit[1]: apud aliquem in civitate: quis amicior mihi, in quo plus esse fidei existimavi? hoc probandum diutius foret, nisi sciretis: constitit inter omnes. Dicat iste, quam multa volet, adversus famam, dum tamen constet nil aliud esse istam, quam sensum civitatis: si ab universis tamen ad singulos vocamur, et tyrannum testem dabo: illum quidem neque ego laudo; sed ipsa vitia ejus, ipsa scelera facient huic rei auctoritatem, ubi pecuniam credidit esse: qui quærebat, non dubitavit, ut torto tibi et perneganti non crederet; ut quæstionem usque in liberos minitaretur. Sed in tormentis, inquit, perseveravi: quam honeste feceras, si redderes. Sed et liberi perseverarunt: nam et tu fortasse propter illos perseverasti: neque ego dubito, quin prius istud a fide feceris, sed te male, ut sic dixerim, docuit patientia[2]: indignum putasti tam multa passum esse propter alienam pecuniam: illud certe manifestum est, hinc tibi venire fiduciam negandi, quod negasti: si tortus non esses, mihi illa sufficerent; pecuniam habui: deponere debui: apud

1. *Apud quem deponendum fuit.* Scribe: *Deponendi fuit ratio. Proximum est, ut quæramus apud quem. Si deponendum fuit apud aliquem in civitate, quis amicior mihi?* Gron.

2. *Sed te male docuit sapientia.* Ad id alludit, quod ex Medea dicebatur: Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. Μισῶ σοφιστήν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός, Euripides. Ærod. Unde illud *sapientia* habeat Ærodius nescio. *Patientia* habent editi. *Avide docuit*, Latinius. Etiam perperam: imitatur hic enim declamator illa Terentii ex Heautont. IV, 1: « Male « docet te mea facilitas multa. » Burm.

Digitized by Google

neminem alium deponere illam debui : sciunt servi mei : mutasti animum post istud tormentum. Si tamen tibi magnum videretur in tormentis esse momentum ; et isti torquebuntur : rem quidem facio miseram : do in quæstionem (jam dices mihi) servos : sed qui propter hoc servi sunt, ut torqueantur : alioquin non eram tam ingratus, ut in hoc nomine [1] adhuc eos detinerem, qui mecum soli fuissent : sustinebitis igitur tormenta, fidelissimi comites ; sustinebitis quæstionem, optime meriti ; sed ignoscite : facilius est egestatem ferre in hac natis : me onerat majorum meorum dignitas, onerat prioris consuetudo vitæ, onerat etiam fama [2] : et omnino de innocentia mea quæritur. Indebitam pecuniam ab amico peto : et hunc potissimum, quem calumniarer, elegi ; quum si effodit, si abscondit [3], quum, si hic vere pauper est, ne damnato quidem sim recepturus : rem incredibilem, et in qua me dementiæ crimine damnari necesse est. Ante omnia perdidisse me omnem pecuniam dico, ne dives esse possim : ideo demum mentior, ut mihi cum duobus servis tortis, si tamen quæstioni superfuerint, vivendum sit? si minus, soli, qualis in exsilio fui, qualis, quum tyrannum fugerem? Ego si calumnior amicum meum, graviorem pœnam ferre non possum : perdo quidquid peto : et quam causam irascendi tibi habui? quid tantum malefecisti mihi, ut ego non sim tormentis istius contentus? Scio dici simile aliquid etiam ex parte diversa : quem sibi usum fore pecuniæ dicet? Ante omnia hoc dissimile est : quod pauperi

1. *In hoc nomine.* Servos scil. alioqui manumisissem, et liberti dicerentur.

2. *Onerat etiam fama.* Ovidius, Ep. XVII, v. 167, vol. I, pag. 320 nost. ed.: «Fama quoque est oneri.»

3. *Si effodit, si abscondit.* Scribend. *si defodit:* et mox, *ne a damnato quidem.* Gronov. *Si effodi, si abscondi,* Ærod.

Digitized by Google

alioqui, et duorum liberorum patri, quæ res acerbiorem paupertatem facit, tamen secreta pecunia et abdita affert securitatem : nam ut possessiones non pares, ut familiam non emas, non laxiore habites domo, adversus fortunam tamen tutus es : tibi pecunia hoc præstat, ut sis pauper securus : adjice illud quod tu de longioribus temporibus cogitas : in summa, si vincis, aliquam tamen potes spectare rationem. Ego cur litigem, quid est? ut aliquid auferam? quid habes, nisi depositum? Ego me, judices, hanc pecuniam perdidisse scio : nam ut damnetis [1], quo manus mittam? perseverabit enim in ista simulatione homo, quem nec tormenta vicerunt. Omnis litis hujus causa mihi in hoc est, ut defendam pudorem meum : tu tamen inveni, ubi perdiderim nescis? quære : hi servi a me non recesserunt, hi conscii sunt omnium : hi mihi irasci possunt, si tormentis sine causa offeruntur. Non est tamen æquum, comparari fidem tormentorum : ex altera parte liberi, ingenui torti sunt, ex altera parte servi : non facit ista res pertinaciam, sed causa mentiendi. Ego quomodo dico, perseverasti, ut pecuniam lucrifaceres : spectasti sequentia tempora, spectasti lucrum. Sic tu dic, servi mei quid spectaturi sunt? quid ex hoc consequentur? Et vos quidem tyrannus, ut parcissime loquar, dimisit : tu arbitrio tuo torque : quidquid passus es, quidquid adjicere inveniendæ veritatis gratia potes, adhibe, dum spiritus erit, dum loqui poterunt. Quære, an negent : et si perseveraverint, aude dicere, homines in tormentis solere [2] mentiri.

1. *Nam ut damnetis.* Etsi damnatus erit, quo injiciam manum, ubi pecuniam reperiam, quam vindicem?

2. *Aude dicere, homines in tormentis solere mentiri.* Nam si id ausus sit dicere adversus servos divitis : ecce idem pauperi objicietur,

Digitized by Google

CCLXX.

Rapta ex duabus geminis.

QUI CAUSA MORTIS FUERIT, CAPITE PUNIATUR. Ex duabus geminis adolescens alteram rapuit: ea se suspendit: pater alteram eduxit ad magistratus, et præcipit illi, ut mortem raptoris optaret. Adolescens putavit eam esse, quam rapuerat: duci eum jussit magistratus. Postea compertum est, quod accidisset. Accusatur pater, quod causa mortis fuerit.

SERMO.

FACILIS et in promptu ratio est huic seni, quod pertinet ad affectum pœnitentiæ, quod pertinet ad æquitatem. Nisi tamen etiam jure defenditur, verendum erit, ne illum flentem judices damnent: diligenter ergo pugnare circa legem debebimus. Et sane asperiores in controversia, partes fortasse recti declamatoris relinquant [1]. Divisio pæne hoc proprium habet, ostendere ossa et nervos controversiæ: et secundum meum quidem judicium, idem præstare declamatio debet: nam sine his, de quibus loquutus sum, caro ipsa per se quid sit intelligitis: sed in declamatione vestienda sunt hæc, ut ex illis [2] interiores

Ergo et tu mentitus es, qui perseverasti. ÆNOD.

1. *Partes recti declamatoris relinquant.* Hoc est, Qui tractantes hoc judicium, asperiore controversia usi sunt, dum in raptorem duntaxat invehrentur, nec id potissimum refellerent, in quo totius litis et ossa et nervi consistunt, an videlicet hic causa mortis fuerit, parum fortasse recte declamantis officio functi sunt. Nam ut carne ossa et nervi, ita et æquitas jure et lege quodammodo vestienda est. Huc vero pertinet lex Ulpiani: « Nihil « interest occidat quis, an causam « mortis præbeat. » ÆNOD.

2. *Vestienda sunt hæc, ut ex illis.* Divinabam: *vestienda sunt hac, ut ex illa interiora vires habeant.* Ossa

Digitized by Google

vires habeant. Finiamus ergo necesse est, quid sit CAUSA MORTIS: tota enim lis, et omne discrimen controversiæ in hoc positum est. Nam si ad finitionem partis adversæ accedimus, ut causa mortis sit, qui attulerit causam alicui moriendi, per quem factum sit, ut aliquis moreretur; nullo modo defendere nos possumus. Neque enim dubitabitur, quin per hunc factum sit, ut ille moreretur, qui filiam ad magistratum perduxit; qui præcepit, ut mortem raptoris optaret: nos ergo causam id esse mortis dicemus, quod nullis extra accidentibus causis, mortem homini afferat, quod solum mortem homini intulerit. Deinde dicemus, si accedendum sit finitioni partis adversæ, frequenter etiam honestissima in hanc calumniam cadere posse. Subjungemus quæstionem, an possit quisquam accusari, quod causa mortis fuerit, in eo qui jure sit occisus. Sequitur quæstio, an hic jure sit occisus: post hæc, licebit nobis dicere illa quæ sola dicuntur.

DECLAMATIO.

QUI CAUSA MORTIS FUERIT, CAPITE PUNIATUR. Satis ostendit ipsa pœna, eum demum teneri hac lege, qui idem commiserit, quod si occidisset: neque enim gravius quidquam adversus eum, qui sua manu[1] interfecerit, constituere potuit legumlator, quam adversus eum, qui causam præstitisset: ergo et similitudine pœnæ, etiam crimen par exigere debetis. Hoc quo pertinet? ne existimetis veram illam esse finitionem, quam pars diversa complectitur: ut per quemcunque steterit, uti homo occidatur, is continuo causa mortis fuisse vi-

et nervi, inquit (hæc enim sunt *interiora*), vestienda sunt carne, ut vires habeant. Neque enim sunt vires, nisi σάρκας τε καὶ ὀστέα ἵνες ἔχωσιν, ut Ulyssi dixit mater apud inferos. GRON.

1. *Adversus eum, qui sua manu.* Transposita hæc videntur, et legendum: *Adversus eum, qui causam præstitisset, constituere potuerit legumlator, quam adversum eum, qui sua manu interfecerit.* SCHULT.

Digitized by Google

deatur. Alioqui ista ratione, et ille, qui nocentem accusavit, causa mortis fuit: et ille, qui testimonium in reum dixit, etiam si verum id fuit, causa tamen mortis haberi potest: et ille qui adulteros marito prodidit, causa mortis haberi potest: et ille qui sceleratum produxit in publicum. Cur igitur hi accusari ista lege non possunt? quoniam non per ipsos tantum stetit; quoniam jure perierunt hi, quibus mors allata est. Sed hanc partem reservemus: interim videamus, quid sit CAUSA MORTIS. Nos id dicimus causam esse mortis, quod homini mortem attulerit, quod solum nullis extra accidentibus causis noxium fuerit, quo homo periturus fuerit, etiam si nihil ipse fecisset: id quod dicimus tale est: intuendæ sunt res ipsæ, quæ in crimen deducuntur. Produxi filiam ad magistratum: quid hoc ad inferendam per se pertinet mortem? Præcepi, ut mortem optaret: detrahe quod ille raptor est; detrahe quod filia mortem raptoris optavit; ipsum quod ego feci, mortem homini afferre non potuit: non possum ego videri causa mortis homini fuisse: quid feci? quod innoxium erat, si nihil ille fecisset. Fingite enim hæc accidere potuisse: produxi filiam: optare mortem jussi: ignoret sane, quæ sit ad magistratus educta: si potest dicere, nihil tale admisi: nihil nocuerint ea, quæ ego feci. Quid ergo illi causa mortis fuit? quod rapuit, quod lex mortem constituit: et hoc pæne adversariorum confessione manifestum est: non agunt cum ea, quæ optavit. Neque ego sum tam durus ac demens, ut pro salute filiam meam periculo meo opponam: sed uti mihi hoc argumento licet, quoniam et illa tuta est: eadem enim, quæ dicuntur a me, ab illa dicerentur: optavi mortem: num tamen hoc nocuisset, si adversus alium fecissem? quemlibet ap-

Digitized by Google

prehendi ex turba circumstantium credite : hujus mortem optavit : num occidetur? non, ut opinor : non ergo ipsa optio in causa mortis est, sed id, propter quod optio valet. Tuta est hac defensione filia mea, et, ut dixi, sententia quoque accusatorum, secura. Quid mihi accidit supra hæc? unum adhuc patrocinium : non enim hoc tantum dico : si ille non rapuisset, causa mortis non fuissem; sed illud etiam [1], si filia mihi non paruisset, causa mortis non fuissem : hæc, si non jure occisus esset, si errore tantum perisset, dicerem. Nunc illud utique inter me et partem diversam conveniat necesse est, non posse eum accusari, qui unus vel attulerit mortem nocentis, si erit unus ex his, de quibus paullo ante loquebamur : vel accusator, vel testis [2], vel judex, vel index. Videamus igitur an jure raptor sit occisus, et sic agamus tamquam adhuc vivat, tamquam adhuc de eo quæratur, an occidi raptorem oporteat. Non educo alteram filiam ad

1. *Sed illud etiam.* Hæc usque ad *τὸ fuissem* restituimus ex edit. Rip. omissa in Hack. et Burm. nempe quæ sensum absolutum et constructionem plenam efficiunt. Ed.

2. *Vel accusator, vel testis.* Certum est hic relata fuisse singula singulis, de quibus in initio Declamationis : *Alioqui ista ratione et ille qui nocentem accusavit*, etc. Sed illud *vel videam*, quod eo referri oporteret, *et ille qui adulteros maritis prodidit*, quid plane significet ignoro. Meminit certe Quintilianus hujus loci, lib. VII, cap. 3, § 32-33 : « Hæc finitio est accusatoris : Per « quem factum est, ut quis perierit, « causa mortis est : rei est : Qui fecit « quid sciens, per quod homini per« ire necesse esset. Remota fini« tione, accusatori sat est dicere : « Causa mortis fuistis : per vos enim « factum est, ut homo periret, quia « nisi vos illud fecissetis, viveret. « Contra, non statim per quem fac« tum est, ut quis periret, is dam« nari debet, ut accusator, testis, « judex rei capitalis. Nec undecun« que causa fluxit, ibi culpa est : « ut si cui quis profectionem sua« serit, aut amicum arcessierit trans « mare, et is naufragio perierit : ad « cœnam invitarit, et is cruditate « illic contracta decesserit, etc. » Fieri vero potest, ut quum ita scriptum esset, *vel accusator, vel testis, vel judex*, in margine aliquis adnotasset, *vide an index*, quod in textum irrepserit. Aut saneita legamus, *vel judex, vel index*. Atque etiam illo loco Quintiliani mallem *index rei capitalis*, quam *judex*.

Digitized by Google

magistratus: nihil ut optet, præcipio. Filia mea vitiata est: ob hoc periit: dico raptorem occidi oportere: nec statim nitor illa æquitate, ut dicam, quod justum sit, eum, qui intulerit injuriam, interfici, quum perierit illa, quæ accepit: de jure ipso loquor. Lege comprehensum est, ut RAPTA RAPTORIS MORTEM, VEL NUPTIAS OPTET: ut opinor, una causa legis fuit, ut de raptore secundum voluntatem raptæ constitueretur. Alioqui multa accidere possunt, propter quæ rapta non optet: fingamus vitiatam esse eam, quæ loqui non possit: num impune injuriam fecit, quoniam miseræ fecit? nutum nempe ejus, aut vultum, aut aliquod signum animi intueri oporteret. At id non est optio, nec satis verba legis explebuntur: occideretur tamen raptor, si id velle raptam intelligeremus. Fingamus valetudinem consequutam raptæ, ut ea educi ad magistratus non posset: deerit aliquid legi: vindicari tamen eam tanto magis oportet, quod credibile erit, etiam ipsam valetudinem ex injuria natam. Quod si non utique, ut ex his manifestum est, vocem raptæ exigi oporteret, sed solam voluntatem: videamus tamen, an quæ rapta est, mori raptorem voluerit. Plusne vobis videretur, judices, si apud magistratum locuta esset, quam quod ad magistratum venire non ausa est? quod oculos suos ostendere circumstantibus, ostendere luci non potuerit? ipsa sua manu vitam misera punivit. Davires: occidet prius, quæ propter hanc injuriam perit: dubium est scilicet, quid factura fuerit, si vixisset? raptorem ergo perire oportuit: jam fortiter dico: quid interest, quomodo perierit? Cur ergo, si hoc modo poterat occidi, falso alteram filiam eduxi? Dicerem, luctus confundere[1], si lice-

1. *Dicerem, luctus confundere.* Lege meo periculo: *Si dicerem,*

Digitized by Google

ret, dolor suadebat : ignosceretis tamen : nunc mihi necessarium consilium præsens injuria dedit. Duas filias habueram, rapta erat altera[1] : altera perierat : munienda domus fuit : et voce potissimum alterius virginis, soror vindicanda, ne quis dubitaret, quid factura esset injuria sua. Partis quidem adversæ impudentiam mirari satis non possum : causam mortis esse existimant eum, propter quem perierit; quum eum cui causa mortis fuerit, occidi oportere constet : et raptorem periisse indignantur, quum certum sit filiam meam propter raptorem periisse. Hoc isti causam mortis vocant : cur ergo occisum vindicari oportet, quem certum esset, si viveret, occidi oportere? Et hæc omnia, quæ pro causa mea dixi, quibus collegi, me non esse obligatum huic legi, non temporis causa, nec præsentis periculi fingere me, vel ex eo manifestum est, quod raptorem aliter occidi : nam si id esset causa mortis, quod isti videri volunt, hac lege me ulcisci potuissem[2]. Jamdiu me, judices, circa jura morari scio, longeque recessisse a paternis affectibus : ergo ego[3] in ultionem filiæ meæ nihil feci, nisi quod licuit : adii magistratus : fortiorem puellæ vocem imperavi, quia tutum erat[4]. Ego vero totos in

luctus confuderat; si dicerem, dolor suadebat, ignosceretis tamen. Gronov. *Dico rem, luctus confundere; si dicerem, dolor suadebam*, etc. Schult. Delr. ad Claudian. de Nupt. Honor. legit : *Si dicerem, luctus confuderat, liceret. Dolor suadebat, ignosceretis tamen nunc mihi; necessarium*, etc. sed ad Senec. Med. v. 659, *confundebat* cum Ærodio legit, cæterorum vero non pœnitet.

1. *Rapta erat altera. Rapta non erat*, Schult. *Rapta erat altera, et perierat, altera munienda domus fuerat.*

2. *Me ulcisci potuissem. Non potuissem*, Schult.

3. *Ergo ego.* Videntur transpositæ periodi et legendum, *Adii m. f. p. v. i. q. tutum erat. Ergo ego*, etc. Schult.

4. *Quia tutum erat.* Scribo : *Fortiorem puellæ vocem imperavi, quam tutum erat :* quam confideres eam perferre posse. Gronov.

Digitized by Google

medium profero affectus; nec mihi in cogitatione tum lex fuit; nec jura respexi: sed quæ proxima vindicandæ infelicis filiæ via occurrit, hanc intendi, hanc sequutus sum: bene cessit, quod et licuit. Age, si non habuissem, quam educerem ad magistratus, cujus vice me ulciscerer, non in publico, non in foro his me senilibus manibus vindicassem? tu, fortuna, facies quod occurrerit; jam non potes efficere, ut pœniteat. Filiam perdidi: scio hoc minimum esse malorum meorum: sunt, qui gravius esse unum de filiis perdere, quam unicum; sunt, qui gravissimum existimant unicos perdere: et quoties non habeant solatium, ad quod respiciant, calamitatis videtur sine medicina dolor: hoc gravius est, judices, perdere alteram e geminis: quotidie mihi occurrit imago funeris mei: quo magis placet filiæ verecundia, quo magis probitas, hoc validius subeunt cogitationes: talem miser perdidi. Si tamen hoc vulnus intulisset fortuna, si casus, communi mortalitatis conditione solarer me: nunc miser filiam quomodo perdidi? ante omnia nec virginem, nec nuptam. Quales ego infelix vultus, cæsos alioqui laceratosque, ac laqueo tumentes, pater vidi! qui me metus, qui intus æstus agitant? quæ fuit verecundia illa, quæ ultionem exspectare non potuit? horret animus recordari, refugiunt cogitationes. Misera quid passa est! nec sane in causa raptus, amor fuit; non propositum matrimonii, non cupiditas nuptiarum: nihil horum cogitavit, qui nescit, quam rapuisset.

Digitized by Google

CCLXXI.

Ter fortis contra tertium fortem.

Pauper et dives inimici erant. Pauperi unus filius : diviti tres : fortiter pugnaverunt. Pauperis filius, et unus ex divitis filiis, e lege fortes armis contenderunt : occisus est divitis filius. Iterum alter divitis filius cum filio pauperis fortiter fecit ; et de præmio dimicans, occisus est. Tertio bello quoque is, qui residuus erat divitis filius, fortiter fecit ; et idem ille pauperis filius. Dives prohibet filium pugnare : non parentem abdicat.

SERMO.

Prima[1] illa communis omnibus fere ex abdicatione pendentibus controversiis quæstio, an utique necesse sit facere filio, quidquid pater jusserit : in iis tamen controversiis, quibus de præsenti agitur, non de præterito. Duo enim genera scitis esse abdicationum[2] ; aut objicitur, quare fecerit filius aliquid : aut objicitur, quare non faciat. Asperius est illud genus abdicationum, in quo jam præteriit crimen, nec emendationem recipit. In hoc lenius versantur patres, et filii paullo liberius, in quo est emendationis locus.

1. *Prima.* Hinc usque ad, *Primo filio pugnare permisisti*, omnia continuat et sermoni adscribit Ærodius, et inde demum Declamationem inchoat.

2. *Duo enim genera scitis esse abdicationum.* Citavi antea locum e Quintiliano, lib. VII, cap. 4, § 27, huic omnino similem : « Abdicationum, « inquit, formæ sunt duæ : altera criminis perfecti : altera velut « pendentis. Illa semper asperam « abdicantis actionem habet : immutabile est enim quod factum « est. Hæc, ex parte blandam, et « suadenti similem : mavult enim « pater corrigere, quam abdicare. « At pro filiis, in utroque genere « summissam, et ad satisfaciendum « compositam. » Ærodius.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Ergo non omnia necesse est facere liberis, quæcunque patres imperant: multa sunt, quæ fieri non possunt: et ideo judicium constitutum est adversus abdicantes, quoniam recipiebat natura, ut etiam patres aliquando aut errarent, aut injuste imperarent.

SERMO.

Illis argumentis adjuvari solet hæc quæstio.

DECLAMATIO.

Si imperes filio[1] ut sententiam dicat, contra quam existimat: si testimonium jubeas dici ejus rei, quam ignorat: si sententiam in senatu: hæc magis civilia[2] et in medio posita, si ex nostra[3] libertate argumenta repetenda sunt: si Capitolium me incendere jubeas, arcem occupare; licet dicere, hæc sunt, quæ fieri non oporteat.

SERMO.

Secundo loco quærimus, an abdicari posset propter id, quod facere vult e lege.

DECLAMATIO.

Postea videbimus jus istud: utrum tale sit, ut per-

1. *Si imperes filio.* Et hæc sermonis esse videntur. Pith. *Si* hic positum pro *quid si*, ut Declamat. CCLXXXI, circa finem bis. Schult.

2. *Hæc magis civilia*, usque ad, *repetenda sunt*, videntur sermonis verba esse. Deinde *si Capitolium*, etc. Declamationis. Schult.

3. *Si ex nostra.* An, *si in nostræ libertatis argumentum*. Ita Declam. CCLII bis, *in argumentum maleficii*: et *in argumentum causæ*. Sch.

Digitized by Google

mittat mihi pugnare[1]: an tale, ut jubeat etiam interimere[2]. Si utor mea potestate, non debeo tamen incidere in pœnam hujus offensionis.

SERMO.

Tertio hoc loco quærimus illud, an pugnare viris fortibus etiam necesse sit. Hæc quoque quæstio in multis controversiis tractata est. Secundum nos erit scriptum legis.

DECLAMATIO.

Si plures fortiter fecerint, de præmio armis contendant: jubemur pugnare: cogimur etiam, si ego noluero. Hoc enim acturi sumus, ut me [3]adversarius timere putet. At enim de præmio jubet contendere: et si præmium remittitur, non est necessaria pugna. At id ipsum lex complexa est, ne præmium remittatur, quum de præmio contendere armis jubet.

SERMO.

Post hæc dicemus, domi etiam[4] honestam esse hanc contentionem: adjuvabimus propositionem nostram, ipsius patris judicio.

DECLAMATIO.

Primo filio pugnare permisisti: iterum quamvis experimentum triste, quod nunc maxime mihi oppones, jam haberes, pugnare tamen permisisti. Quid est, cur de me pessime sentias? omnis abdicationis causa ex

1. *Permittat mihi pugnare. Non pugnare.* SCHULT.

2. *Interimere. Interimi*, vel *interimere, si non utar mea potestate*, etc. SCHULT. *Ut jubebat etiam. Interim etsi utor mea potestate*, Obr.

3. *Ut me adversarius. Ne me adversarius* SCHULT.

4. *Domi etiam. Domui*; id est familiæ, ex qua occisi fratres. SCH.

Digitized by Google

timore tuo pendet: et est quidem istud inconsultum, et sibi repugnans, abdicari filium indulgentia patris; et aliquem carere liberis, orbitatis metu. Verum hanc quoque detrahere tibi sollicitudinem volo: erat[1] illud, quod a bono patre et a pio[2] dici posset, etiam si periculosum sit, tanti est mihi. Non tam me ducit gloria militaris, nec fama victoriæ: vindicandi mihi fratres sunt. An ego, qui paullo ante arma (ignoscat patria, ignoscant leges) minore sacramento tuli, et contra hostes sine respectu meo sanguinisque pugnavi; ubi mihi vindicandi sunt fratres, et duo fratres, non pugnabo? non vel discrimen vitæ subibo? ego accederem tuo consilio, si timerem. Sed multa sunt, quæ me faciant fortiorem: ante omnia adversarius jam fatigatus est: cogita quoties pugnaverit: non dico quid fecerint hostes[3]: non inde ceciderunt fratres mei: fortiorem me faciet melior conscientia: fortiorem me faciet et causa pugnæ. Ille pro præmio pugnaturus est, quod jam bis accepit: ego pugnaturus sum pro fratribus, pro pietate: fortiorem me faciet et fortuna: solet fatigari; solet, posteaquam nimium indulsit, in fine deficere. Facit me fortiorem etiam usus quidam: pugnantem illum sæpius vidi: scio quid maximum fratrem meum fefellerit; quomodo is, qui secundo loco pugnabat, deceptus sit. Illud autem plusquam verecundum et erubescendum nobis est:

1. *Erat illud. Erat*, et *fuit*, verba sunt, quibus aliquem vita defunctum significabant. Pith.

2. *Quod a bono patre et a pio.* Legendum: *Erat illud, quod bono patri et pio dici posset: Etiamsi periculosum sit, tanti est mihi.* Sunt enim verba filii ad patrem, non patris ad filium. *Tanti est mihi* præmium, tamen operæ pretium est.

3. *Quid fecerint hostes.* Fortasse: *Non dico, quid fecerim in hostes: non inde ceciderunt fratres mei.* Ut bene speres de meæ pugnæ eventu, non allegabo apud te, quæ adversus hostes dedi fortitudinis specimina: nam ab illis quoque fratres victores redierunt. Gronov.

Digitized by Google

pauper pugnare filium suum non vetat. Quantum tu adjicis illi animi, quod times? sed forsitan et incautiorem illum faciat hæc ipsa fiducia. Illud scio, favebit pugnanti mihi populus: scio futurum, ut dii immortales stent pro mea parte: non solus mihi stare videbor: habebo in commilitio fratrum meorum animas: si quid est in animo præsagii, si quid in mente ipsa spei, concipio victoriam: neque aliunde hæc pertinacia venit: non precibus tuis, non minis terreor. Alioqui quid agis abdicando me, nisi ut non pugnem incolumi rerum mearum statu? cogitabo de victoria, cogitabo de vindicta: si vero cum hac me infamia dimittis, jam nunc dico, arma dimittam.

CCLXXII.

Orbata proditrix.

QUI CONSILIA PUBLICA NUNCIAVERIT [1], CAPITE PUNIATUR. Ad colligendum filii corpus nocte processit mater: comprehensa ab hostibus, et torta, indicavit auxilia venire: quibus oppressis, de vinculis effugit, et nunciavit cuniculum agi: oppressis hostibus, rea est quod consilia publica nunciaverit. C. D.

SERMO.

Potior in hac causa controversia, quam lis est. Lis enim circa unum factum versatur: in qua illæ sunt quæstiones,

1. *Qui consilia publica nunciaverit.* Lege et hic et mox, *enunciaverit.* GRONOV. Et ita Schultingius correxerat: recte: hoc enim proprium in hac re verbum: vide Gronov. ad Liv. IX, 16. Sic Justinus « enunciare initiorum sacra: » et Cicer. de Orat. I, 47: « Mysteria « enunciare: » et ita passim alii. BURM.

Digitized by Google

an hoc enunciare sit? an etiamsi hoc est enunciare, quisquis enunciavit, puniendus sit? an hæc punienda, quod enunciaverit? Cæteræ vero controversiæ majorem cumulum habent: occisum præsidium, et oppressus hostis; et filius ille; et hac causa egressa portas. Hæc themata tractanda sunt omnia: sed curæ habendum, ut suo quidque loco tractetur.

DECLAMATIO.

QUI PUBLICA CONSILIA ENUNCIAVERIT, CAPITE PUNIATUR. Possum mirari, judices, hac lege ream esse feminam: neque ideo dico, quoniam non etiam gravius punienda sit, si mentem prodendæ reipublicæ, perdendæ civitatis in hoc sexu deprehenderimus: sed publica consilia quomodo in feminam ceciderint, invenire non possum: quam quidem ego postea affectus necessitate merito defendam, interim defendere verbis legis volo. Nam ut confiterer sic enunciari consilia, satis poterit tamen vindictæ in eam expensum videri per tormenta: deinde nec consilia enunciasse videtur, quæ nobis rursus quid hostis ageret, nunciavit: quid enim dicitur fecisse? indicasse venire auxilia: hoc neque nostræ civitatis est consilium, neque ullius alterius jam tantum consilium [1]. Enunciare vero aliud esse, quam confiteri, nemo adeo ignarus est loquendi, ut nesciat:

1. *Neque ullius alterius jam tantum consilium.* Neque, inquit, hoc civitatis nostræ consilium fuit: externa enim erant auxilia, non domestica. Ergo publica consilia non enunciavit: quum sua cujusque populi civitatisque sint publica consilia, civiliaque jura: nec sunt publica Romanorum, quæ sunt Latinorum, aut aliorum sociorum publica consilia. At vero, ait, neque illius alterius civitatis, unde veniebant auxilia, jam tantum consilium fuit, sed ad actum pervenerat: veniebant socii, aderant, in ipsa erant expeditione. Profectionem igitur, non consilium profectionis enunciavit. Hoc crimen apud Græcos τῆς ἐπαγγελίας appellatur. ÆROD. Qui *illius* affert loco τοῦ *ullius*.

Digitized by Google

enunciatio voluntatem habet, et animum non coactum: confessio expressam dolore multo necessitatem. Sed intelligo, non eam esse personam, de qua loquimur, ut satis sit eximere eam accusationi: volo ire per singula, quum tamen illud prius interrogavero vos, judices, an eadem ira, eademque pœna dignos putetis eos, quos fortuna, quos vis, quos dolor coegerit confiteri aliquid; et eos, quos odium reipublicæ, spes prædæ, amor hostis in hanc egerit proditionem. Quod si nullo modo apud quemquam bonorum virorum potest videri simile, jam et quemadmodum in hostes inciderit, videbimus, et quanta necessitate confessa sit: ac satis erat primum illud dicere, quæ filium in prælium misit, cujus partus et sanguis in prælio stetit: cujus filius, dum nihil carius habet patria, dum propulsare hostem, vel morte sua, vel sanguine, vel postremo corpore ipso morari studet, spiritum pro nobis in certamine amisit, ita profecto institutus, ita a matre dimissus: hanc accusari æquum est, cui misereri satis non possumus[1]? Nocte egressa est: quis hunc in matre, quis miratur affectum, tamquam novum? Ego vero plura confitebor, et quæ forsitan plane admiratione ejus digna sint: noctem illam tenebrasque non timuit; horridam ipsius loci, in quo pugnatum erat, imaginem tulit: hæc per sanguinem humanum, et per fracta tela, et per mixta virorum equorumque corpora quæsivit filium suum: et ne in totum nulla sua culpa incidisse in hostes videatur, planxit, et deos invocavit. Neminem puto hactenus

1. *Cui misereri satis non possumus.* Imo *cujus.* Gron. Non puto temere mutandum: nam et hoc ævo et sequenti dativum huic verbo addidisse, docere possunt Hyginus, fab. LVIII, et quæ ibi producit exempla Munckerus, quibus hoc adjiciendum. Burm.

Digitized by Google

irasci calamitatibus · cætera jam imputari ipsi non possunt : hostibus confessa est ; nondum dico torta ; illud satis est dicere, femina. Si mehercule primæ tantum minæ, ac timor ille exercitus, qui modo feliciter pugnaverat, confudisset feminam, orbam, stupentem malis ; erat tamen res digna venia. Confessa est, quum torqueretur : ubi tantum robur animi, ubi tam firmam solidamque mentem [1], quæ non dolore vincatur, non ignibus cedat, non verberibus ingemiscat? hanc vero satis fortiter, ac supra sexum suum fecisse credo, quod nihil dixit, antequam torqueretur. In his tamen necessitatibus, in his malis, num demonstravit aditus, quibus in urbem venire possent? num proposita nostra? num occultam civitatis voluntatem patefecit? quum torqueretur, minata est [2]. At oppressa sunt auxilia a sociis missa : si damna bellorum deflere hic, judices, vacat ; plura perdidimus, et aciem illam, quæ circa filium miseræ hujus jacet : tot fortissimi cives nostri cecideruntt : si vero lex ista belli est, si nulla unquam tam incruenta victoria contigit, quæ non haberet aliquam tristitiæ recordationem ; pensavimus omnia ista victoria. Recuso [3] ut possit videri secundis ominibus, et quadam providentia pro nobis deorum immortalium factum, ut hæc caperetur : intrassent civitatem hostes : nobis et somno sepultis, et securitate ab omni cogitatione bellorum, totus subito in visceribus ipsius urbis [4] hostis

1. *Solidam mentem.* Ex Horat. Od. III, 3 : « Mente quatit solida. »

2. *Minata est. Minis victa*, ut paulo ante, *si primæ tantum minæ*, etc. Schult. Retineo vulgatam : dicendo auxilia venire, non prodidit hostibus consilia, sed minata est illis vindictam ab illis auxiliis ; minaciter hoc dixit.

3. *Recuso.* An, *recusatis ut*, aut *recusamus.* Schult.

4. *Hostis apparuisset exercitus.* Lege, *hostilis.* Gronov. Neque hoc mutem. Ita enim et apud Statium

Digitized by Google

apparuisset exercitus : nec prius desiisset, quam incenderet, opprimeret, diriperet. Hic, si placet, feminæ animum, et in amore patriæ assumptas culpate vires : discussit vincula illa, quæ, ut parcissime dicam, hostis imposuerat, femina, anus, torta rupit. Quæritis, quo animo fecerit? cogitate, quid passura fuerit deprehensa : torta est, antequam offenderet : iterum ingressa nocturnum iter, non confusa tenebris, non periculo, vicit cursu ætatem, sexum, infirmitatem : secuti cives quidquid dixerat[1], quidquid fecerat mater : salus ergo civitatis et victoria, qua nunc gaudemus, huic debentur : hoc est enunciare?

CCLXXIII.

Debitor adulter.

MARITUS DEPREHENSI ADULTERI BONA POSSIDEAT : ADVERSUS SPONSOREM SIT ACTIO, QUÆ ADVERSUS DEBITOREM. QUOD DEBITOR NON SOLVERIT, SPONSOR SOLVAT. Quidam debitorem suum in adulterio deprehendit; bona omnia ex lege occupavit : petit debitum ab sponsore. Ille C. D.

SERMO.

Priusquam venimus ad causam, præparare debebimus animum judicis, pro ipsa persona sponsoris.

DECLAMATIO.

Petitur a nobis pecunia, quam non accepimus, non

ex manuscriptis, Theb. XI, 22 : « Nec « jam hostes turmæ, aut ferrum « mortale timetur. » Et deinde : « At- « que increpat, hostes Quo retra- « his, Germane, gradus. » BURM.

1. *Secuti cives quidquid dixerat.* Fidem nuncianti habuere, agi cuniculum. Salus ergo, etc.

Digitized by Google

consumpsimus, non in ullum rerum nostrarum usum convertimus : etiam quum istud periculum est sponsoris, miserabile est, bonitate labitur, humanitate conturbat [1]. Hoc quo pertinet? non ut extorqueam vobis, judices, religionem ; sed ut intelligatis, quod profecto cognoscitis, non esse exigendum a sponsore creditum, nisi jure summo. De quo priusquam loquor, etiamnum ea, quæ humanitatis et consuetudinis gratia dici solent, non omitto. Debitorem appellasti : cum ipso, cui dederas pecuniam, egisti : non enim aliter salvo pudore ad sponsorem venit creditor, quam si recipere a debitore non possit. Inhumane exigis, injuste petis: pecuniam quam credideras, recepisti : nihil mea interest, qua via quidquid est istud, quod a te ad debitorem

1. *Bonitate labitur, humanitate conturbat.* Quum pecunia credita ad sponsoris fidejussorisve periculum pertinet, hoc ipsum, inquit, miserabile est : qui quia nimium bonus, beneficus ac liberalis fuit, ideo facultatibus labitur, et conturbat, non ob suum debitum, sed alienum : et principalis debitoris vel perfidia, vel contumacia. *Conturbare* autem is dicitur, cujus fractæ sunt rationes, et qui seu aliena injuria, seu vitio suo, ad egestatem redactus est. Hinc nata locutio, quod quum antiqui magnam diligentiam adhiberent tabulis et rationibus conficiendis (uti ex Asconio ipso videre est) in quibus nominum et obligationum, quin etiam actionum omnium quotidianarum, separata et disposita erant capita : qui jam in iis nullum teneret modum, et cujus accepti, quam expensi ita ampliores essent rationes, ut nulla spes unquam pariationis esset: factum est, ut is rationes conturbasse diceretur, eo exemplo, quo signa testamenti conturbata, et totum jus conturbatum appellamus; l. ad testium, §. si signa, ff. de testam. Pertinet potissimum hæc locutio ad servos, qui pecuniam præsentem a dominis acceptam, ut particulatim confecta ratione huc illucque impendant, dissipant tamen, et nulla mensura collocant. Ulpianus in l. cuicunque, §. item Labeo, de Instit. actio. Alphenus in l. quidam fundum, de in rem verso. Cicero, lib. II, epist. ad Quint. frat. « locum autem illius de « sua egestate, ne sis aspernatus : « ad quem ego rescripsi, nihil esse « quod postea arcæ nostræ fiducia « conturbaret. » Cælius ad Ciceronis lib. VIII, epist. penult. : « Si aliquid « apud te nos, si vir optimus gener « tuus valet, eorum fortunas non « debes vel conturbare. » Græci χρεοκοπεῖν appellant. Æmon.

Digitized by Google

tuum pervenit, penes te est: sponsor porro in hoc accipitur, ne creditor in damno sit. Vis scire, quam sponsorem appellare non possis? debitorem appellare non potes: et quoniam confitendum est, eamdem esse causam meam, quam debitoris, nec tu aliud videri vis; volo sic agere, tamquam petas a debitore, semota illa ratione, quod honestior persona sponsoris est; detracto eo, quod debitor adulter est, quod deprehensus est, quod punitus est. Fingamus ergo petere te a debitore, cujus nos sponsores sumus: respondere pro debitore tuo volo: recepisti: omnia quæcunque possedi, ad te transierunt: in his quæ possedi, erat debitum tuum: totum habes, immo plus habes: adversum hæc quid respondes? Lege mihi bona debitoris tradita sunt, quoniam eum in adulterio deprehendi. Non facimus legi istam controversiam: quid tamen continet? ut ad te bona debitoris pertineant: bona porro quæ sunt? ut opinor, ea quæ detractis alienis deprehensa sunt. Finge alium creditorem fuisse ejus, quem tu deprehendisti: num dubium est, quin, quamvis ad te bona pertinerent adulteri, recepturus tamen suum creditor fuerit? ponamus enim nunc debitorem sine sponsore: rationem, ut opinor, deponeres[1], detracto ære alieno omni, detractis oneribus bonorum, quod residuum ex patrimonio fuisset, id tibi lex concederet. Quem igitur calculum cum alio

1. *Rationem, ut opinor, deponeres.* Hoc quid esse vellet, vellem explicuisset Pithœus, qui fecit. Thaddæus: *Ponamus enim debitorem sine sponsore rationem, ut opinor, detracto.* Unde Ærodius: *Ponamus cum debitore, sine sponsore, rationem: ut opinor, detracto ære alieno.* Quo nihil potest fieri commodius. Gron. *Ponamus etiam n. d. s. s. rationem, ut opinor, deducere*s, vel *deputares*, vel *poneres.* Scn. Francius, *componeres* volebat. *Ponamus cum debitore*, etc. *rationem, ut*, etc. Ærod. non male: nam est propria locutio, ut et mox, *calculum ponere.* Vide ad Petronium, capp. 101 et 115.

Digitized by Google

posuisti, ponas necesse est tecum : nam patrimonii in alium transituri ea ratio est, ut primum credito satisfiat : partem tamquam debitor solvit, partem tamquam creditor accipis. Etiam nunc fingamus alios creditores, et nihil in patrimonio, quod supersit : id ut manifestius atque apertius dicam, sint possessiones huic deprehenso, sint mancipia, supellex ; sit æs alienum, cui æri alieni non sufficiant ea, quæ in patrimonio sunt : occupabis mancipia, occupabis supellectilem, creditores inanes excuties, atque dimittes? non potest hoc æquum videri tibimetipsi fœneranti : omnia igitur ea, quæ apparerent, in creditum et in æs alienum transissent : tu, quamvis legem haberes, qua tibi adulteri bona deberentur, nihil tamen ex his adulteri bonis, qui nihil haberet, recepisses. Sic ergo tecum debitor tuus loquitur : bona mea, id est, quod liberum in patrimonio meo est, et quod proprie meum, ad te transire debet lege : prius solvo ; et quid interest ego solvam, an tu auferas? non debet ergo tibi is, cui pecuniam credidisti ; multo minus ego, qui profecto solutus sum, si alter jam solvit. Quid enim alioquin facere me vis? integro statu debitoris mei, si a me petere maluisses, ad debitorem reverterer : si debitor decessisset, et bona ejus ad heredem pervenirent, ad heredem redissem, id est, bona persequerer patrimonii, pro quo ego spopondi. Idem es reus [1], a quo fui repetiturus, si quid tamquam sponsor solvissem : nunc ad te transiit patrimonium ; nunc cœpisti vicem habere heredis : quid enim interest, jure testamenti a defuncto veniat ad te hereditas, an lege a vivente? si patrimonium mihi persequi licet, ad te redeam necesse est : ita istud, quod accipere non potes, si posses accipere, solveres.

1. *Idem es reus.* Lege : *idem esses reus.* Gron. *esset.* Schult.

Digitized by Google

SERMO.

Hæc de jure [1]: illa jam de circumscriptione hujus sponsoris.

DECLAMATIO.

Ego fortiter spopondi, sine periculo, pro eo homine, qui bona habebat: tu quousque avaritiam perduxisti? Parum est fœnerare civibus? sine aliqua tua fraude factum videbitur, ut qui aliena pecunia utebatur, incideret in hoc potissimum adulterium? Sed inciderit sane: neque enim mihi causa pro ullo hodie dicenda est: quod protulisti, habes; et plus quam protulisti, habes: est quod in rationes tuas, tamquam creditor, referas: est quod in lucrum, tamquam maritus, referas.

CCLXXIV.

Tyrannus fulminatus.

QUO QUIS LOCO FULMINE ICTUS FUERIT, EODEM SEPELIATUR. TYRANNI CORPUS EXTRA FINES ABJICIATUR. Tyrannus in foro fulminatus est: quæritur, an eodem loco sepeliatur.

SERMO.

In legum comparatione multa quæri possunt, sed varie in quaque controversia. Interim quæri solet, an privata altera, altera publica sit; et utrum militaris altera, altera pertinens ad civilia officia. Hic omnia fere cætera paria

1. *Hæc de jure.* Ærodius tamquam essent Declamationis continuat. 6.

Digitized by Google

sunt: utra utilior et magis necessaria civitati sit, quærendum est.

DECLAMATIO.

Nondum rem comparo: interim utrum magis necessarium putatis esse, servari eam legem, quæ ad sepulturam alicujus pertineat, an eam, quæ ad pœnam tyranni? si in totum lex altera tollenda sit, nec in præsens modo tempus, sed in universum: sine utra tandem facilius civitas stabit? Icti fulmine ut eodem loco sepeliantur, quo sunt percussi, ad quam tandem civitatis pertinet utilitatem? at hercule ut insepultus abjiciatur tyrannus, ad vindictam, ad securitatem pertinet. Non satis putaverunt majores, eas pœnas adversus tyrannum constituere, quas possit excipere[1] in vita: multos magis tangit sepultura: ad cogitationem post se futurorum plerique gravius moventur: vultis scire? propter hoc litigatur: est ergo utilior. Quid si de eo quærimus hodie, ad quem leges, nisi in pœnam ejus scriptæ, non pertinent? exuit se tyrannus[2], et erigit: supra leges ponendo, extra illas se posuit. Hominem occidere non licet, tyrannum licet: expugnare domum fas non est, arcem expugnabit optimus quisque. Insidiatus civi, etiamsi non effecerit scelus, pœnas tamen legibus solvet: at qui hoc idem adversus tyrannum fecerit, etiamsi deprehensus fuerit, laudabitur. Lex præcipue ista ad eos pertinet, qui alioqui sepeliendi sunt: idque verbis legis ipsis manifestum est, QUO QUIS LOCO FULMINE ICTUS FUERIT, EO SEPELIATUR: apparet non de sepultura quæri, sed de loco sepulturæ. Magis aliquanto esse con-

1. *Excipere.* Vid. ad Decl. 330.

2. *Exuit se tyrannus. Exuerit* (vel *extulerit*) *se tyrannus et erexerit supra leges: supra leges se ponendo*, etc. SCHULT. *Erigit supra leges se ponendo*, Ærod.

Digitized by Google

traria lex huic videretur, si ita scripta esset, UT FULMINE ICTI SEPELIRENTUR · tum enim ipsa sepultura illis assignari videretur, nunc tantum locus[1]: num porro cui sepultura non dari debet, assignari locus debet? Sed tyrannus fulmine ictus est: non dico, quo loco, nec adhuc ad tractatum hujus invidiæ accedo: hoc illi proderit? Si nobis libertatem humanæ manus, et mortalia consilia attulissent, traheretur publicis manibus corpus extra fines, et unusquisque vexatione ludibrioque gauderet: nemo non suam manum esse, quæ traheret, suas vires putaret: quoniam scelera ejus atque flagitia ab ipsis diis immortalibus condemnata sunt, quoniam patientiam nostram ac servitutem numina non tulerunt, continget illi honor? hoc enim voluit ille, qui fulmen vibravit? hoc cogitavit; quum illud noxium caput sacris flammis petivit[2]? parum erat sepeliri tyrannum, nisi in foro etiam sepeliretur? Quonam fato ego nostram civitatem, judices, laborasse in illo homine crediderim, si præter ea, quæ adversus nos singulos universosque fecit, partem speciosissimam civitatis, et celeberrimam nobis ablaturus est[3]. Si mehercule aliquis liberalis civis, immo si optime meritus in foro fulmine esset ictus; dicerem tamen excipienda quædam. Immo neque omnes casus providere legumlatores potuerunt: nec templa excepta sunt[4]: forum, quod mihi templum quoddam

1. *Nunc tantum locus. Non*, volebat Francius. *Num*, marg. Ærod. qui in textu, *non*.

2. *Petivit*. Proprie, vide not. ad Ovid. Amor. III, 3, 37.

3. *Ablaturus est*. Quia bidental, et ita inaccessum futurum erat.

4. *Nec templa excepta sunt*. Verisimile est post *nec* particulam, aliquid deesse: videtur enim dicere, Lege, qua agitur, templa quidem nominatim excepta fuisse, non forum aliave hujusmodi loca publica: at in foro, pugnare legis exceptionem, quia templi loco est. Jam vero, inquit, si ibi sepeliatur, amittemus locum, et juris nostri esse desinet: nam ex publico com-

Digitized by Google

pacis videtur, in quo jura exercentur, propter quod leges valent, bustis occupabimus, infaustis cineribus polluemus? totum hercule potius relinquamus tyranni sepulcro: mutemus locum judiciorum.

PARS ALTERA

SERMO.

Ut sepeliatur, superstitione sola effici potest, ut in comparatione legum illud potentissime[1] dicamus, eam legem magis esse servandam, quæ deorum gratia scripta sit, quam quæ hominum. Adversus tyranni ultionem, hominibus tantum esse scriptam, et scriptam levissimam partem ultionis: hoc vero, quod constitutum est, ut quo quisque loco fulmine ictus esset, eodem sepeliretur, religionis esse.

DECLAMATIO.

Neque hoc propter personam, neque in honorem alicujus scripsisse potest legumlator videri; sed in reverentiam deorum: fas non est inde summoveri ictum illum: quomodo sederant[2] flammæ, ita concremandum corpus universum putaverunt: existimatis locum illum corpori datum? fulmini datus est. At tyrannus fulmine percussus est: hoc magis omnia religiose, et cum cura deorum facere debemus. Sed in foro sepelietur tyrannus? quam magis mihi inter cætera etiam hoc quoque

munive loco, nunc nullius erit, quia fiet illatione mortui religiosus. Cæterum totus hic locus ita legebatur: *tyranni sepulcro mittemus locum: tu deorum.* Pars altera. *Ut sepeliatur,* etc. Ærod. qui sermonem incipit ab *effici potest.*

1. *Illud potentissime. Illud potissime:* ut sæpe in Declamationibus hæc permutata. Schult.

2. *Quomodo sederant.* An, *quo modo se dederant flammæ, ibi concre.* Schult. Ego nihil muto: ita *sedere catenas* dixit auctor Decl. V.

Digitized by Google

provisum esse fato a diis immortalibus videtur, quod illi loco destinatus est! nemo inire forum nostrum potest, quin videat illud sepulcrum : protinus enim sequatur cogitatio necesse est, tyrannus fuit ille, et fulmine ictus est, et ob hoc pœnas diis immortalibus dedit. Quoties noxios cruci figimus[1], celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu possint : omnis enim pœna, non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum.

CCLXXV.

Heres ob adulterum fratrem.

QUI OB ADULTERIUM PECUNIAM ACCEPERIT, IGNOMINIOSUS SIT. Major frater minorem in adulterio deprehendit: pro eo rogante patre, et abdicationem ejus promittente, dimisit: abdicatus est adulter. Mortuo patre, inventus heres, qui deprehenderat, ignominiosus dicitur.

DECLAMATIO.

QUI PECUNIAM OB ADULTERIUM ACCEPERIT, IGNOMINIOSUS SIT. Hanc legem adversus eos primum constitutam esse dico, qui pecuniam acceperunt, ut adulterium committeretur; ideoque ignominiam adjunctam, quod viderentur rem fecisse lenonis. Verum etiam si hi quoque tenentur, qui in pœnam commissi adulterii pecuniam acceperint, is tenetur, qui pecuniam accepit. In mea causa utrum contendis? pecuniam me accepisse,

1. *Crucifigimus.* Scribe separatis vocibus, *cruci figimus.* Vid. ad Inst. Orat. lib. VII, cap. 1, §. 30, ubi vid. not. vol. III, pag. 25 nost. ed. Ed.

Digitized by Google

quum dimitterem? non probabis: alioqui si hoc putaris esse pecuniam accipere, abdicari fratrem, statim detulisses: postea videbo, qua causa dimissus sit, interim nego hoc esse pecuniam accipere. Sine dubio est tam manifestum, ut nulla interpretatione egeat, quid sit accipere pecuniam: ego tamen non sum contentus hac defensione, nisi illud probavero, ne spem quidem pecuniæ oblatam: quid enim mihi pollicitus est pater? si dimisissem, futurum, ut abdicaret fratrem[1] meum. Heredem testamento etiam eum, quem abdicasset, quis vetabat substitui in locum abdicati alium heredem? non possum ergo videri propter pecuniam dimisisse, etiam si propter hoc tantum dimisissem. Nunc vero quam multa fuerunt, propter quæ dimitterem? si hoc tantum me movit, quod frater erat; erat tamen satis plena defensio, et quod minor frater, et quod sub patre frater; ut etiam si ipsi non parcerem, tamen et patris et mea causa non debuerim occidere. Nunc vero quis dubitet exorari me debuisse, quum pater peteret? putemus nihil patrem esse pollicitum, nullam mihi ultionem præstitisse[2]; quis non impium me, quis non sceleratum putaret, si non impetrasset? Nunc vero promisit ultionem pleniorem, integris inviolatisque manibus meis: et ipse pater severus: neque enim est, quod putetis defuisse ei gravitatem, defuisse ad vindictam animum: abdicavit: et non fecisse hoc eum temporis causa, manifestum testamento fuit. Ergo nec pecuniam mihi pol-

1. *Ut abdicaret fratrem meum.* Duas ultimas voces nescit Ærod. ut et seq. ad *Quis vetabat.* Videtur omissum aliquid, et legendum: *Abdicasset, non instituisset. Quis vetabat.* Scн. Forte, *ut abdicaret fratrem: me heredem testamento faceret, quum eum abdicasset. Quis vetabat.*

2. *Ultionem præstitisse.* Lego *promisisse*, et videtur differentiam attendisse inter *polliceri*, et *promittere.* Schult.

Digitized by Google

licitus est pater, et ego alias causas dimittendi habui, quam pecuniam: et ille abdicatus est, non ut ego lucrum facerem. Nec enim persuaderi cuiquam potest, eum, qui abdicatus sit, hæc passum esse causa mea, quando plenior mihi vindicta contigit: brevis enim pœna mortis est: nunc diu eget [1], diu male audiet.

CCLXXVI.

Bona raptoris, qui se suspendit.

RAPTA RAPTORIS MORTEM AUT BONA OPTET. Raptor se suspendit: rapta optat bona.

DECLAMATIO.

RAPTA RAPTORIS MORTEM, VEL BONA OPTET. Raptam hanc esse, pro qua loquor, constat; ab eo raptam esse, cujus bona optat, non negatur: lege datam esse potestatem, utrum vellet, convenit inter nos; quid est igitur, quod obstet? negant dandam esse optionem puellæ, quoniam perierat raptor. Id nulla lege exceptum, nullo scripto verbo cautum est; interpretatione igitur optionis nituntur: videamus, hæc qualis sit. Lex, inquit, quæ optare vel mortem vel bona permittit, hoc satis significat, ex duobus optandum esse; quoniam igitur jam alterum optari non potest, ne optioni quidem locus est: hanc legis vim esse contenderemus [2], si ex duobus esset

1. *Diu eget.* Videtur legendum, *diu egebit.* PITH. Ita Schultingius: At ed. Bip. *eget*, et ideo *audit.* ED.

2. *Contenderemus. Concederemus, ex duobus esse omnino eligendum puellæ.* SCHULT.

Digitized by Google

optio eligenda puellæ: duo tamen hæc esse contenderem, natura et vi: neque enim si raptor nobis subductus est, mors ipsa nihil est[1]. Sed quomodo non satis est unum superesse, quum etiam si duo essent, non potuerit optari, nisi unum? et hæc duo ita demum potenter a parte diversa proponerentur, si essent juncta: nunc vero discreta sunt ipsa legis scriptura, MORTEM VEL NUPTIAS: ita duo simplicia, singula sunt tamen. Præterea lex ita scripta est, ut eligi juberet: posset opponi vel electioni, SI EX pluribus non esset[2]: nunc optio potest esse, etiam singulorum. Et illud, judices, ante omnia intueri vos oportet, si quid ex lege incli-

1. *Mors ipsa nihil est.* Etsi mortuus sit raptor, ideoque mihi subductus, inquit, ne mortem ejus optare possim, neque etiam nunc bona, quia, ut cavillatur adversarius, ex duobus sit optio: natura tamen, καὶ τῇ δυνάμει, duo sunt, quæ optare possim. Nam quum morimur, non ita male nobiscum agitur, ut nostri nec post mortem nihil sit reliquum; et mors ipsa in rerum natura nihil sit. Quin animus, potior nostri particula, vivit et viget, cujus vel mors quædam (quod christiano absit) optari potest. Præterea qui raptor semel in reatu hac vita functus est, ita adhuc vivere juris fictione intelligi potest, ut si rapta ad magistratum educta, mortem exposcat; retro non natura, sed vi et supplicio perilsse videatur. Hæc fortasse subtiliora sint: verum in re tam obscura, quia corrupta et depravata, quid non experiri possumus? præsertim quum hæ argutiæ e libris philosophorum depromptæ, potissimum ad scholam pertineant. ÆROD. Potest rapta etiam mortui morte esse contenta. SCHULT.

2. *Si ex pluribus non esset.* Hæc verba excipientis, et raptam præscriptione submoventis esse, equidem existimavi. Electio est de pluribus, inquit: ergo licet eam a lege habueris, nunc raptoris morte consumpta est. Sed jure civili certum est, in alternativis tot legata, tot stipulationes esse, quot sunt res, quia discretæ et separatæ; aliter atque si conjunctæ sint, qualis est, familia, grex, quadrigæ, etc. l. sciré debemus. ff. de verb. obligation. Et ideo re una extincta, manet altera in obligatione. Sic in hac optione legitima, licet raptor defierit esse, cujus mors optari possit, jus tamen optionis omnisque eligendi facultas, ad raptoris bona delapsa est, ut ea sola, ab initio, re integra, optari potuere. Hæc aliis obscura, jureconsultis sunt pervia. ÆROD. *Si ex pluribus omnino esset*, Schult., qui sup. *eligere* pro *eligi*.

Digitized by Google

nandum sit, spectare, ut quam minimum ex eadem pereat. Adversarius enim queritur, aliquam verbi interpretationem perire : nos totam legem, totum jus : tolerabilis enim esset mihi cum adversariis contentio, si quæreretur, an hoc optare puella deberet : nunc id agunt, ut nihil optet : et nova quadam ac perversa actione nituntur, ut bona raptoris optare puella non debeat, quia optare nihil aliud potest, quam bona. At non est æquum, et mortem raptoris contingere, et bona : sed hoc eo pertinet, ut si mortem optavit, optare non debeat bona : ita demum enim et mortem ei contigisse raptoris dicemus, et bona : æquum est enim interpellari posse optionem etiam facto ipsius, alieno vero iniquissimum. Quare si per hanc stetisset, ut raptor periret (quamquam possem dicere, illud non optavit, et legi non est satisfactum) : haberet tamen aliquam rationem, saltem falsa ejus calumnia : nunc quid fecit puella, ut raptor moreretur? Itaque huic non tantum in hoc labor est, ut bona raptoris accipiat; sed in illo major aliquanto, ut approbet, quod optatura fuerit, si viveret : duas enim sine dubio pœnas adversus raptorem lex constituit; alteram tamen mitem : nec semper hac cogitata et publica, crudeli ac sanguinaria tenetur. Hodieque alioquin nonne merito a vobis, merito a civitate reprehenderetur, si aliud non optando hoc ostenderet et fecisse raptorem, quod ipsa esset optatura? Hinc transeunt ad conjecturam, et suspicari vos volunt ea, quæ probare non possunt : non enim, inquiunt, est credibile periturum fuisse raptorem, nisi hoc optaturam scisset puellam. Ante omnia, quum dicitur scisse, illud ostenditur, posse probari, quo modo scierit: quæro enim a vobis ipsis adversariis, quo modo colligatis scisse

Digitized by Google

cum, quum non liqueat hoc vobis? si quid est, afferte et ad judicem. Unum argumentum est ipsum, quod perierit: hoc etiamsi mortis fecit metu, potuit tamen naturaliter fuisse timidus; etiam nullo accepto signo, propter quod vitam desperaret, confusione tamen, et proprio animi sui periisse motu. Nunc vero credibile non est, quemquam perire mortis metu: quid enim timuit ulterius? quare etiam credibilius videtur mihi, idcirco periisse eum, quod optaturam puellam bona existimaret. Sint enim[1] plerique, qui mortem potiorem, quam egestatem putent: quibus delicate educatis (ex deliciis enim hæc licentia facta est) intolerabilis videatur nuda vita illa, omnibus, quibuscunque antea abundaverunt, destituta. Hoc igitur est credibilius, et hoc puella voluit, et in hoc perseverat: et certe nulli tolerabile aut æquum videri potest, in gravissima injuria, qua virginitatem perdidit, qua florem ætatis amisit, qua prima illa gratia apud maritum futura prærepta est, neque mortem optaverit[2], neque bona accipiat.

1. *Sint enim*. Edit. Bipont. habet *sunt enim* nescio qua auctoritate. Hæc mutatio non satis necessaria videtur hoc loco qui ita ferri potest. Ed. — *Illa, omnibus*. Huc interserit Bipont. edit. voculam *et* ex arbitrio tantum, quum Burmann. variarum lectionum ubicunque regnitor, hanc nesciat, quæ et ab omnibus nostris Codd. exsulat. Ed.

2. *Neque mortem optaverit*. Deest particula *ut*, sive ante τὸ *neque* ponenda, sive post τὸ *videri potest*. Gronov.

Digitized by Google

CCLXXVII.

Prægnans adultera.

SUPPLICIA PRÆGNANTIUM [1] IN DIEM PARTUS DIFFERANTUR. Prægnantem in adulterio deprehensam occidit maritus: reus est cædis. C. D.

DECLAMATIO.

Quum reus agar cædis, nihil fortius confiteor, quam a me occisos homines: et, si quid numerus quoque adjicere invidiæ potest, duos: verum istud non [2] potest videri sævitia, non crudelitas, quæ per leges venit: occidere adulterum licet cum adultera. Ex alia parte nascitur origo hujus calumniæ: prægnantem, inquit, occidisti: et supplicia prægnantium lex differre in diem partus jubet. Ut confiterer hoc esse supplicium, atque eo nomine appellandum, fortiter tamen dicerem, leges omnes, quæcunque de suppliciis scriptæ sunt, ad eos pertinere, qui damnati sunt, qui in judicio convicti, qui per ministeria publica, ac carnificum manus occiduntur: nam et cæterorum supplicia ante judicium non solent esse, et non nisi per magistratus exiguntur, non nisi certa lege ordinationum [3]; hoc jus scriptum est

1. *Prægnantium*. In vet. exempl. *prægnatium*, et *prægnas*, et *prægnatem*, constanter scriptum est, ut et in Pisanis Pandectis. PITH. De hac voce vide Guiet. ad Terent. Hecyr. IV, 4.

2. *Verum istud non potest*. Aut scribendum *ista*; aut mox, *quod per leges venit*. GRON. Nihil mutem: vide ad Declamat. V, 6.

3. *Ordinationum*. An *procrastinationum*, an *dilationum*. Ita, *in diem decimum dilatum supplicium*, Tacit. Annal. vid. et Cod. Justin. et Decl. CCCXIII. SCHULT. Ego mallem: *Exiguntur non nisi certa*

Digitized by Google

mariti dolori: hoc jus ille conditor, conscriptorque legis hujus, voluit esse privatum. Non magis ergo tempus aut diem præstituisset adulteræ, quam manum carnifici, quam sententiam judicis, quam imperium magistratus. Quid? si ne differri quidem hoc supplicium potest? non enim dubium est, quin lex de his loquatur, qui quandoque sint in reipublicæ potestate. Damnatus aliquis custodia publica[1] continetur, carcere continetur : potest de hoc supplicium sumere magistratus, quum voluerit : adultera dimissa non redit in manum mariti. Nec hoc tantum[2] in lege est, ut adulteræ supplicium differri non possit, sed illud etiam, ut non tantum adulteræ pereant : nam lex, quum occidere mihi adulterum cum adultera permittat, manifeste illud ostendit, non posse eos diversis temporibus occidi; ac si alteri remittatur supplicium, impunitatem etiam alteri dandam : ergo non solum prægnantis supplicium, etiam ut sic loquamur, sed etiam adulteri, non differendum tantum, sed tollendum omnino fuisset. Quod si hoc quidem supplicium appellari convenit (habent enim omnia hæc nomina suam proprietatem), non semper homo supplicio affectus dici potest : non ubicunque pœnam habent[3], etiam supplicium est : nomen hoc est publicæ animadversionis nomen, exactæ per magistratus pœnæ. Indignum fuit occidere eam, quæ[4] prægnans facta est: nondum dico, quanto gravius peccaverit: in-

lege ordinata. Omne hoc jus s. e. mariti dolori: hoc, etc. *Ordinata supplicia* dixit lege, ut *ordinare delationem*; Decl. II; *facinus*, XVIII, pr. et passim. Suetonius quoque frequenter hoc vocabulo utitur, et alii. Burm.

1. *Custodia publica.* Vide Cerdam, Advers. Sacra, c. 109, p. 24. Almel.

2. *Nec hoc tantum.* Vide Cl. Schulting. ad Sen. Contr. II, p. 94.

3. *Pœnam habent.* An *subeunt*, an *habetis*. Schult. *Leges pœnam habent*, Ærod.

4. *Eam, quæ.* Prætuli *eam* cum Bip. ex Ær. et Schult. pro etiam. Ed.

Digitized by Google

terim cujus miseretur[1]? infantis, ex adulterio fortasse concepti? Et, judices, interrogo vos, cujus rei[2] gratia legem cavisse existimetis? illius, qui erat conceptus a nocente femina? non est credibile legem prospexisse ei, cui rerum natura datura fortasse non erat lucem; qui an nasci posset, dubium fuit; qui etiam odium ex ea, quæ conceperat, merebatur. Quare ergo scripta lex est? pro patribus, qui nihil fecerunt[3]: indignum enim visum est, etiamsi mortem meruisset mater, auferri filium innocenti patri. Dixero, lex pro me scripta erat: non potest videri contra me valere: in hac vero, ne illius quidem, quicunque futurus sit, movere vos miseratio potest: quis enim illum agnosceret? quis [4]educeret? quum manifestum esset ex crimine, ex flagitiis, ex ea re, quæ morte punitur, esse conceptum. Ipsam vero adulteram adeo oportuit occidi, ut nulli unquam irasci magis leges debuerint. Ultra commune flagitium est, prægnans adultera: aliqua hoc tempore, quo salvo pudore a marito secubaret, cum adultero volutata est. Et quum animalibus mutis etiam, quorum libido ratione non continetur[5], hæc tamen sit natura, ut posteaquam conceperint, omnem refugiant venerem: matrona ne pudore quidem partus, ut vos dicitis, jam instantis moveri potuit, ut pudicitiam, si non marito, at futuro certe

1. *Cujus miseretur. Cujus miserebor?* Schult.

2. *Cujus rei gratia.* An, *hujus reæ g. l. c. ex. an illius.* Mox, *nocentem* vocat. Schult.

3. *Qui nihil fecerunt.* Id est innocentibus, non reis. Schult. — *Dixero, lex. Recte* huc interserit Sch.

4. *Educeret. Educaret,* Ærod. nihil opus. Terentius, Cicero et alii passim *educere* pro *educare,* ponere amant.

5. *Quorum libido ratione continetur.* Sic vetus: legendum tamen videtur, *non tenetur:* nisi quis malit sic intelligere, frænari etiam ratione mutorum animalium libidinem, et hac in re muta quoque animalia juris et rationis peritia censeri, ut JC. loquitur. Pith.

Digitized by Google

filio præstaret: illa igitur prior damnavit ventrem suum. Victurus autem fuit ille, si ego adulteram non occidissem: non novimus hos mores turpissimarum feminarum, ut oderint puerperia? ut filios, velut indices ætatis suæ, abominentur?

CCLXXVIII.

Expositor petens cum forti X *millia.*

VIRI FORTIS PATER DECEM MILLIA ACCIPIAT. Is qui videbatur filium habere, decem millia, quum ille fortiter fecisset, accepit: postea juvenem pater naturalis agnovit: solutis alimentis recepit: petit decem millia.

DECLAMATIO.

Decem millia a me petis? quo jure? qua causa? credidisti, an deposuisti? an ex alicujus rei venditione pretium ad te pertinet? nihil horum: nullus inter nos contractus fuit; nisi quod mihi nuper aliquid debuisti. Legem affers, qua patri viri fortis decem millia dari oportet: cujus quidem summæ si non præstetur fides, petitio, ut opinor, a republica est. Nam ut jam constet, uter accipere debuerit, illud tamen respondeas mihi velim, quis dare debuerit: si patri debetur, debet respublica. Viderimus, an ego a civitate recte acceperim: tu non potes accipere, nisi a civitate. At ego accepi id, quod tibi debebatur: puta me in præsentia confiteri: repetet fortasse qui dedit: interim tibi non alius debuit, quam qui mihi dedit. Sed volo nunc agere etiam reipu-

Digitized by Google

blicæ causam; et sic respondere tibi, tamquam istud a magistratibus petas. Non est tempus hoc actionis istius: quando enim filius tuus fortiter fecit? multum jam transisse tempus ante hanc actionem confiteberis. Interrogabo, ubi fueris: etiamsi te peregrinatio detinuit, etiamsi absentia in causa fuit, quo minus acciperes, dicam tamen pleraque jura tempore circumscribi: si vero et in civitate fuisti, et præsens eras, quum honoraretur filius, ut nunc res est, tuus; interrogo, cur non petieris? nam ut non acceperis, sufficit hoc, quod non petisti. Non eras illo tempore pater, quia nesciebas te esse: non debebatur igitur tibi eo tempore, quo respublica debuit. Illud quoque interrogo, quomodo factum sit, ut ego acciperem: pater viri fortis eram: quorum utrumque breviter ostendere judici necessarium est, et me tum patrem fuisse, quum decem millia debebantur patri viri fortis, et te non fuisse; ideoque te non accepisse: patres enim non tantum natura et illo initio continentur: satis est plerumque ad hoc jus, videri[1]. Num dubium est, quin si intestatus decessissem, antequam tu agnosceres, aditurus ille hereditatem, quasi filius, fuerit? num dubium est, quin si honores peterem, profuturus mihi tamquam filius fuerit? num dubium est, quin si, quod longe ab ejus animo et moribus abest, pulsasset patrem, non injuriarum tantum lege teneretur? si occidisset, non cædis tantum lege pœnas daret? quod si hæc omnia in confesso sunt: ne

1. *Ad hoc jus videri.* Puto: *satis est plerumque ad hoc jus* (sc. patriæ potestatis), *vocari.* scilic. patrem. Hæc vero verba passim commutantur: ut apud Ovid. Met. XI, 287, et alibi; quamquam et vulgata retineri potest, si modo ita distinguatur, *satis est p. ad hoc jus, videri.* scil. *patrem*, etsi revera non est. In marg. Ærodii est, *videri, non et*, supple, *non etiam revera patrem esse.* BURM.

Digitized by Google

magistratus quidem erraverunt eo tempore, quo decem millia dederunt mihi. Si intestatus tu decessisses : ad alios quoslibet tua pertineret hereditas : vis scire quam pater non fueris? recipere illum, nisi solutis alimentis non potuisti : lex tibi dicit, alienus est; et tibi, ut pater esse incipias, emendus. Jam illa profecto citra interrogationem sunt; cujus tulerit nomen; in cujus censum delatus sit : nimium diu de re judicata. Reliquum est, intueamur, uter nostrum hac pecunia dignior esse videatur : et ut breviter dicam, tu exposuisti, ego sustuli. Scio te, cœpturum altius, ut dicas genui : hoc est, quare tibi debeamus irasci : quantum ad te pertinet, non habet respublica virum fortem : aut illum feræ laceraverunt, aut aves diripuerunt, aut aliquis, quod multo sit indignius, sustulit leno, aut lanista : ex meis ille beneficiis natus est[1]. Intuendum nobis etiam illud præcipue est, quæ causa constituendæ legis hujus fuerit : aut unde ortum sit, ut non contenta civitas fuerit præmium ipsi viro forti dedisse, sed etiam patrem hujus honorandum censuerit. Ideone honoratum putamus patrem, quod genuerit? an ideo magis præmio dignum civitas existimavit, quod educasset, quod impensas fecisset? vis scire, quam hoc verum sit? pecunia honoravit. Si quid pietatis est, quod imputare nos reipublicæ præter alimenta possumus, illud est, sic educavi, talia præcepi, sic formavi mores : non est satis hoc indignum, quod talem tibi[2] filium feci? Sed hæc utcunque videri

1. *Ex meis ille beneficiis natus est.* Scribe, *renatus.* Ut Decl. CCLX : « Renati sunt, novumque fatum quodammodo sortiti. Δευτερόποτμοι. » Gronov. Ita Decl. CCCLXXII : « Sed « meritis pater eram. » Phædr. Fab. III, 15, 16 : « Facit parentes bonitas, « non necessitas. » Schult. — *An ideo.* Ærod. *an eo* scil. *præmio.*

2. *Talem tibi.* Non mihi. Ut Apuleius, *tibi abstulisti :* id est, in tuum usum. Schult.

Digitized by Google

possint tolerabilia : illo tempore, quo pugnabat filius noster (vindicabo enim mihi semper hoc nomen, neque a beneficiis meis appellatio ista discedet) qualis uterque nostrum fuit? non ego sollicitus de muris [1]pependi? non ego omnes excepi ab acie redeuntes? non nuncios sollicitus captavi? at tu securus eras, tamquam id quod volueras, quum exponeres, contigisset. Age, redeuntis vulnera quis religavit? sanguinem quis abluit? ad templa quis duxit? quis gratulatus est? Sciebasne jam tum esse officium tuum? an confiteris ad te hæc non pertinuisse? dissimules licet, et videatur alioqui hoc contra causam meam, sciebas, et illum esse apud me passus es : hæc decem millia agnovisti : non te moverunt tituli adolescentis, non illa gloria de eximia virtute, quam ego præceperam : hac fiducia alimenta solvisti : computas mecum, ut solus omnium mortalium et expositum receperis, et lucrum feceris.

CCLXXIX.

Dives speciosi adulter.

ADULTERUM AUT OCCIDERE, AUT ACCEPTA PECUNIA DIMITTERE LICET. Dives pauperem, speciosi patrem, de stupro filii appellavit: ille tacuit, iterum adjecta pecunia appellavit: ille tacuit. Tertio appellatus, uxorem filio dedit. Puer divitem cum uxore sua deprehensum, accepta pecunia dimisit: abdicatur a patre.

DECLAMATIO.

Priusquam venio ad æstimationem criminis, et pro-

1. *De muris pependi. De armis pependi*, marg. Ærod.

Digitized by Google

priam judicii hujusce summam; necesse habeo id dicere, quod in oculos uniuscujusque vestrum, judices, incurrit. Abdicatur puer: nolite illum æstimare ex hoc, quod maritus est: in quo illud præcipue, judices, vereor, ne apud animos vestros suspectus sit impudentiæ [1], ac videatur intra hos annos nimium cito virum egisse: uxorem pater impuberi dedit. Quid igitur hæc ætas committere potuit tanta animadversione dignum? Lex abdicationis adversus ferociam [2] juvenum constituta est: hæc vero infirmitas adeo nocentis nomen non recepit, ut vix recipiat innocentis. Si tamen perseveras abdicare tamquam juvenem, superest, ut ego quoque tamquam juvenem defendam. Vultis igitur, judices, dicam illa omnibus fere abdicationum judiciis vulgata pro liberis? non ego luxuriatus sum, non ego meretricem amavi, non paterna bona vitiis consumpsi: sed si hoc proposuero, respondebitur (potest enim), adulteros, inquit, non occidisti. Dicamus et tamquam pro marito [3]: non habes

1. *Ne apud animos vestros suspectus sit impudentiæ.* Scribe audacter, *impatientiæ*, id est, nimiæ libidinis. Vide Observ. 4, 25. Gron.

2. *Lex abdicationis adversus ferociam.* Hic locus elucidat illum Declamationis CCLIX supra: « Fulmen istud patrum, adversus ferociam adolescentiæ datum est, etc. « Ærodius.

3. *Dicamus et tamquam pro marito.* Patet ex Declam. CCLXXV, atque ex jure nostro, quicunque ob adulterium pecuniam acceperit, eum famosum esse, quia id est lenocinium agere. Sed marito, sicut nec ea jura, quæ tandem in Pandectas relata sunt, omnem omnino adulterum, nec ubicunque deprehenderit, permiserunt occidere: quia mariti calor et impetus facile decernentis fuit refrænandus; ut eleganter a Papiniano scriptum est, de adulteriis lib. I: nec facile via concedenda, quo viri maxime confugerent, levibus et momentaneis suspicionibus offensi: potiusque hoc jus ad patres translatum est. Ita sive illo antiquo jure Romanorum, quo velut in magna paupertate pœnæ omnes erant fere pecuniariæ: sive legibus Atheniensium, ut ex oratione Lysiæ ὑπὲρ τοῦ Ἐρατοσθένους φόνου colligi potest, marito, non etiam alii, citra fraudem infamiæ, pecunia accepta, et id pœnæ quidem, non pretii nomine adulterum dimittere licuit. Ergo

Digitized by Google

jus abdicandi, propter hoc, quod lex huic permisit. Vereor, ne risum mereatur hæc defensio mea, tamquam hic utrumlibet non potuerit. Sed potuerit sane : marito vel occidere adulterum, vel accepta pecunia dimittere licet : non potest propter id irasci, quod jura huic permiserunt. Loquatur maritus cum animo [1] suo, loquatur cum affectu suo, cum propria animi sui natura. Si propter hoc licet abdicare, istud, quod fecit maritus, non licet : alioqui enim tolerabilius et certe humanius erat, arbitrium vel occidendi adulteri, vel accepta pecunia dimittendi, transferri ad patres [2] : quoniam certe levius est vetare aliqua, quam punire. Sic defenderetur, si jure tecum ageret : ipsius vero facti vel hoc modo rationem facile reddidissem : non est istud turpe, quod lex permittit. Accepta pecunia [3] dimisisti : nisi oporteret, nec liceret. An vero parum sancti illi videntur fuisse majores, illi constitutores juris, qui civitates adhuc, velut antiquo illo errore confusas, ad certam vivendi formam redegerunt? illis non est visum nefas, accipere pecuniam : sed etiam hac pœna animadverti putaverunt, sicut pleraque delicta puniuntur : nec enim semper usque ad mortem perveniunt. Credo autem illum, quisquis fuit legis hujusce constitutor, illa intra se cogitasse : non omnium animos maritorum durare

justæ non sunt hic abdicationum causæ, nec hujusmodi, ut a judicibus approbari debeant, sive hunc impuberem jam maritum appellare placet, quia quod licuit, fecit : sive jus mariti ætas impedit, quia virium excusationem habet, quod simul adulterum cum adultera in ipsa turpitudine καὶ ἐν ἔργῳ occidere non potuisset. Ænod.

1. *Loquatur cum animo.* Sic Cicero ad Fam. II, 7 : « Tecum loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. »

2. *Arbitrium transferri ad patres.* Ita *trajicere* Ovid. Met. XII, vers. ult. : « Arbitrium litis trajecit in omnes. »

3. *Accepta pecunia.* Hoc exemplum est scholasticum sacramenti in causa criminis, ut et infra Declamat. CCCLXIII. Pith.

Digitized by Google

ad sanguinem[1]: esse quosdam mitiores, qui ne conspicere quidem cruorem sufficerent: multi se a gladiatorum vulneribus avertunt: et quamquam nemo dubitet et illud spectaculum in parte esse pœnarum, tamen nequissimorum quoque hominum suprema pericula habent suam gratiam[2]: de spectaculo loquor. Cogitaverunt, quanto esset difficilius occidere: ac scierunt futurum, ut si unam hanc mortis pœnam contra adulteros constituissent, sæpius impune committeretur adulterium: constituerunt ergo pœnam et secundam: prospexerunt infirmioribus, prospexerunt lenioribus. Forsitan cogitaverunt et illud, non omnibus futuras esse vires: ita temperaverunt severitatem, ut vindicaret se, quomodo quisque posset. Dixi tamquam pro juvene, dixi tamquam pro marito: dicendum est tamquam pro impubere. Non me hercule satis constituere apud animum meum possum, an huic adulteros licuerit occidere. Quo enim tandem modo defenderetur filius tuus, si quis exstitisset, qui diceret, occidisti homines nondum maritus: nec enim vis ista nominis hujusce appellatione prima consistit: nec satis est maritum tantum osculo putari. Postea nudari filium[3], atque in conspectu

1. *Durare ad sanguinem.* Vide Ramirez. de Prado Pentecont. cap. 9. Almelov. Vide ad Instit. Orat. lib. IX, cap. 2.

2. *Habent suam grdtiam. Gratiam de spectaculo habuerunt. Cogitaverunt.* Erod.—*Posset. Possit,* Bip.

3. *Postea nudari filium.* Fuit hoc tum incerti juris, pubertas in masculis annis et ætate, an habitu corporis æstimanda esset. Fab. Instit. lib. IV, c. 2, §. 5: « De re, inquit, « constat, de jure quæritur, ut apud « centumviros, filius an frater de- « beat esse intestatæ hæres: pu- « bertas annis, an habitu corporis, « æstimetur. » Sic enim is locus emendandus est. Cassianorum sive Sabinianorum sententiam Isidorus in nuptiis sequutus videtur Etym. lib. V, quod relatum est in cap. 3 de sponsalibus impub. Proculianorum Justinianus noster tandem probavit. Priscus Jabolenus, quamlibet in multis aliis juris articulis Cassianus fuerit, in hoc mediam

Digitized by Google

judicum constitui coegisset : atque interrogaret, an ille maritus esset, qui fieri pater non posset : ac si tantum illi, tamquam adultero, irascereris, satis erat hoc dicere pro filio tuo : puto, nondum habebat mariti dolorem. Ad vulnera adulteri, et cædem, et tristissimum occidendi hominis ministerium, magno quodam impetu, et, ut sic dixerim, furore opus est. Nec miror, eos concitari, qui veterem matrimonii consuetudinem, qui pudorem cubiculi, qui spem liberorum expugnatam esse credunt; qui illos occultos atque inenarrabiles patiuntur æstus : non potest uxorem suam sic odisse, qui adhuc amare non potuit. Verum illi quoque parti respondendum est, qua vindicandam priorem injuriam fuisse dicit, de qua hodie, dum abdicat, multa vehementer graviterque dixit; quum fieret, tacebat. Non existimo adeo inimicum filio suo patrem, quamvis abdicet, ut aliquid turpiter suspicetur, præter id male-

quamdam sententiam secutus est, ut et alii plerique. Servius ad illud Virgil. Ecloga VIII, v. 39 : « Alter « ab undecimo ; » *Bene*, inquit, *cum annis jungit habitum corporis. Nam et jure pubertas ex utroque colligitur.* De feminarum pubertate constitisse inter omnes videtur, inspectionem corporis sexus pudori non congruere. Itaque quod deest apud Ulpianum in libro singulari Regularum, titulo de Tutelis, sic etiam suppleri potest, *feminæ autem tutela liberantur omnimodo, quæ* XII *annos explerunt*, scilicet propter festinationem votorum, ut est apud Aur. Macrobium. Sed hæc sunt alterius loci. Pithœus. Adhuc enim in masculis id observabatur, ut non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis et aspectu pubertas æstimaretur. Ulpian. in frag. tit. de tutelis. Liberantur tutela masculi quidem pubertate. Puberem vero Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id est, qui generare potest. Proculei autem, eum qui quatuordecim annos explevit. Verum Priscus eum puberem esse, in quem utrumque concurrit, et habitus corporis et numerus annorum. Quod jus, si Diis placet, etiam a pontificibus nostris conservatum est, cap. puberes de despon. impube. sed decenter et pudice emendatum a Justiniano, qui sententiam Proculi secutus. l. ult. C. quan. tutor. vel curat. esse desi. et Instit. ubi etiam Theophilus. Ærodius. Vid. Delr. ad Senec. Herc. Furent. v. 852; Rævard. Var. IV, 10. Almel.

Digitized by Google

dictum, quod ipse audivit, quod intra verba constitit: maximo atque admirabili potius experimento gravitatem hujus pueri, severitatemque, judices, diligetis: quia is, qui tantum nefas concupierat, ipsum puerum appellare non ausus est. Facilius illi fuit loqui cum hoc patre, hoc severo; et loqui non semel, et pecuniam polliceri, et adjicere pretium. Tum iste tamen non adiit magistratus: non vociferatione saltem invidiam facere apud populum conatus est: tanto facilius exigere magnum animum, quam præstare. Si hominem occidere facile est, tum feriri oportuit, quum de stupro filii tui loquebatur; quum tuarum id partium, tui animi, tuarum etiam virium fuit: nam fingamus sane istud matrimonium fuisse, quis tamen omnium mortalium hoc exigat, ut fortius uxor, quam filius, vindicetur? Sic ego hunc defenderem, judices, si occidere noluisset: rursus mihi ad id redeundum est, ex quo defensionem hujus ingressus sum. Ecquid vos cogitatis ætatem, ecquid videtis annos, ecquid semoto illo nuptiarum [1] mimo, atque inani tantummodo nomine, virum esse cogitatis; et dignum, qui abdicetur, quod hominem non occide-

1. *Nuptiarum mimo.* Diversus ab hoc nuptiarum ille *mimus* apud Suet. Oth. 12, de qua voce plurima Gronov. Observ. Eccles. 25: nec tamen viris magnis Gronovio et Grævio accedere possum, qui hanc quoque vocem Floro, lib. II, 14, reddere conantur, et de Pseudo-Philippo legunt, *regiam formam, regium nomen mimo quoque regio implevit:* nam sensus manifestus est, si *animo* legatur; illum licet ultimæ sortis esset, et ita educatus in sordibus, tamen mores regios habuisse, ac si in purpura esset natus: sic Livius XXXI, 16: « Philippus magis regio animo est « usus; » Val. Max. V, 1 ext. 4: « Et cultum, et animum gerere re« gium jussit: » et ita recte *formæ* et *nomini animus*, non *mimus* adjicitur: et hoc *implere* etiam exigit, quod laudis est; ut Ovidius, Pont. I, 2, 1: « Maxime, qui tanti men« suram nominis imples. » De quo verbo plura alibi in his Declamationibus: vid. Declam. XIV; et ad Petr. XCIV. — *Occiderit.* Sic maluimus cum Bip. ex Ærod. pro *occideret; et nō bonus, es* subjecimus. Ed.

Digitized by Google

rit? Itane tu pater bonus es, qui caritate filii neglecta, imitatus es pueri infirmitatem adversus eum, qui de stupro filii tui te appellare ausus est, quem punire, etiam si tibi moriendum esset, debuisti? Tu huic irasceris, qui ex duobus adulteris nulli eorum par erat; qui certe præstitit[1] tibi, quantum plurimum potuit; diu moratus est, detinuit, dum pecunia affertur, dum[2] repetitur, dum numeratur: fuerat tuæ curæ, tuæ severitatis intervenire, et aliquid facere fortius. Ergo fortunæ agendas esse gratias puto, quod emissus dicitur, qui potuit erumpere.

CCLXXX.

Raptor reversus.

RAPTA RAPTORIS AUT MORTEM OPTET, AUT NUPTIAS. Quidam rapuit et profugit. Raptam pater alii collocavit. Rediit postea qui rapuerat: vult illum ad magistratus educere pater: patitur ille se educi: rapta tacet: maritus contradicit.

SERMO.

Actionem oportet[3] esse summissam et blandam; nam

1. *Qui certe præstitit tibi.* Et hic mancus corruptusque locus sic restitui potest commodissime meo judicio, ut ad quintum caput legis Juliæ pertineat. De quo Ulpianus in l. 25, ff. ad legem Juliam de adult. hoc modo, *qui ejus rei testandæ causa adulterum, quantum plurimum potuit, retinuit.* Et postea, *remissus*, non *emissus*, ut cum Ulpiano loquamur. ÆROD.

2. *Repetitur.* Quum prior summa non expleret promissam pecuniam, iterum reliqua petitur: vide quæ de hoc verbo ad Ovidium notavimus Met. IV, 462. *Reperitur,* Ærod. BURM.

3. *Actionem oportet.* Quintilian. Instit. Orator. lib. VII, c. 8, §. 3: « Ratiocinativus status in has fere « species venit, an quod semel jus « est, idem et sæpius? an quod in « uno, et in pluribus? an quod an- « te, et postea? raptor profugit, « rapta nupsit: reverso illo petit « optionem. » ÆRODIUS.

Digitized by Google

primum omnium dicendum est ei adversus socerum: deinde ita dicendum est, ut sciamus hoc agere eum, ut socer sit. Præterea causa illius nihil habet firmius, quam sit aliena[1]. Etiam sollicitudo quodammodo temperanda est, ut neque desperare, neque securus esse videatur, sed modus et color Declamationis sic ducendus[2] est: quæstiones illæ erunt, an educi rapta, nisi protinus possit; an etiamsi tempore interposito potest, possit tamen post nuptias; an quia ante educi non potuit raptor, nunc educi debeat; quo animo pater educere ad magistratus velit; an patiente eo, qui educendus est, contradicere liceat; an æquum sit, quo animo hic educat. Scio posse quæri, an illa quæstio, quæ ad personam pertinet, et in prima parte ponenda est, quæ a me supra constituta est. Ego aliquid in hoc ordine etiam themate spectavi, quo loco ponitur illud, quod tacente raptore hic loquatur[3], quid velit spectari et illud, quod affectibus, qui sequuturi sunt, magis hæc quæstio, quam ulla alia conjuncta est.

DECLAMATIO.

Si contradiceret ipse, qui rapuit, id est, si timeret, sic pro se ageret; educere tibi ad magistratus raptorem non licet, nisi statim: quare? quoniam omnium vel

1. *Quam sit aliena. Quam si sit aliena.* Schult.

2. *Sic ducendus.* An *dicendus*, ut Juvenal. sat. VI, 280: «Dic, aliquem, «Quintiliane, colorem.» Schult. Sed *ducere colorem*, centies apud rhetores; et unde desumpta sit locutio vide apud Gron. ad Senec. Herc. fur. 347. Burm.

3. *Quod tacente raptore hic loquatur.* Nempe maritus, qui contradicit: nam si quæ sunt contradicendi partes, hæ potius raptori (ut quidem videtur) quam marito conveniunt. Raptor enim præscriptione uti posset, *Si non intra tempus agis, nec alii in præsenti nupta es.* Sed maritum est aliquid quod ab hac contradictione dimoveat, cui jam liquet, se virginem non duxisse: ut nunc de retinenda uxore minus sollicitus esse debeat. Sed tamen hoc vel aliquanto magis ad maritum, quam ad raptorem pertinet, etc. quam lacunam ita replevimus ex sequentibus his, conjectura ducti. Ærod. — *Velit spectari.* Ærod. *velit spectare.*

Digitized by Google

pœnarum vel præmiorum tempus aut constitutum est, aut præsens: quoties finitur dies, exspectandus: quoties vero non differtur, præsens est. Itaque sicut si dies finiatur, nihil ultra eum juris futurum est: ita die non præfinito, proximum esse manifestum est, nihil ultra proximum jus sit. Id porro, quod in quolibet jure alio manifestum foret, in hac lege apertius est: quid enim dicit? RAPTA RAPTORIS MORTEM VEL NUPTIAS OPTET. Neutra res est, quam differri oporteat: sive is est raptor, qui pœnam mereatur, non meretur advocationem [1]: sive ignoscitur raptori, non debent habere moram nuptiæ vel inchoatæ: si tantum non statim educeres, hæc fortiter dicerentur: nunc educere vis post nuptias. Utrum igitur jure prius, an æquitate consistes? jus ipsa legis positione manifestum est: nam quum raptam educi in hoc jubeat, ut mortem vel nuptias optet; manifesto ostendit eam educi oportere, cui utrumque liberum sit. Præterea jam ne raptæ quidem nomen habere potest, quæ nupta est: sicuti nomen pupillorum legitimo tempore finitur: sicut orbam nemo post nuptias dixerit: sicuti virginis appellationem nox illa maritalis aufert; ita ne rapta quidem dici potest, quæ maritum habere cœpit: licet igitur raptæ permissum sit quocumque tempore optare, nuptæ optare permissum non est. Hæc ex lege manifesta sunt, illa ex æquitate: ante omnia non tam duram esse lex voluit conditionem, ut semper raptor puniretur: ideo et misericordiæ locum fecit. Et idcirco jam non ad ipsum tantummodo [2], qui rapuit, sed etiam

1. *Meretur advocationem.* Id est moram, dilationem. Vid. Cl. Græv. ad Cicer. ad Fam. VII, 11, et Vorst. ad Val. Max. II, 9, 1. BURM.

2. *Et idcirco jam non ad ipsum tantummodo.* Noluit lex, ut semper raptor puniretur, perpetuaque esset adversus eum accusatio et electio. Ita fit, quum rapta nullam amplius actionem habeat, quæ non

Digitized by Google

ad eum, qui eduxit[1], pertinet, qui certe nihil peccavit, qui certe manere potuit. Hoc loco mihi illud opponitur, non potuisse ante educi eum : quasi vero intersit causæ, qua ratione jus interierit. Profugerat, inquit, raptor : scio, quid facillimum sit dicere : persecutus esses, inquisisses; si verus hic dolor, si vera indignatio erat, non omisisses. Non hoc illi profuit, quod profugit, sed illud, quod redire permisisti : fortasse enim contentus fueris hac ipsa pœna exsilii : satis vindicatum te credideras. Ne illud quidem verendum, ne raptoribus exemplum profugiendi permittamus, si optari adversus eos amplius non potuerit : satis enim magnum supplicium hoc est, et certum : nam is, qui permanserit, sperare et nuptias poterit, etiamsi mortem timebit; ei vero, qui profugerit, exsilium sine dubitatione erit patiendum. Hæc diceret ipse, quæ nunc ego dico : quoniam ille non dicit, et obstare nihil hoc loco putat jus. Si non possem reddere rationem, judices, quantum mea interesset id, quod vindico, illud tamen responderem, pro jure loqui nemini non licet. Conveniat inter vos[2] fortasse : hoc est, quod sollicitissimum facit : loquar tamen pro lege, loquar pro æquitate. Quid? si vero hoc, ut paullo ante dixi, aliquanto magis ad me, quam ad raptorem pertinet? periclitor enim nuptiis[3], periclitor matrimonio,

præscriptione excludi possit, ut jam hoc judicium non tantummodo ad raptorem, sed ad maritum pertineat, atque adeo magis, quod ipse omnino nihil peccavit, nec ullam fugiendi causam habuit : ejus vero interest, ne ei uxor abducatur. Ergo præcedentia sic dicta sunt, quasi raptor contradiceret : sequentia sunt mariti ex se suo jure suoque nomine contradicentis. Ærod.

1. *Sed etiam ad eum qui eduxit. Sed magis etiam ad eum, qui eam duxit, pertinet q. c. n. p., q. c. remittere potuit.* Ita sequentia, *Quid si vero hoc, aliquanto magis ad me, quam ad raptorem pertinet*, exigunt. Schult. *Ad eum qui contradicit*, Ærod.

2. *Inter vos. Inter eos:* raptorem et uxorem meam. Schult.

3. *Periclitor enim nuptiis.* Ita ve-

Digitized by Google

non una nocte cognito; nec propter errorem fortasse, nec propter[1] injuriam, sed delecto, sed probato, sed impetrato. Tentat me adversus hæc socer spe fallere, et non palam ostendit, quid sit optaturus: ita blanditur tamen[2] actioni libenter: judicium credo, remansura est in meo matrimonio. Misereor raptoris; neque ego primus cœpi: misereor, erravit fortasse, ut scelus commiserit: homo, dum periclitatur, etiam imago[3] pœnæ me confundit: hoc quum mihi accidat, quid accidere potest puellæ? Neque ego tamen illum defendo; fecit enim rem improbam, fecit rem inconsultam: sed exsulavit, sed abfuit. Hæc, si confiderem: illud vero ad metus pertinet, et tamen non ego de uxore diffido, non de animo illius dubito; alioqui minus sollicitus essem. Scio meruisse me, ut amarer, scio obsequium, scio om-

teres locutos, docet Gronov. ex locis Livii XXXVIII, 25; et XL, 15. Vid. inf. Declam. CCCXXV: «Sed «pecunia potius periclitemur.» Justin. XXXVII, 3: «Veneno peri- «clitatus est.»

1. *Nec propter errorem fortasse, nec propter.* Non placet *fortasse* toties hac Declamatione repetitum. Quare, quum et hic incommodum sit, expungatur, et legatur, *nec per errorem, nec per injuriam.* Schult.

2. *Ita blanditur tamen*, etc. *Ita blanditur actione libenter, judices, credo, remansura est in eo matrimonio.* Sic lego. Sed minuta isthæc prosequi magis piget quam pudet, itaque ea tantum notabimus quæ majoris momenti videbuntur: cætera lectoris diligentiæ relinquemus. Pith. Quis ferat hic fastidium præstantissimi viri? Hoccine minutum? Atqui locus est corruptissimus, ac quod ille substituit, sine sensu. De verbis animum despondeo: sed sententia hujusmodi quid requirit: *ita blanditur tamen, ac si non pœniteat judicii eum.* Nempe in me genero legendo. *Credo, remansura est in meo matrimonio.* Gronov. *At blanditur tamen affectioni. Libenter, judices, credo*, etc. Schult. *Ita blanditur tandem actioni. Libenter, judices, credo, r. e. i. m. m. sed misereor*, etc. Ærod. *Ita blanditur. Tamen actioni libenter*, marg. Ærod. *Ita blanditur tamen, ac si non inhibente me judicium, credo, remansura esset in m. m.* Obrecth. Forte *ita b. t. ac si non illibenter, judices, remansura, etc.*

3. *Imago pœnæ.* Ovid. Met. VI, 586: «Pœnæque in imagine tota «est.» Et Ep. XIX, 193: «Nec «minus hesternæ confundor ima- «gine noctis.»

Digitized by Google

nia maritalia officia plena indulgentia consequutum. Illud dubito qui possit, quum educta fuerit ad magistratus, quum ille periturus jacuerit ad pedes, quum produxerit propinquos, quum amicos. Quare alius[1] dicat uxori meæ, Amo; et ideo rapui: quare sit, qui contra me dicat. Misere timeo favorem illum populi, misericordiam civitatis. Quid autem fieri iniquius potest, quam abduci mihi uxorem, propter quam aliquando raptor ausus sit reverti? qui ipse satis judicavit, non esse legi locum, quod reversus est. Confundit me maxime spes illius: quum timeret, profugit, ac nunc educi se patitur[2]. Silentium quidem uxoris meæ ego vero neque suspectum habeo, neque timeo: decet hoc matronalem pudorem: et si educta ad magistratus fuerit, hoc illam maxime facturam arbitror, ut taceat. Quare, socer, tu opta: si hoc quæsisti educendo raptorem ad magistratus, ut confunderes, ut terreres, ut te metu illius vindicares; intellectum artificium tuum est: non timet: tuere nuptias, quas junxisti, tuere matrimonium, quod copulasti: istum raptorem puta abesse.

1. *Quare alius. Quando alius*, et mox, *quando erit*, aut *stabit*, *qui contra*. Schult. *Quare sit, qui c. m. dicat; miserere? Timeo*, etc. Obr.

2. *Educi se patitur*. Sic prætulimus ex Bip. et Hack. adversante Burm. qui habet *patiatur*, nullasque huc affert varias lectiones. Ed.

Digitized by Google

CCLXXXI.

Abdicandus cum gladio.

Qui abdicatur, contradicit: inter moras judicii, stricto gladio occurrit in solitudine patri: rogavit, ut sibi abdicationem remitteret, et coegit jurare: juravit ille, et accusat filium parricidii.

SERMO.

Narratione præparandum est, ut quoniam nulla certa causa est abdicationis, videatur pater parricidii suspicione fecisse, et has insidias prævidisse. Quæstiones illæ sunt, an ad legem parricidii satis sit probare, hoc in reo propositum fuisse: an hoc propositum huic fuerit.

DECLAMATIO.

Primum hoc mihi responde, an occisuri habitu fueris: non enim tibi proderit dixisse, non feci. Nunquam mens exitu æstimanda est: nam et qui impetum in patrem stricto gladio fecisset, retentus, diceret, non occidi: si venenum paratum deprehendissem, [1]diceres, non occidi: quin etiam si permittitur ista defensio; et ille potest dicere se non occidisse, qui percussorem summiserit. Satis ergo est probare animum parricidæ: superest, ut cogitetis, an hic animum habuerit. Si occultius esset conjectura ducenda, dicerem, turpem adolescentem: dicerem, abdicatus est: etsi innocens magis poterit irasci. Sed quid causam infirmo dicendo? in

1. *Deprehendissem, diceres. Diceret* Francius malebat, et ita Ærodius.

Digitized by Google

aliqua vos positos specula putate illa, quæ facta sunt, videre. Abdicatus in solitudine est: locus opportunus insidiis: habet gladium, instrumentum parricidii: accedit ad patrem, manuque sublata, rogo, dicit[1], immo jubet: non sunt enim preces, ubi negandi libertas non est. Utriusque intuemini animum, et, si videtur, prius meum. Occisurum te non dubitavi: ideoque ille severus, negare non potui: reliqua a vestris animis[2] interrogate: is qui armatus rogat, quid facturus sit, si non impetraverit? duo sunt, opinor, inter quæ quæstio interposita videatur, hic si non impetrasset, aut occisurus fuerat, aut moriturus: non dico, utrum credibilius sit, utrum facilius. Exorare me volueras: quanto opportunius alibi rogasses? alio tempore? quum primum abdicatus es, adhibitis propinquis, et amicis. Quid facit ad preces solitudo, ista instrumenta[3] sunt parricidii, hæc occasio, hic locus, hoc tempus. Si abdicarem te, moriturus fuisti: reum parricidii ago. Quid superest igitur, nisi ut vindicaturus fueris eam, quam injuriam vocabas? Non, inquit, occidi: hoc quidem in genere nemo non defendi potest, cui voluntas parricidii objicitur. Non, inquit, occidi: si dicerem, difficilius[4] putasti:

1. *Rogo dicit. Rogat, dico.* Ut paullo post, *armatus rogat*, et, *alibi rogasses.* SCHULT. Sed vulgata ita capienda; dicit, rogo, ut remittas abdicationem, nec dicit, sed jubet, vim intentando.

2. *A vestris animis.* An, *vestros animos interrogatis?* ut Petron. CII: « Interrogate audaciam vestram. » SCHULT. Recte, ut puto. Idem Petron. CXXVIII: « Interrogare ani- « mum meum cœpi. » Vide ad Declam. I, 2. BURM.

3. *Ista instrumenta. Et ista instrumenta sumpti parricidii? hæc occasio? h. locus? h. tempus?* Ita *sumere bellum*, *conjurationem*, et similia apud Sueton. et alios: quamvis et vulgata possit retineri, sed sequentia, *si abdicarem* et *ago* transposita videntur, et locanda post *vocabas*. SCHULT.

4. *Si dicerem, difficilius putasti.* Immo *facilius*. Eventus, ait, non purgat animum tuum. Invenisti enim difficile, quum agendum es-

Digitized by Google

scelera propius admota[1] plus habent horroris : si dicerem, obstitit tibi vis numinum, et tacita quædam illius solitudinis religio : nunc vero manifestum est, cur non occideris; distulisti hunc animum, dum heres fieres.

CCLXXXII.

Tyrannicida veste muliebri.

TYRANNICIDÆ PRÆMIUM. Tyrannus quum in arce[2] duci jussisset cujusdam sororem, frater habitu sororis adscendit, et occidit tyrannum : eodem habitu magistratus illi, præmii nomine, statuam collocavit : injuriarum reus est.

DECLAMATIO.

Animus[3] liber est, nec interest, quo habitu statua ponatur : varia gentibus consuetudo est : et hoc tibi honestius erat[4] : inter multos tyrannicidas notabilis eris, in eadem re, in qua[5] pro sorore venisti. Bella quoque insidias[6] habent : statua ergo tua non transibitur : ha-

set, quod, quum decerneres, facile credidisti. GRON.

1. *Scelera propius admota.* Decl. CCLXXXVI : « Non obstupuisti « propius scelere admoto ? » SCHULT.

2. *In arce.* An non *in arcem ?* ut Francius volebat.

3. *Animus.* Al. *amictus :* marg. Ærod.

4. *Honestius erat.* Immo *erit.* GR.

5. *In eadem re, in qua.* Lege : *in eadem veste, in qua pro sorore venisti.* GRON. Non facile mutem : ita enim et Phædr. Fab. III, 8, 11 : « Vir « natus quod rem feminarum tetigerit. » Plura dicemus ad Ovid. Am. II, 3, *in* autem, ut *in hasta, in jaculis, in longa veste sacerdos,* et similia passim obvia. BURM.

6. *Bella quoque insidias. Quoque has insidias habent,* ut veste dissimulent se. SCHULT. Non satis hæc capio : an, *vela quoque hæc insidias habent :* ut per vela vestes fluxas et muliebres intelligat : an simpliciter laudet ejus strategema, quod non aperte aggressus tyrannum, sed in veste muliebri, eodem modo

Digitized by Google

bitus faciet, ut interrogent transcurrentes. Jam illa tempora cogita, quibus senex aliquis[1] narrabit fuisse te, qui inexpugnabilem arcem intrares pro sorore : puerum adhuc fecisse fortiter : debes igitur mihi beneficium, quod tyrannicidium tuum semper monstrabitur.

CCLXXXIII.

Cynicus diserti filius.

Disertus cynicum filium abdicat. C. D.

DECLAMATIO.

In quacunque parte, non parentem juste abdicarem : ideo enim vos sustulimus, ut nobis obsequamini : et certe nullus excusatius[2] a patre non probabitur, quam qui non probat patrem[3]. Scilicet nos stulti, qui forum,

ut in bellis sæpe insidiæ majorem laudem, quam aperta vis, merentur. Ne pudeat ergo vestis, quum in ea fortiter feceris, ut non pudet duces summos per insidias hostem interfecisse. *Habent* vero est, continent in se : ut Schefferus ad Phædr. Fab. I, 19, 1 : « Habent in- « sidias hominis blanditiæ mali. » Burm.

1. *Senex aliquis. Senex aliis narrabis*, Schult.

2. *Et certe nullus excusatus.* Vet. exemplar. *excusatius*, recte. Pith. *Accusatus*, Ærod. Al. *Abdicatus*, vel *exclusus*, vel *excusatus*; sed omnes frustra : Justin. XXI, 1 : « Excu- « satius facturus, quod statuerat, » et XXXII, 2 : « Excusatius sacrile- « gia commissurus. » Burm.

3. *Quam qui non probat patrem.* Fortes nascuntur fortibus : merito igitur hic abdicatur, quia cynicus filius ad urbanum et facundum patrem pertinere non videtur, dissimilitudine morum non probat patrem. Et Varro quemdam in testamento ita cavisse retulit, Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignuntur, ii si erunt ὄνοι λύραις, exheredes sunto. Quintilian. lib. IV, c. 2, §. 30 : « Sed in scholasti- « cis quoque nonnunquam evenit, « ut pro narratione sit propositio. « Nam quid exponet, quæ zeloty- « pum malæ tractationis accusat ?

Digitized by Google

reipublicæ dignitatem tuemur. Discede ab insipiente, ab insano. Sed non necesse habeo, judices, diu commendare vobis officia civilia, in quibus jam diu satisfeci. Omnis mihi actio in dispicienda vita filii posita est: videte, ut alia taceam, habitum ipsum: cæteros enim, quos abdicant patres, sine narratione culpæ abdicare non possunt[1]: in hoc filio satis est ad odium, habitum ostendere. Quis est iste filii habitus? quæ sordes? quid mihi hanc invidiam facis, ut quum habeas patrem, cibum ab aliis petas[2]? Adversus fortunam te exerces: quid enim accidere gravius potest? frigus, famem pateris, ne quando accidant? et ideo aliquid pateris, ne quando patiendum sit? Vos vero novo genere ambitus, adorationem miseria captatis: inde illa impudentia, quod verecundiam inter crimina ponitis, et appellationem quoque passim[3] nuper dedistis. Omnis vero philosophiæ tractatus[4] alienus moribus nostræ civitatis est: tamen utique placuerat: nonne aliæ sectæ justiores? attenderes physicis: quæreres, utrumne ignis esset initium rerum; an vero minutis editus et [5]mirabilibus

« aut qui cynicum apud censores « reum de moribus facit, quum to- « tum crimen uno verbo, in quali- « bet actionis parte posito, satis « indicetur? » Ærod.

1. *Sine narratione culpæ abdicare non possunt.* Vid. Petit. ad Leges Atticas II, tab. 1, pag. 137.

2. *Cibum petas.* Id est, mendices. Ovid. Ibin, 112: « Exiguumque pe- « tas ore tremente cibum. » Decl. CCCLXVIII: « Hæc ei petit cibum « seni, cui alieni porrigunt; » et passim apud alios. Ita αἰτεῖν ἄρτον Græcis: v. Th. Mag. in αἰτοῦμαι. Bur.

3. *Et appellationem quoque passim.* Ærodius inserto vocabulo: *et timiditatis appellationem quoque.* Nihil agnosco sanius. Forte: *quod verecundiam inter crimina ponitis et appellatione quoque dudum pessumdedistis:* assumpto scilicet cynicorum nomine ab canum verecundia. Gron. *Appellatione q. ipsa passim, non nuper derisistis.* Schult. Forte, *appellationem quoque passim superbiæ edidistis.* Burm.

4 *Tractatus.* Vid. ad Inst lib. XII, 2, 16, et procem. lib. VIII, 5.

5. *Mirabilibus.* Al. *innumerabilibus,* vel *insecabilibus,* marg. Ærod. *minutis, et innumerabilibus,* mallet

Digitized by Google

elementis, perpetuus hic mundus, an mortalis esset. Viderint alii : ego in te hanc patientiam[1] corporis ferre non possum : in alias te spes sustuli : de dignitate tua cogitabam. Quod si abdicationem ferre non potes, si carere hereditate malum judicas; deprehensus es, damno pecuniæ moveris, et detrimento famæ : et homo, qui has ipsas opes quotidie incusas, tamen concupiscis : dignus es[2] igitur. Verum fateamur ea, quæ sentimus; nec nos extra rerum naturam[3] ambitus ponat : cujus enim est hominis, pugnare cum moribus, et damnare[4] se?

CCLXXXIV.

Adulter sacerdos.

SACERDOS UNIUS SUPPLICIO LIBERANDI HABEAT POTESTATEM. ADULTEROS LICEAT OCCIDERE. Quidam sacerdotem deprehendit in adulterio, et eum sibi ex lege impunitatem petentem, occidit. Reus est cædis.

SERMO.

An sacerdos[5] adhuc fuerit deprehensus, id est, an eo

Muncker. ad Fulgent. Myth. 1, 2, et atomos intelligit. ALMEL.

1. *Ego in te hanc patientiam corporis.* Vet. cod. *patiendam.* An *patienda*, ut *fruenda* apud Ausonium? vix puto. PITH. — *Ferre.* Forte, *te in hanc patientiam corporum ferri, ferre non possum. Ferri* proprium de inconsiderato impetu. Vid. ad Inst. Orat. lib. X, 7, 14. BURM.

2. *Dignus es. D. e. i. abdicatione,* Ærod. An, *malignus es igitur?* an, *dignius est igitur, ut verum f. et ea quæ?* An, *Diogenes esto igitur?* SCH.

3. *Extra rerum naturam.* Leidensis editor omisit *naturam*, quæ vox est in Pithœi, Ærodii et aliis editionibus; sed Obrechtus, ideo credo, correxit, *extra verum ambitus p.*

4. *Et damnare. Ejus est damnare se,* Ærod.

5. *An sacerdos.* Meminit Quinti-

Digitized by Google

momento[1] quo deprehensus est, perdiderit jus sacerdotis? an si adhuc sacerdos erat, potuerit se postulare in hoc crimine? an occidi usquam, nisi in publico[2] possit?

DECLAMATIO.

Quod mihi sufficit, adulterum deprehendi: nec enim ulla excipitur persona; et turpius est adulterium in sacerdote. Legem, inquit, habuit: hoc tale est, quale si ignosci sibi velit dux proditor[3], vitiator pupillæ tutor. Sed finge me ex suspicione egisse cum illo adulterii: nempe damnatus caruisset sacerdotio: adjice, quod lex potestatem servandi concedit alterius. Scriptum est, ut qui civem servaverit, honoretur[4]: numquid potest præmium accipere, qui se servavit? aut injuriarum damnari, qui se pulsaverit? Præterea lex adulterii prior est, quam sacerdotis: sacerdos enim optat in publico: quod si adulterum tetigerit[5], evasit. Quid? quod ille pro duobus petebat? nam adultera sine adultero non poterat occidi: et tunc utique cædem commisissem.

lianus hujus controversiæ lib. V, 10, 104: « Hoc genus argumentorum sane dicamus ex circumstantia, quia στάσιν dicere aliter non possumus: vel ex iis quæ cujusque causæ propria sunt: ut in illo adultero sacerdote, qui lege, qua unius servandi potestatem habebat, se ipse servare voluit: proprium est controversiæ dicere; Non unum nocentem servabis, quia te adultero dimisso, adulteram occidere non licebit. Hoc enim argumentum lex facit, quæ prohibet adulteram sine adultero occidi. » Ærodius.

1. *An eo momento.* Scribe: *an non eò momento, quo deprehensus est, perdiderit jus sacerdotis.* Gron.

2. *An occidi usquam nisi in publico possit. Optare usquam*, Ærod.

3. *Dux proditor.* Qui quum ex lege prærnii petendi jus habeat, pro præmio abolitionem petat: et quod tutori pro salario debetur administratæ tutelæ nomine, id sibi stupro acceptum ferat. Ærodius.

4. *Honoretur.* Alii, *coronetur.* Pith.

5. *Quod si adulterum tetigerit. Petierit.* Ærod. *Quod si adulter tetigerit.* Schult. *Adulterium tetigerit*, marg. Ærod.

Digitized by Google

CCLXXXV.

Imperator exsulis filius.

PRÆMIUM VICTOR IMPERATOR ACCIPIAT. Imperator [1], cujus pater in exsilio quinquennii erat, vicit: aliud præmium petit: reversus pater post quinquennium abdicat.

SERMO.

Pater hic et honestus et miser est, ut qui exsul filium imperatorem habeat. Quæstio, an quinquennii illius, quo pater exsulavit, filio sit ratio reddenda?

DECLAMATIO.

Colorate affert quidem iste tale patrocinium, ut me neget exsulem fuisse: sed timuit ne, si ego essem revocatus, transferretur imperium.

1. *Imperator.* Qui per imprudentiam hominem occiderant, quinquennium exsulabant. Ita ergo filius excusat factum, quia proprie exsilium non est, quod temporale est. Igitur aliud ex lege viri fortis optare maluit, quam patris sui reditum, quia alioqui certus est. ÆROD.

Digitized by Google

CCLXXXVI.

Adulter fratris ex sponso.

ABDICARE ET RECUSARE LICEAT. RAPTA RAPTORIS AUT MORTEM OPTET, AUT NUPTIAS. Peregrinantis quidam fratris sponsam rapuit: puella, deprecante patre, raptoris nuptias optavit. Juvenis, reversum fratrem, ut in adulterio deprehensum, quum pro illo pater deprecaretur, occidit[1]: abdicatur.

SERMO.

An omnia, quæ adversus voluntatem patrum admissa sunt, debeant abdicatione puniri? an propter id debeat abdicari, quod lege fecerit?

DECLAMATIO.

Feliciores[2] patres sic irasci solent; Nihil non facere debuisti secundum meam voluntatem: objicio tibi munus lucis: jactat se potestas illa patrum, etiam in magistratus, etiam in victores: non exigo tamen, ut facias, quod jubeo: peto, ut facias, quod rogaverim. Quod si certe non sufficeret ad abdicationem, multum proficeret ista defensio: non dicit[3], tamquam patri, oportuit facere; sed, licuit mihi, tamquàm alieno. Lex est, quæ permittat adulterum cum adultera occidere. Sic agam hoc, tamquam cædis causam[4]: quod si facerem, igno-

1. *Occidit.* In ipsis nuptiis videtur factum, ideoque raptum objicit pater, eoque ait abdicasse. Est vero Declamatio intricatissima. SCHULT.

2. *Feliciores. Faciliores*, marg. Ærod. — *Sic irasci*, Ut nec abdicent in atrocissimo scelere. SCHULT.

3. *Non dicit. Quod non dicit, quamquam p. o. f. s. l. m. quamquam alieno.* SCHULT.

4. *Sic agam hoc, tamquam cædis causam.* Hic mihi suspectissimus

Digitized by Google

sceretur mihi. Major sit eorum libertas, qui matrimonia junxerunt[1], qui per vota venerunt : vos vero, qui nuptias facitis in pœnam, ad quos uxores per lictorem deducuntur, id vindicare non potestis, quod sic impetratis[2]. Sed ut omnia prætermittam, nihil præter animum patris æstimare debuisti[3]. Cæteris forsitan defendi legibus possis : ea, quæ ad patris te obligavit voluntatem, exsui non potes : abdico te, vel quod unicum, vel quod alterum perdidi. Eligat[4] ipse, qualem sortiri vellet patrem, mitem, an fortem : det mores, dum custodiat, quos dederit : quum adulteros occideris, necesse habes severum patrem sortiri. Abdico raptorem, necdum dico, cujus : hoc certe dico, rapuisti virginem, pacis faciem turbasti, fecisti, propter quod juste occidi posses : adiisti

locus est. Agnoscit qui abdicatur, non tantum hoc scelus fuisse, ut graviori scelere, videlicet parricidio, vindicandum esset. Dicit ergo pater, hic se tamquam cædis causam agere, et tamquam ob cædem filium abdicare, quem etsi revera hujus delicti nomine accusaret, filii alterius obitum acerbe ferenti, merito ignoscendum esset. Patiuntur verba hanc interpretationem : sed sequentia tale quid desiderant, Lex est, quæ permittat adulterum cum adultera occidere : non possum igitur in fratre cædis causa esse, quæ in alio perpetrata mihi non imputaretur. At major sit, etc. Ærod. Forte, *non hic agam hodie tamquam senis causam, q. si f. i. m. sed major,* etc. Schult.

1. *Qui matrimonia junxerunt.* Fortasse: *qui patrimonia junxerunt.* Ut Decl. CCXLVII : « Patrimonium « jungendum. » Gron. Forte, *quorum matrimonia junximus, eaque patrum voto inierunt. Vos v. q. n. habetis, ut pœnam ;* vel *facitis pœnam.* Videtur respicere ad uxorium, et simul significat, quod vulgivaga venere amet explere libidines. Sch.

2. *Quod sic impetratis. Quod sic imperatur.* Schult.

3. *Nihil præter animum præsens æstimare debuisti.* Hoc est, quum ita rapueris, et nuptias ejus male impetraris, quæ alii et fratri pacta uxor esset, quamvis postea adulterum cum adultera deprehenderis, animum potius, quam factum æstimare debuisti, se quasi suo jure et legitime amplexantium, non ut tibi injuriam facerent, torum violarent. Ærodius.

4. *Eligat. Eligas* et *velles*, et *des*, et *custodias*, et *dederis. Quum adulterum*, etc. Schult. *Elige tu ipse qualem s. velles patrem mitem, a. f. det m. d. c. quos dederis : quum adulteros*, Ærod. *Custodias*, marg. ejusdem.

Digitized by Google

me præterea, et propter te sollicitus fui: quod erat gravissimum, necesse habui rogare. Si rapuisti fratris tui sponsam, non sufficit severitas, non sum [1]iracundus, non est hæc vulgaris libido, sed incestus. Tu expugnare absentem[2] fratrem ausus es, et fecisti, ut videretur puella parum pudice fecisse: quid respondes? quid dicis? Solent ista sic defendi, juvenis erravi, et amore lapsus sum: vis igitur ignoscam? nihil est gravius, impositam severitatem personæ[3] detrahi. Do vitiis veniam: habes patrem lenem, mitem; sceleribus ignosco: redde rationem, cur nunc tu occideris fratrem: quod tantum scelus inveniri potest, quod parricidio vindicandum sit? Ubi sunt illa præcepta, quibus monebam, ut concordes essent fratres[4]? parum est dicere, voluisti occidere: potuisti? non diriguit mens? non soluta dextera est? non obstupuisti propius scelere admoto? Sed qua causa occidisti? violaverat matrimonium: adjice, frater, non contingeret[5] tibi sic agere quasi marito: tu enim profecto nocens, qui sponsam abduxisti, sic amantem. Nunc intelligo, quantam injuriam fecerim puellæ, quæ coacta est te habere maritum, quum altero carere non posset. Acrius incalescunt[6] ignes legitimi, utique quum inciderunt in rudes animos[7]. Deprehendisti in adulterio:

1. *Non sum iracundus.* An, *non summa iracundia?* Schult.

2. *Absentem.* Hoc verbum male insertum. An *adolescentem?* an *accubantem?* an *amplectentem?* Sch.

3. *Impositam severitatem personæ.* Conjiciebam: *nihil est gravius, quam impositam severitatis personam detrahere.* Gronov.

4. *Ut concordes essent fratres.* Videtur fuisse: *ut concordes essetis fratres.* Gron. Et ita Schultingius.

5. *Non contingeret.* An, *nondum*, an, *ne contingeret?* Schult.

6. *Acrius incalescunt.* Declamat. CCXCI: «Majores habet vires ignis, « qui legitimis facibus accenditur. » Schult.

7. *Rudes animos.* Virgines nondum amorem expertas. Vid. ad Inst. Orat. lib. I, 1, 36; Propert. III, 13, 5: « Illa rudes animos per noctes con- « scia primas Imbuit, heu nullis « capta Lycinna datis. » Burm.

Digitized by Google

si ullus in te pudor est, maritus fuerat, si per te licuisset.

CCLXXXVII.

Fortis filius[1] *proditionis rei.*

Proditionis reus citatus est, qui duos filios habebat: ex quibus alter fortiter fecit, alter deseruit. Petit pater a filio, ut abolitionem judicii peteret: ille fratris vitam petiit, et adfuit patri: absolutus pater abdicat filium. Ille C. D.

SERMO.

An quidquid pater voluit, filio facere necesse sit? an viro forti? an abdicari propter præmium possit?

DECLAMATIO.

Duo hæc, ut opinor, objicis mihi pater, et quod desertoris vitam optaverim, et quod abolitionem judicii non optaverim. Optavi vitam, puta, nocentis, sed fratris: alieni quoque juvenis, æqualis mei, misertus fuissem: subiisset illa cogitatio infelicis hujus parentis: non tam reprehensione dignus est desertor, quam laude vir fortis. Post hoc objicis mihi, quod de innocentia tua nihil timui; sciebam, quomodo vixisses, quomodo tuam causam egissem: ego enim domum nostram in acie defendi: accedit, quod qui semel delatus est reus, non potest absolvi, nisi accusetur: omnes dixissent,

1. *Fortis filius.* Vide infra ad Declamationem CCCLXXI: « Viri fortis pater proditionis reus. » Ærod.

Digitized by Google

causæ patris diffidisset[1] vir fortis. Nihil aliud[2] egissem quidem : et quid futurum erat? si impetrassem, damnareris. Adfui tibi : non imputo : neque enim tu ideo absolutus es: vicit causa, vicit innocentia : ego nihil imputo, nisi quod bene speravi de causa tua. Ecquid igitur, pater, gratularis tibi? omnes salvi sumus; nam de fratre noli desperare : sæpe rediere virtutes : jam domi habet exemplum : in periculo mortis fuit : scit, quale sit deserere, quale fortiter facere : denuntio tibi, frater, tollas[3] ignominiam.

CCLXXXVIII.

Tyrannicida filiorum duorum.

Qui duos filios tyrannos occiderat, petit præmii nomine, ut tertium in exsilium proficiscatur.

SERMO.

INDUBITATE pater hic timet, ne et ille tyrannus fiat: sed non debet illum facere suspectum: alioqui reus erit: non mittetur autem in exsilium suspectus. TYRANNICIDA OPTET, QUOD VOLET. Prima illa communia nihil excepit: illud proprium, plus deberi huic tyrannicidæ, qui senex duos, et

1. *Causæ patris diffidisset.* Lege, *omnes dixissent, causæ patris diffidit vir fortis.* GRONOVIUS. Ita et Schultingius, vel, *diffidisse virum fortem.*

2. *Nihil aliud.* Forte, *nihil aliud egissem quidem : quid futurum erat, si impetrassem? damnareris*: nam qui petit abolitionem judicii, damnationem metuit: si impetrassem, perinde est, quasi mea confessione damnatus esses. SCHULT.— Bipont. ed. novam lectionem, qua sensus admodum elucidatur, affert, cui libenter adstipularemur, dummodo ullis codicibus firmaretur: scilicet: *si impetrassem, non absolvereris; si non impetrassem; damnareris.* ED.

3. *Tollas ignominiam. Tollas istam ignominiam*, Ærod.

Digitized by Google

filios occiderit: invidiosum itaque erat, si quid [1]petiisset pertinens ad gratulationem.

DECLAMATIO.

Tyrannos genui: nunc opto, ut filius exsulet. Quod mihi et citra præmium licebat, hoc et pro præmio peto, et pro ipso juvene. Nihil dico de fato domus nostræ, non persequor rationem quoque metus mei: illud interim contentus sum, dicere, supervacui sunt metus, nihil imminet: sed et spectat ista plerumque sapientia gravior[2]. Quid tu accidere credis illis, qui liberos habent? quid maritis? pater timeo. Sed rationem metus habent: sive, ut maxime vereor, fatum istud est domus nostræ. Ignosces enim quod filios meos ultra mortem persequor: nihil de illo timui, qui primus tyrannus fuit: iisdem præceptis erat educatus, quibus tu: illo occiso timere non debui, ne quis ex vobis idem cogitaret: occupavit tamen arcem alter, non in totum sua culpa: difficile fuit obstare illis, qui convenerant tyranno[3] priore, et velut ad heredem. Non potes tutus esse in ea civitate, in qua timeris: nihil cogitasti: timeo, dum innocens es: vereor, ne si quis te occiderit, videatur tyrannicidium fecisse.

1. *Petiisset.* Ex Bip. maluimus pro *periisset.*

2. *Gravior. Graviora.* Schult.

3. *Qui convenerant tyranno. Qui convenerant tyranni prioris velut ad heredem.* Id est, successorem. Justin. X, cap. ult.: « Hereditas « regni Ocho tradita. » Schult. *Quæ convenerant cum tyranno priore, ut velut ad heredem (transierit affectatio tyrannidis).* Ærod. — *Tutus.* Ærod. *tuus.*

Digitized by Google

CCLXXXIX.

Amator filiæ.

QUI CAUSA MORTIS FUERIT, CAPITE PUNIATUR. Speciosam quidam filiam, de amore confessus, amico dedit servandam; et rogavit, ne sibi redderetur petenti: post tempus[1] petit: non accepit: suspendit se: accusatur amicus, quod causa mortis fuerit.

SERMO.

CUSTODIENDA est amici persona, ut quamquam de re nefaria, non tamen sine respectu amici loquatur, et actione tota misereatur illius: illud vero, quod periit, laudet, et magis desperatione eum fecisse dicat, quam cogitatione turpissimi amoris.

DECLAMATIO.

Antequam dico, quo crimine reus sim, dicendum est, cui dicar fuisse causa mortis. Periit amicus meus: non esse hoc vulgare nomen, ipse monstravit. Hunc igitur occidisse dicor nulla lucri spe, nam filiam relinquebat; nulla offensa, nam et ille mihi credidit, et ego nihil feci extra præceptum: quidquid est igitur, quod objicitur mihi, ex bona mente proficiscitur. Videamus tamen, an ubi animus accusari non debet, jus hæreat:

1. *Post tempus.* Id est, paullo post: ut Obsequens de Prod. 89: *Quod prodigium aruspicum responso seditionem, quæ post tempora patuit, portendit.* Ubi Schæfferus, *post tempus apparuit* quod explicat e sequentibus Phædr. IV, 18: « Qui fert malis auxilium post tem- « pus dolet. » Vid. ad Inst. lib. XII, 3. BURM.

Digitized by Google

quæritur quid sit CAUSA MORTIS[1]. Accusator dicit, per quem factum sit, ut aliquis moreretur : si quis, quod natura mortiferum sit, adversus aliquem fecerit. Quæ si sequenda[2] definitio est, accusabitur et ille, qui alicui suaserit[3] peregrinationem, deinde is aut naufragio perierit, aut latrocinio : ipsi convictus infamabuntur, ex quibus cruditas et interitus. Nihil igitur hic factum est, quod omnibus mortiferum : nam sicut telum omnibus mortiferum est, ita causa mortis est, quæ occidit omnes : detrahe huic amorem, nihil erit propter quod moriatur. Volo tamen causam facere difficiliorem : non deposuerit apud me filiam, nihil præceperit : tamquam melior amicus defendere filiam, in qua[4] pater furebat, volui : non enim amor erat, qui sic stimulabat. Abduxi, custodivi : nonne recipere non debuit, qui periit, quod non recepit? non reddidi : duxisset in jus, per judicem peteret : hoc si fecisset, mea laus erat : sed libenter cedo : ipse, ipse[5] fecit rem admirabilem, fecit, ut in laudem verteret hoc ipsum, quod turpiter amabat. Quem tum enim illi animum fuisse putatis, quum in illo furore tenuit tamen affectum patris, perduxit ad amicum, deposuit? At enim petivit postea : si animum illius metiri velimus, intelligemus, non fuisse petiturum, nisi quod sciebat me non redditurum[6] : sequutus est illum impetum animi

1. *Quid sit causa mortis. Quis*, volebat Francius.

2. *Quæ si sequenda.* Fab. lib. VII, cap. 3, §. 32. PITH.

3. *Accusabitur et ille, qui alicui suaserit.* Iisdem fere verbis Instit. lib. VII, cap. 3, §. 33 : « Nec un- « decunque causa fluxit, ibi culpa « est : ut si cui quis profectionem « suaserit, ut ad amicum accedat « trans mare, et is naufragio perie- « rit : ad cœnam invitarit, et is cru- « ditate illic contracta decesserit. » ÆRODIUS.

4. *In qua.* Ita recte; non *in quam*. Ita passim Ovidius, « ardere in ali- « qua. » Et similia vid. Met. VIII, 50; IX, 724; VII, 21; Passerat. ad Prop. I, 13. BURMANN.

5. *Ipse, ipse.* Semel habet Ærod.

6. *Non redditurum. Me*, Ærod. *Me non redditurum*, Schult. et Obr.

Digitized by Google

sui. At enim petiit : adjice præterea sanitatem, et non acceperat : sed ne peteret, deposuerat. Hæc satis plena defensio esset, si qua ego divinatione colligere potuissem, utique periturum, si non reddidissem : decepit me, quod ante fortius tulerat : neque enim hoc dico, redditurum me fuisse, si periturum patrem scissem : optime partes amici custodissem, si non reddidissem.

CCXC.

Abdicans reductum ob furorem.

Luxuriosus abdicatus, furere cœpit. Reductus a patre, [1]sanatus, abdicatur.

DECLAMATIO.

Si conscius mihi, judices, ullius culpæ essem, propter quam iterum abdicarer, scitis mihi non defuisse tacendi verecundiam : sed facile fuit prius silentium ; primum, quod sperabam fore exorabilem patrem ; deinde, quod certum erat, propter quod abdicarer : nunc intelligo, in multas me mitti posse suspiciones, quum expellar ab optimo patre : nec mihi ullo modo poterat ignosci[2], si offendissem statim : tota igitur actione hoc mihi objiciendum est[3], nihil me fecisse. Nec mihi, judices, in animo est excusare vitam priorem, nec ut me dicam numquam dignum fuisse abdicatione; sed ut me putem

et nos cum editione Bipontina. Ed.

1. *Sanatus. Et sanatus, iterum abd.* Ærod. — *Ullius culpæ.* Ærod. *illius culpæ.*

2. *Poterat ignosci. Poterit ignosci, si offendi illum statim.* Schult.

3. *Hoc mihi objiciendum.* An, *obtinendum?* Burm.

Digitized by Google

diu fuisse abdicatum [1], illa non narrabo, quam indulgens mihi ab ætate prima fuerit pater : quod fortasse etiam corruperit mores meos : nec illud error adolescentiæ [2], nec ætatis natura. Luxuriosum [3] putat fuisse : ego tamen insanus eram, et defendendus quidem, si contradixissem : sed perseveraturum patrem negabant propinqui : sic factum est, ut dolorem silentio premerem, qui clausus atque intra cogitationes receptus, abstulit mentem. Cæterum tamen, si verum velimus loqui, mutus fuit [4]. Quas hic ego patri gratias agam? reduxit me non sentientem; adhibuit curam, laborem : miserum me! sanatus sum : sacra majorum, deos penates non sentiens tenui : nemo gratulatus est amicorum : nunc expellor resipiscens. Felices, qui possunt omni vita sua parentibus dicere, quid feci? dicam tamen, quid postea feci? si luxuria intolerabile malum, ignovisti. Ego, inquit, te, quoniam demens eras, reduxi : ubi estis, qui me putabatis infelicem? ego vero dementiæ gratias ago : non quidem sollicitudinem patris sensi, sed nec abdicationem. Quid mihi cum tam veloci remedio? pater

1. *Sed ut me putem diu fuisse abdicatum.* Forte : *sed ut me probem tacuisse abdicatum.* Ut vobis fides fiat, causas habuisse illud meum *prius silentium*, quod modo appellavit. Gronov. *Sed ut me faciam indigne fuisse*, Schult. *Sed cur me p. d. f. a. illa narratio : quam*, marg. Ærod. Ipse ut vulgo, præterquam quod habet, *illa narro : scio quam ind.* etc.

2. *Nec illud error adolescentiæ.* Conjicio : *nec ille, errore adolescentiæ me, an ætatis natura, putarit luxuriosum fuisse. Ego tamen sanus eram, et defendendus quoque, si contradixissem.* Gron. *Et ille, quod error a. hæc ætatis n. e.*; aut, *nec illud, error*, etc. Schult. *Nec illud e. ad. nec ætatis. Natura luxuriosum putat fuisse : ego tamen sanus eram*, Obrecht.

3. *Luxuriosum. Luxuriosum putate fuisse, ego tamen insanus non eram.* Prodigi insani habentur : significat autem, quum insanum reduxerit, non debuisse vel tunc, vel nunc sanum abdicari. Schult.

4. *Mutus fuit.* Ugolinus et Ærod. *motus fuit* : nempe pater. Cl. Schultingius vero, *mutus fui*, nihil questus de patre, nec in furore, sum.

Digitized by Google

optime, fallax ista velox medicina: ego scio, quos animi æstus intus feram. Crede, pater, jam aliquas similes rerum[1] imagines video: redit igitur dementiæ prior causa: quare mihi, si non ad præsens tempus, ad futurum tamen rogandus es. Succurre, qui[2] soles.

CCXCI.

Adulter uxoris[3], *qua cesserat fratri.*

Qui duos filios habebat, uni uxorem dedit: altero ægrotante, et dicentibus medicis animi esse languorem, intravit stricto gladio minatus se moriturum pater, nisi causam indicasset. Confesso amari a se fratris uxorem, frater petente patre cessit: ille in adulterio cum priore marito deprehensam occidit: abdicatur.

DECLAMATIO.

Ingressurus actionem, interrogo, qualem patrem velis, gravem et severum, an facilem et ignoscentem? non dubito, quin adolescens vindicato modo matrimonio, malit me severe agere: talis igitur pater objicit tibi, quod in amorem incideris cujusquam: non est istud, nisi lascivientis animi. Jam si hæc[4], quam adamasti, nupta est; tu alienam matronam aliter, quam leges permittunt, adspexisti: adjiciamus huc, fratris uxorem. Intelligo me, judices fictæ huic personæ sufficere non

1. *Similes rerum. Rerum* delet Ugolinus. Mox lego, *redit iterum.* SCHULT.

2. *Qui soles.* An, *qui potes*; vel *soles* referri debet ad omnia ante actæ vitæ tempora. SCHULTINGIUS.

3. *Adulter uxoris.* Calp. Flac. Declamat. XLVI. SCHULT.

4. *Jam si hæc. Jam scilicet hæc, q. a. nupta est.* SCHULT.

Digitized by Google

posse, itaque tacebo : dic, te sequor[1] : paullo ante dicebas, corrumpere fratris uxorem ausus est, istud incestum est. Sed forsitan dicet, amavi adolescens eam, quæ domi erat, cujus conversatio continua etiam invitos ad se oculos poterat deflectere : ignoscamus amori : objicio igitur tibi occisos a te homines ex eadem causa, qua tu amasti. Nullus est tam vilis hominis sanguis, ut non manus inquinet : deinde hanc ego severitatem aliis permiserim; tu quod et ipse amasti, nonne tibi, quum deprehendisses[2], imaginem cernere visus es tui casus? quid diutius differo dolorem? fratrem occcidisti. Scio, judices, quorumdam scelerum eam esse magnitudinem, ut augeri verbis non possint. Fratrem tuum occidisti, servatorem tuum, qui, ut tu viveres, matrimonium solvit : et, quod gravius est, non longe erat; in eadem domo futurus tradidit tibi uxorem, qua carere non poterat. Et hoc adulterium vocas? ita est adulter ille, et tu maritus! istud ego adulterium quondam manu mea junxi; ipse auspices adhibui : optavi longam concordiam. Majores habet vires ignis, qui legitimis facibus accenditur, non est tam facile desinere, quam cedere : nunc intelligo, juvenis, quantum mihi præstiteris : amabas. Coibant ergo furtim, et flentes, ut satisfacerent invicem : ita tu, quum hoc videres, non erubuisti? non deprehendi visus es, quasi adulter? non mehercule ferrem te tantum querentem : vides enim liberorum causam[3], amabas, matrimonium cogitave-

6. *Dic, te sequor.* Forte, *dic, te sequor, quod paullo a. d.* vel, *sed te in eo sequar, quod paullo.* Schult.

2. *Quum deprehendisses. Nonne tibi, quum eum deprehend.* Schult.

3. *Vides enim liberorum causam.* Forte : *Vides enim miserorum causam.* Ut mox, *de innocentia miserorum.* Gronov. *Vide enim miserorum causam; amaverunt, matrimonium cogitabant;* vel, *quod amabant, m. cogitaverunt;* vel *amabant, matr.*

Digitized by Google

ras. Adulteros tu dices jacentes in geniali toro? duri mehercule viderentur, si cito oblivisci conjugii potuissent. Occisus est juvenis, dum rem facit boni mariti. Non erubescam, judices, post gravissimum dolorem, descendere in hanc quoque causæ partem, ut objiciam, quod uxorem occideris bene meritam, quam sic amasti. Sic de innocentia miserorum ago, tamquam hic de capite quæratur: non sufficit dolori meo, quod mihi filium abstulisti, qui tibi assedi, qui ad languentem cum gladio sollicitus intravi. Ego eosdem cibos, eadem mensa qua tu, capere non possum, nec illam manum videre, quæ fumare mihi adhuc filii mei sanguine videtur. Semper mihi armatus videris, nunquam solus occurris. It ante oculos laceratus filius: hunc juxta nurus optima, nurus obsequentissima: clamare videntur; Tu nos occidisti, tu, qui nos injuria prius distraxisti: quid necesse erat solvere matrimonium? obreptum est credulitati tuæ[1]: non amabat, qui potuit occidere.

cogitavere. Amabas videtur ex præcedentibus manasse. Schult. *Vides enim: liberorum causa amabas; m. cogitaveras*, Obrecht. *Non m. ferentem tantum quærentem* (*vides enim liberorum causam*) *amabas*, Ærod. qui in marg. al. *ferente me tantum, sed querente.*

1. *Credulitati tuæ.* An *meæ?* ut verba sint patris et soceri. Schult.

Digitized by Google

CCXCII.

Laqueus Olynthii speciosi.

Victis Olynthiis quum ab Atheniensibus publice dividerentur hospitia, specioso puero[1] quidam obtulit hospitium: ille se postero die suspendit: accusatur hospes, quod causa mortis fuerit.

SERMO.

Duplex quæstio est, juris, et facti: nam etiamsi vis illata est[2], quæritur, an causa mortis sit; sequens potior, an propter vim perierit. Circa jus illud est, ut finitione tractetur. Is enim causa mortis argui debet, qui mortem intulit: quum vero quis sua manu perierit, non debet hoc reus tantum fecisse, ut quis mori velit, sed ut necesse habeat.

DECLAMATIO.

Vim dicor attulisse: quis queritur? quæ proclamatio? impunitum reliquit eum, propter quem morie-

1. *Specioso puero. Formoso*, Cauchius; et ita in Declamatione. Scr.

2. *Nam etiamsi vis illata est.* Idem lib. IV, cap. 2, §. 68: « In causis, « in quibus non de culpa quæritur, « sed de actione, etiam si erunt « contra nos themata, confiteri no- « bis licebit, pecuniam de templo « sustulit, sed privatam: non ideo « sacrilegus est. Virginem rapuit, « non tamen optio patri dabitur. « Ingenuum stupravit, et stupratus « se suspendit; non tamen ideo stu- « prator capite, ut mortis causa « punietur; sed decem millia, quæ « pœna stupratori constituta est, « dabit. » « Olynthiis a Philippo vic- « tis Athenienses civitatem decreve- « runt, et hospitia publice assigna- « runt. Hic quia privatim et soli « puero obtulit, stupri causa fecisse « accusatur. » Ex hoc themate illius quoque Declamationis et Controversiæ sumpta occasio apud Senecam, lib. III, Controv. excerpt. 8, et lib. V, Contr. 34. Ærod. — Hoc thema quod Ærod. Fabii Inst. asserit, nullibi invenitur: nec etiam totum est Senecæ; quem vide ad citatos locos. Ed.

Digitized by Google

batur: si erubuit indicare, multis tamen aliis generibus queri potuit. Propter hospitem morior: nec credibile est, eum pepercisse hospiti, qui sibi non pepercit. Sed suspicionibus agitur: formoso, inquit, hospitium pollicitus es: viderint isti, qui prodigis omnes oculis intuentur: mihi tempore illo nullus Olynthius formosus visus est, scilicet enim sollicitabat lacrymis, squalore. Male sentitis de puero, si adversa fortiter tulit. Cur tamen obtulisti? Atheniensis sum. Assignentur fortasse invitis civibus, qui cum liberis, qui cum conjugibus veniunt, qui secum habent comitatum: miserabilior est puer solus. At cur[1] eadem nocte suspendit? utrum hoc re admirabile videtur, an persona, an tempore? miratur aliquis Olynthium potuisse hoc Athenis? illud enim est tempus doloris. Sæpe ad retinendam vitam prosunt ipsa pericula: redit metus, posteaquam desivit instare hostis; tunc cogitatio fortunæ[2]; tunc vacat dicere, est jam qui sepeliat. Ipsa mehercule officia admonere illum potuerunt fortunæ prioris: patuit quidem domus, sed non sua: excepere servuli, sed alieni: forsitan et illa cogitaverit: semper ergo alieno munere vivendum est: interim sive illud Olynthii factum[3] fuit, sive impatientia ipsius, nullius major injuria est, quam mea; perdidi beneficium, et adhuc suspectus sum: habiturum me putabam, qui veniret in locum liberorum.

1. *Ac cur. At cur*, Schultingius et Obr. *At cur se tandem susp.?* Ærod.—*Ipsa pericula.* Ærod. marg. *ipsa pericula metus. Posteaquam desiit inst. h. tunc redit cogitatio.*

2. *Fortunæ.* An, *Fortunæ subit?* Schult.

3. *Olynthii factum.* Legendum videtur, *fatum.* Pith. et ita Schultingius.

Digitized by Google

CCXCIII.

Tyrannus victæ civitatis.

VIRO FORTI [1] PRÆMIUM. Quidam fortiter fecit: petit præmio tyrannidem victæ civitatis.

DECLAMATIO.

Omnia danda esse viris fortibus dico; nec immerito danda, utique ex victis. Non ærarium inquieto, non sacerdotium rapio: peto, ut sint hostes in mea potestate. Ac primum omnium interrogo, quis est iste, qui prohibet? juste peterem etiam eversionem hostium. Ac tum [2], nescio quis iste non stetit in acie: illi si vicissent, tyrannide se vindicarent. Sic agere volo, tamquam futurus crudelis: meruerunt: vindicari potestis sine invidia: de me querantur, cui aliquid jam irascuntur: tyrannidem imponere volo. Asperiora narrabo: plurimos ex illa civitate manu hac occidi. Sed numquid vobis videor avarus, libidinosus? aliter crevi: eadem ergo ratione hoc peto, qua fortiter feci: sic præsidia imponemus: tamdiu tyrannus ero, quamdiu poterunt rebellare.

1. *Viro forti.* Et usitata in schola hæc quæstio fuit. Vide Quintil. lib. V, cap. 10, de argumentis §§. 95, 97, ubi de eo loquitur, quod Græci κατ' ὑπόθεσιν appellant; et lib. VII, cap. 2. Seneca, lib. II, Controv. 12: « Latro eleganter dicebat, quasdam « esse quæstiones, quæ deberent in- « ter res judicatas referri, tamquam « an quidquid optaverit vir fortis, « aut tyrannicida accipere debeat, « quasi jam pronunciatum esset, « non debere. » Ærod.

2. *Ac tum. Nescio quis sit iste: non stetit in acie: ac tamen illi, si vicissent*, etc. Schult. *Ac tum n. q. iste. num stetit in acie? si ille vicisset, peteret tyrannidem et vindicaret*, Ærod. *Vicissent tyrannidem, et v.* marg.

Digitized by Google

CCXCIV.

Dives proditionis reus.

VIRO FORTI PRÆMIUM [1]. Dives, proditionis accusatus, fortiter fecit: petit præmii nomine accusatoris mortem: ille non recusat; sed postulat, ut ante peragatur judicium.

SERMO.

Accusator sic agere debet, ut manifestum sit, illum tantum reipublicæ causa postulare: non quia non sit illud verum, ut si damnaverit, vivat: sed quia difficilius impetraturus est, si intellectus fuerit nullo jure adjuvari posse.

DECLAMATIO.

Si te proditorem postea dixissem, quam tu mortem meam optasses, viderer tamen et rem utilem postulare, et non contra legem tuam desiderare. Quid enim optasti? mortem accusatoris, de qua lis non est: nihil est, quod ad præmium confugias: nihil est, quod utaris legis tuæ potestate. Non recuso, quo minus accipias, quidquid optasti: nihil petiisti præter mortem: si exigis, ut accusator statim occidatur, alterum præmium petis. At hæc voluntas fuit tuæ petitionis: nihil interest, si illam, qui dabant præmium, ignoraverunt: et ideo tibi nemo contradixit, quod videbatur purgasse contumeliam tuam: nihil tibi lex profuisset, si abolitionem petiisses. Nunc

1. *Viro forti. Viri fortis præmium*, Thaddæus. Ærodius forte rectius: *Viro forti præmium*. Nam Pithœi, *Vir fortis dives, proditionis accusatus fortiter fecit*, cui potest placere? GRONOV.

Digitized by Google

duo vindicas præmia ; ut nec causam dicas, et hominem occidas : ergo non utique comprehensum in præmio est, statim occidere : et quoties nullum præfinitum est tempus, incipit esse in potestate dantis. Si abolitionem petis, alterum præmium est : et cujus tandem judicii petis abolitionem? non privata disceptatio venit in quæstionem, non pecuniæ lis[1] : quamquam tunc quoque leges commendarem, et morem judiciorum. Ne agaris reus, postulas : ad summam rempublicam pertinet : dico proditum populum, dico tempus constitutum : quantulum est, ut neges? Si maxime festinas, apud hos ipsos agi jam potuit : ac eadem hac mora, qua rejicimus, potuit pronunciari. Nihil est, quod timeas, si innocens es : accessit tibi magna pars patrocinii : fortiter fecisti : super illam potentiam divitiarum, venit nova gratia : nec potuisti magis experiri, quantam tibi gratiam fecerit ista militia : mortem accusatoris accipere potuisti : quid est istud, quod non putas eadem gratia impetrari posse tuam salutem?

SERMO.

In summum[2] aperte pæne irate dicit hic accusator : nam subinde interponit.

DECLAMATIO.

Si vultis, si vestra interest, quid ad me, qui periturus sum? Vos, suadeo, caveatis . et suadeo permittatis,

1. *Pecuniæ lis. Pecunialis*, marg. Ærod.

2. *In summum. Ad summum*, ut sæpe. An, *omnia summum* (id est, tandem) *aperte ac pæne irate dicit. Omnia* inserendum propter id, quod sequitur, *nam subinde*. An, *a parte sua irate?* Schult. *In summam apertæ pœnæ irate dicit hic accusator nam subinde interponitur*, Ærod. *In summa in aperta pœna*, marg.

Digitized by Google

dum volo: merueratis enim, ne vellem. Caputne meum tam cito donastis? tam facile innocens occisus est in ea civitate, in qua sibi putat aliquis tam facile posse contingere, ne reus fiat? Quid est ergo? nondum omnes exsuimus affectus: faciam vobis hanc invidiam, ut sciatis a vobis occidi bonum civem. Neque enim quisquam exspectet, ut hoc judicio dicam, quomodo prodiderit, quo pretio, quo tempore, quo loco: si vultis hæc audire, date diem: si ne hoc quidem impetro, non meruistis. Et hoc me mea causa non facere, cui non possit esse manifestum? expediebat alioqui mihi [1] vivere, expediebat suspenso ac sollicito transigere hæc tempora. Fortius est, quod differo mortem, quam quod mori non recuso.

CCXCV.

Demens ex vinculis fortis.

Dementiæ [2] damnatus a filio, et alligatus, ruptis vinculis fortiter fecit. Præmio petit restitutionem: quam quum filio contradicente accepisset, abdicat filium.

SERMO.

Filius optabit, ut pater sanus sit: dicet id genus furoris fuisse, ut intermissionem haberet.

1. *Alioqui vivere. Alioqui non vivere expediebat non suspenso.* Scr.

2. *Dementiæ.* Frequens hoc, aut aliud tale est argumentum, apud declamatores, ut videre est ex hoc nostro Quintiliano hic, et in Instit. passim, sed præcipue lib. VII, c. 4, et ex Seneca libris tum Declamationum, tum Controversiarum, atque ex iis etiam Declamationibus, quæ sub nomine Quintiliani circumferuntur. Filio vero certum est,

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Cœperam gratulari[1]: ecce, iterum sollicitor: jam irascitur pater. Quod ad me pertinet, non alia ratione contradico, quam ne pater domi sine custode sit: non aliter itaque hanc causam agam, quam proxime egi, etiamsi in illa nocuit antea ratio. Diu ego tuli valetudinem patris, donec tam manifesta esset, ut damnarem

nullam actionem fuisse adversus patrem, nisi dementiæ. Declamat. CCCXLVI infra. Quod item in filiis emancipatis observabatur: quia non tam jure potestatis vetuit prætor, parentem in jus vocari absque permissu suo, quam ob reverentiam debitam jure et natura. Ait enim Quint. lib. XI, c. 1, 65, quum de decoro tractat: « Quod de matre dixi, « inquit, de utroque parente acci- « piendum est. Nam inter patres « etiam filiosque, quum intervenis- « set emancipatio, litigatum scio: » quasi raro id admitti soleret. A Græcis petita est hæc actio, quæ Platoni lib. II de Leg. ἐκ τῆς παρανοίας appellatur: cujus verba, quia omnem hanc formulam explicant, operæ pretium erit huc transferre: ἐὰν δέ τις τινὰ νόσος, ἢ γῆρας, ἢ καὶ τρίτων χαλεπότης, ἢ καὶ ξύμπαντα ταῦτα ἐκφορὰ ἀπεργάζηται διαφερόντως τῶν πολλῶν, καὶ λανθάνῃ τοὺς ἄλλους πλὴν τῶν συνδιαιτωμένων, οἰκοφθορῇ δὲ ὡς ὢν τῶν αὐτοῦ κύριος. Ὁ δὲ υἱὸς ἀπορῇ καὶ οἰκῇ τὴν τῆς παρανοίας γράεσθαι δίκην, νόμος αὐτῷ κείσθω. Πρῶτον μὲν πρὸς τοὺς πρεσβυτάτους τῶν νομοφυλάκων ἐλθόντα, δικηάσασθαι τὴν τοῦ πατρὸς ξυμφοράν. Οἱ δὲ κατιδόντες ἱκανῶς, ξυμβουλευόντων ἐάν τε δίκῃ γράεσθαι καὶ ἐὰν μὴ, τὴν γραφήν. Ἐὰν δὲ ξυμβουλεύσασι, γιγνέσθωσαν τῷ γραφομένῳ μάρτυρες ἅμα καὶ ξύνδικοι. Ὁ δὲ ὀφλών, τοῦ λοιποῦ χρόνου ἄκυρος ἔστω τῶν αὐτοῦ καὶ τὸ σμικρότατον διατίθεσθαι. Καθάπερ παῖς δὲ οἰκείτω τὸν ἐπίλοιπον βίον. At quæ in foro, petendi curatoris patri furioso, vel prodigo: hæc in schola, dementiæ ratio est. « Quæ dementiæ *judicia* » (ut Fabius VII, 4, 29) « aut propter id « quod factum est, aut propter id « quod adhuc fieri, *vel* non fieri « potest, instituuntur: et actor in « eo quod factum est, liberum ha- « bet impetum, sic tamen, ut factum « accuset, ipsius patris tamquam « valetudine lapsi misereatur, et no- « vissime dementiam rationi quera- « tur obstare, non mores, quos « quanto magis in præteritum lau- « darit, tanto facilius probabit « morbo esse mutatos. » Eo colore, querela inofficiosi testamenti movebatur: unde et hæ formulæ, materiæ officiorum dicebantur. Maximum enim officium est, ut patri mente capto et prodigo, filius curatorem petat, quod Sophocli accidit: ut etiam jure, cura patris ipsi filio concedatur, et id divus Pius rescripsit. Ærod. *Fortis dementiæ damnatus*, Ærod. *Antea*. Bip. *ante*.

1. *Cœperam gratulari*. Victoriam et sanitatem patri. An est, *Cœperant?* Schult.

Digitized by Google

etiam invitus. Tradita est curatio mihi : quam diligenter hoc egerim, æstimate : videtur hic esse sanatus : nec illud argumentum sanitatis est, quod rupit vincula : sæpe faciebat hoc ipsum : quod in hostes impetum fecit, quod præmium petit, ago gratias fortunæ : visus est sanus. Quid objicis? egisti, inquit, mecum dementiæ. Si non tenuissem, tamen licuerat : datum est hoc jus contra patrem : legum lator prospexit senectuti : ideo medicinam filiis[1] imperavit : quum vero sanaverim, poteram videri impius, nisi detulissem. Non est indulgentia[2] permittere sibi furorem. Sed alligavi : hoc si iniquum esset, non liceret. Deinde objicies, quod non custodivi : testor deos, non recessi a custodia, donec me bellum avocavit. At contradixi præmio tuo : hoc simile est ei, quod defendis : et non dicam [3]: recentia tua fecerunt merita, ut obtineres : an debuerim, apparebit. Non desinam optare, ut hanc causæ meæ partem malam faciam[4]. Duret ista animi tui quies : scias, quibus irascaris, scias, quos ames.

1. *Medicinam filius. Medicinam filius imperavi*, Ærod. *Filiis imperavit*, marg. et edit. Bip. cui assentimur ; ut et supra *videtur hic esse sanatus*, adversus Burm. et Hack. qui *videtur hoc e. san.* Ed.

2. *Non est indulgentia. Non erat indulgentia p. tibi furorem.* Schult. *Non tibi*, marg. Ærod.

3. *Et non dicam.* Dele *et*, aut lege, *etsi non d.* Schult. — *An debuerim.* Forte, *an debuerint*, scilicet cives vel magistratus tibi præmium. *An debueris*, Ærod. Burm. — *Non desinam.* An, *non desinam deos rogare, u. h. c. m. p. malam faciant.* Te sanum faciendo vel per me, vel per alios, quum furor rursus totus erit. Schult.

4. *Ut hanc causæ meæ partem malam faciam.* Immo *facias.* Pium est votum. Ut magis in dies ostendas, te dementem non esse. Gron. — *Ducet. Doceat*, vel *docebit, tu scias.* Schult. *Duret* inest Bip. meliori procul dubio sensu ; cui lectioni favemus. — *Quos ames. Quos non ames.* Schult.

Digitized by Google

CCXCVI.

Exsul tace.

EXSULEM INTRA FINES DEPREHENSUM LICEAT OCCIDERE. Imprudentis cædis damnatus ex lege in exsilium [1] quinquennium missus est. Intra fines a fratre ad cœnam vocatus, cum parasito fratris litem, fratre jam dormiente, conseruit; et a parasito clamante, Exsul tace, ex lege interfectus est: quo comperto parasitum abjecit adolescens: a patre abdicatur.

DECLAMATIO.

Objicimus adolescenti ante omnia, quod parasitum habuerit [2]. Abdicationi hoc satis erat, ut si quid pater nollet, nunquam emendet; quare nihil est, quod dicas mihi, nunquam istud objecisti: quid enim hoc colligis

1. *In exsilium quinquennium missus est.* Sic veteres loquebantur, *Usus auctoritas fundi biennium esto*, ut non sit meo judicio, cur nonnulli hoc genus dicendi, tam insolens atque etiam ineptum existiment. Nam certum est, pleraque hujusmodi scripta fuisse in XII tabulis, quæ jam Ciceronis temporibus non capiebantur: atque item alia, quæ in aliam dicendi rationem abierant, quibus tamen tum utimur, quasi legum vocibus utentes majestatis et vetustatis cujusdam gratia, quum in legum mentionem incidimus. Magis igitur hoc priscum, quam ineptum dici oportuit. Quamquam nec congruitatis ratione caret: regit enim *auctoritas* duos gignendi casus, quorum alter ab altero regitur. Boetius, Ita namque ait, *ut quoniam usus auctoritas fundi biennium est: sit etiam ædium.* Hic ædium usus auctoritatem dixit eo modo, quo fundi usus auctoritatem. Quin etiam existimo, veteres conjuncto verbo pronunciasse, *ususauctoritas:* sicut *ususcapio, pignoriscapio, capitisminutio.* Hujus exsilii meminit Ulpian. l. 4, ff. de Sicariis. ÆROD. — *A patre abdicatur.* Schult. *ipse a patre abd.*

2. *Quod parasitum habuerit.* Plutarch. περὶ παιδῶν ἀγωγῆς: « Οἱ μὲν « γὰρ αὐτῶν κόλακας καὶ παρασίτους « ἀναλαμβάνουσιν ἀνθρώπους ἀσήμους « καὶ καταράτους, καὶ τῆς νεότητος ἀνα« τροπίας καὶ λυμεῶνας. » ÆROD.

Digitized by Google

aliud, quam ut te abdicet indulgens pater? quid enim est parasitus, nisi comes vitiorum? turpissimi cujusque facti laudator? unum tamen videbatur esse solatium, quod ejusmodi vita, ad homicidium usque non perveniret. Objicio tibi, quod fratrem intra fines invitasti: fuerit quantalibet causa convivii, melius ea[1] certe ipse ad fratrem isses. Manet hoc ipsum inter causas abdicationis: objici tibi potest, quod tam impius es: quod fratrem post illam miseram fortunam non videris, nisi ad te descendentem. Nam illi ignosci potest, vel cum periculo venienti[2]: nihil tibi vero quis ignoscat, qui quum sine periculo ad illum ire posses, in id discrimen adduxeris fratrem tuum, ut eum etiam parasitus posset occidere. Objicio tibi[3], quod adhibueris cœnæ tertium: si hoc factum pietatis est, opus est secreto: objicio, quod parasitum potissimum adhibueris: hoc enim vacabat misero, hoc exsuli: cœnabat cum parasito[4]. Cætera jam intelligo non pertinere ad abdicationem: altiora sunt crimina et suis legibus digna, non tamen debent ideo lucrifieri, quod in patrem inciderunt. Objiciunt tibi occidendi fratris consilium. Si accusator essem, si te in culeum[5] peterem, illa dixissem: persona crimini ido-

1. *Melius ea. Eo* Ugolinus, sed omittit, *ad fratrem*. Ut et Ærod. *ea* delet Latinius, sed retinet, *ad fratrem*.

2. *Cum periculo venienti: nihil tibi vero quis ignoscit.* Sic Pithœus. Thaddæus, *mihi tibi vero*. Ærodius, *nunc tibi vero*. Quin tu omnes illas nugas exstirpa, et mecum lege: *Num illi ignosci potest vel cum periculo venienti: tibi vero quis ignoscat*, etc. cum interrogationis nota. Gron. Delent *nihil* Sch. Lat. et Obr.

3. *Occidere objicio tibi. Occidere objicio tibi quod parasitum adhibueris: hoc enim vacabat misero huic exsuli ut cœnaret cum par;* omissis reliquis. Ærod.

4. *Cœnabat cum parasito.* Scribe: *Hoc enim vacabat misero, hoc exsuli, cœnare cum parasito.* Vel, *ut cœnaret cum parasito*, ut et Ærodius. Gron. An, *huc enim vocabat miserum, huc exsulem, ubi cœnabat c. p.* vel, *hoc enim vacare est misero h. e. cœnare c. p.* Schult.

5. *In culeum.* Alii, *in equuleum*, marg. Ærodii.

Digitized by Google

nea est: habes parasitum, et causa occidendi manifesta est; coheres es fratris; occasio adjuvit consilium, intra fines occidi potest: minister non defuit, parasitus in tua potestate est. Cætera vero cui non etiam manifesta sint? parasitus sine tua voluntate conviciari fratri tuo auderet? homo in adulationem natus, homo, cujus famem tantum tu propitius differebas[1], non fecisset utique, quo te putaret offendi. Dormis: hoc tibi in præsentia credatur? non putabat tibi posse nunciari? et tamen incredibile est, te dormisse hoc tempore, hoc loco: convivium erat, et quale convivium? frater invitatus: ita ille conviciari ausus fuisset, si te amantem fratris vidisset? Credo parasitum etiam insultasse fortunæ filii mei: tace, dixit, exsul: parasitus, homo, puto, qui contumeliam non ferebat, tace, exsul: parum enim eum graviter torquebat sola fortuna[2], parum enim graviter irascebatur errori, nisi etiam parasitus objecisset: non fecisset hoc ergo te invito. Puta tamen cadere hanc in animum parasiti indignationem: illud certe in casum non cadit, quod gladius in triclinio fuerit. Multa quæ singula accidere possunt, universa extra casum sunt[3], ut conviciari incipiat, cujus occidendi jus habuerit: adjice his, ut tu

1. *Famem t. t. propitius differebat.* Vix hæc capio: an legendum, *cujus famem tantum tu prodigus differebas.* Hoc sensu, quem tua profundendo alebas, et ita differebas ejus famem, quæ illum pressura erit, quum tu omnia prodegeris, nec amplius quid habeas, quo eum pascas. Burm.

2. *Sola fortuna.* Quia imprudens fuerat homicidium, καὶ μὴ ἐκ προνοίας· quod etiam postea, errorem appellat. Ærod.

3. *Universa extra causam sunt.* Thaddæus, *universa extracta subsunt.* Unde acute, quod ad sententiam, doctissimus Ærodius: *universa si exstent, suspecta sunt.* Sed levi conjectura juvanda Pithœani codicis lectio: *Multa, quæ singula accidere possunt, universa extra casum sunt.* Id est, ut universa congruant et concurrant in idem tempus, non casus, sed consilii videtur. Gron. *Intra causam sunt.* Scn. — *Incipiat.* Schult. *ei incipiat.*

Digitized by Google

dormias, quum fratrem invitaveris: ut visurus fratrem post longum tempus, nihil sis locutus, præsertim nondum exacta nocte, quum adhuc vigilaret ille miser exsul: et fortasse accidere somnus hic potuerit inter plures: tres estis, et omnis sermo in angusto est. Incredibilius hoc faciet ortum inter fratrem tuum parasitumque jurgium: ad latus tuum jacet ille, qui clamat, exsul tace. Quomodo fieri potest, ut ne ipsius quidem cædis tumultu excitatus sis? fieri non[1] potest, ut gladium frater tuus non viderit? non te excitaverit, quum periclitaretur? His omnibus manifestum est, hoc tantum quæsitum patrocinium esse[2], quod parasitum in præsentia dimisisti: glorieris enim licet, quod non tecum interfectorem fratris habeas, itane hoc tandem satis fuit dimittere impunitum, dimittere inviolatum? magni affectus jura non spectant. Sed ne dimisisti quidem bona fide: nam et sustineri absens potest: nec dubito quin exspectetur mors mea. Ut ergo non solum justæ, sed etiam miserabiles causæ abdicationis sint, filium perdidi eo tempore, quo miser erat: non licuit saltem in patria, non in domo sua, extremum illi spiritum effundere: sed quod est contumeliosissimum, manibus parasiti, et impune occisus est, quem indignum erat impune saltem male[3] audisse.

1. *Fieri non. Fieri ne potest?* Sch. *Fieri num potest?* Latinius, Obr.

2. *Hoc tantum quæsitum patrocinium esse.* Lege: *patrocinio. Quæsitum* est comparatum, de industria factum. Vide ad superiorum Declamation. duodecimam. Gron. Sed et *quæsitum patrocinium* retineri potest, et explicari ex industria comparatum, captatum, affectatum, ut et falsum, ut millies apud alios. Ut Propert. III, 24, 8: « Quum « tibi quæsitus candor in ore foret. » Vid. ad Declam. CCLXIV.

3. *Saltem male.* Pro *vel*, ut Flor. II, 6: *Delibasse saltem oculis.* Sch.

Digitized by Google

CCXCVII.

Meretrix ab amatore forti cæcata.

QUI EXCÆCAVERIT ALIQUEM, AUT TALIONEM PRÆBEAT[1], AUT EXCÆCATI DUX SIT. Meretricis amator fortiter fecit: occurrentem sibi meretricem excæcavit: petit illa, ut eodem duce utatur. Recusat ille, et offert talionem.

DECLAMATIO.

Si quis, judices, lege adversus eos, qui excæcaverunt, ita composita, ut aut talionem patiantur, aut aliquatenus solatium injuriæ præstent, litem esse audiat, altera parte similem fortunam exigente, altera mitiorem partem legis amplectente, profecto existimet hanc mulierem id postulare, ut excæcetur is, qui sibi oculos eruit; illum autem virum fortem fiducia meritorum erga rempublicam sperare, posse fieri, ut contra voluntatem quoque ejus, quæ vindicatur, oculos defendat: nam et hic dolor gravissima passæ convenisset: et illud naturale est, ut bona oculorum intelligant etiam, qui eruerunt. Id omne diversum est: hæc quæ excæcata est, cui erepta lux est, cui omnis vita in tormentis agenda est, miseretur quondam amatoris sui: ille, qui excæcavit, vult istam nimium vindicari: idque si faceret pœnitentia, utcunque consolandus nobis esset: nam et poteramus supicari, hanc istius postulationis esse rationem, quum excæcaverit meretricem, quam amavit, nunc ocu-

1. *Talionem præbeat.* Forte, *debeat.* Vid. ad Ovid. Ep. VII, 177.

Digitized by Google

los offerat, causa ambitus[1] fieri. Negat fas esse, ut vir fortis manum meretrici præstet, ut iter demonstret. Apparet illam esse cæcatam : atque id tamen prætenditur modo, judices : cæterum causa postulationis istius manifesta est. Videt miseram feminam durare[2] in hoc non posse, ut excæcet : neque id agit, ut graviorem patiatur pœnam, sed ut neutram : oculos haberet, quos hæc[3] eruere noluit : ducis opera fungatur, quod jam recusat. Nos tamen necesse habemus his respondere, quæ proponuntur, et adversus aliquem sic agere, tamquam excæcari noluerit[4] : illa etiam, quæ ab ipso jactata sunt, nos quoque referemus, fuisse istum virum fortem, pugnasse pro republica, plurimum nobis profuisse manus ejus atque oculos. His enim omnibus profecto hoc efficitur, ut illum excæcari non necesse sit : neque ei nocuit illa honestissima militia[5] : propugnator fuit

1. *Causam ambitus fieri.* Lege : *hanc istius postulationis esse rationem, quod, quum excæcaverit meretricem, quam amabat, nunc offerat oculos, causa amoris fieri.* Ærodius quoque viderat τὸ *quod* interponendum. Gron. *Quam amabat, et ei nunc oculos offerat causa ambitus fieri.* Schult. *Causa* etiam Obrechtus. *Nunc quod oculos offerat c. ambitus fieri,* Ærod.

2. *Durare.* Supr. ad Declamationem CCLXXIX.

3. *Oculos haberet, quos hæc.* Ærodius, *habere,* et *opera ne fungatur.* Malim : *sed ut neutram; oculos habeat, quos hæc eruere noluit, nec ducis opera fungatur, quod jam recusat.* Post τὸ *neutram* intelliges, quasi additum esset : *id est, ut.* Gron. *Ut oculos haberet;* et *nec ducis.* Schult. *Oculos habere;* et, *opera ne fungatur quoniam recusat,* Ærodius. — *Quod jam.* Vetus codex, *quum jam.*

4. *Adversus aliquem sic agere, tamquam excæcari noluerit.* Legendum : *adversus callidum sic agere, tamquam excæcari voluerit.* Tamquam hoc sentiat, et serio agat, quod simulat. Gron. *Adversus aliqua agere :* ut *adversus resistere,* Nepos, Pelop. Schult. *Adversus talionem sic agere,* Obr.

5. *Neque ei nocuit illa honestissima militia.* Ærodius refert aliorum, *illi honestissimæ militiæ.* Sensus flagitat : *His enim omnibus profecto hoc efficitur, ut illum excæcari non necesse sit; non, ut huic noceat illius honestissima militia. Huic,* meretrici : cui nocebit; si propter eam impune habebit excæcasse. Gron. *Neque huic nocuerit i.*

Digitized by Google

civitatis, quoniam partem aliquam voluptatis in hanc impenderat: sed fecit illum arrogantiorem ipsa virtus. Neque tamen nobis adhuc persuaderi potest, ut vir fortis, qui amaverit aperte, qui non erat læsus ulla meretricis injuria, oculos volens erueret: fortunam illud putamus fecisse[1], ut si lex permitteret neutram ultionem, forsitan totum jus remitteremus? nunc oculos ejus servamus, qua possumus. Lex ita scripta est, UT IS QUI excæcaverit, aut talionem patiatur, aut ducis opera fungatur: inter has duas res, quæstio est. Antequam comparo, illud interrogare volo, cujus causa scriptam legem esse putas? Dubitari non potest, quin scripta sit ei, quæ vindicanda est: nec illud quidem in dubium veniet, ultionem quidem harum duarum (ut ita appellem) pœnarum esse in potestate exigentis. Quid enim aliud cogitasse legumlatorem putamus? illum utique, qui excæcasset, credidit esse puniendum, adeo ut ne illi quidem ipsi, qui vindicabatur, permiserit totam legem remittere. Illa igitur fuit cogitatio: meruit quidem, qui eruit oculos, ut et ipse perdat: si tamen habuerit misericordem, si inciderit in eum, qui aliquatenus reddere iræ suæ rationem[2] posset, gratiam referat. Hæc postea: eligi ergo ab ea pœna debet, quæ gravissimam injuriam passa est. Puta istud esse asperius,

h. m. SCHULT. *Militia* (*propugnator enim fuit civitatis.*) Ærod.

1. *Fortunam illud putamus fecisse.* Forsan, *fortuna elatum putamus fecisse.* GRON. *Fortuitum illud fuisse.* SCHULT. Sed cur non, *fortunam illud fuisse?* — *Ultionem.* An, *electionem?* SCHULT. *Optionem* Latinius et Obrechtus.

2. *Qui aliquatenus reddere iræ suæ rationem.* Hoc ad misericordiam non sufficit: nam hoc casu et immisericors iræ suæ rationem reddere potest. Lege potius: *qui aliquatenus temperare iræ suæ ratione posset.* Vel: *coercere iram suam ratione.* GRON. — *Gratiam.* An, *veniam?* ita *bona gratia, pace,* pro iisdem, et *venia.* Dein: *hæc potest eligi e. a. e. p. et debet, q.* SCHULT.

Digitized by Google

quod recusas : fortasse propter hoc ipsum pati debeas : oculos eruisti mulierculæ sine dubio, et adjice[1], si vis, meretrici ; tamen quos eruere non licebat : non es dignus, qui patiaris, quod vis. Hæc dicerem, si tecum asperius contenderem : nunc ante omnia reipublicæ causam tecum ago. Æquum est salvos esse hos oculos et incolumes, multa afferunt casus : frequens bellum est. Detegemus tibi etiam hujus misericordiæ[2] affectus, quo magis te rem tam gravem fecisse pœniteat. Hæc excæcare te non potuit : meminit temporum superiorum, meminit illarum, quas aliquando communes habuit, voluptatum : meminit amoris tui : digna est, cui manum commodes : nam id quoque lex justissime constituit, præstet oculos, qui eruerit, et in vicem erutorum luminum ipse succedat. At enim forti viro turpe est hoc officium subire. Scilicet illa honestiora, debilitatem pati, et ferre infestos numinibus oculos[3] : non erit talis ista debilitas, qualis esset, si illam in acie passus esses. Tu, qui recusas dux esse meretricis, non cogitas futurum, ut tibi oculi propter meretricem eruantur? verum meretur hic ipse pudor tuus, propter quem parcamus oculis tuis*.

1. *Sine dubio et adjice. Sine dubio amicæ, et adjice*, Ærod.

2. *Hujus misericordiæ. Hujus mulierculæ*, edit. aliæ recte, judice Schultingio. — *Qui eruerit.* Ærod. mavult, *qui eruit.*

3. *Ferre infestos numinibus oculos.* Lege, *omnibus;* quibus qui occurrat, malam scævam sibi objectam putet. Sic superiorum primæ *ominosam calamitatem corporis* restituimus. Gronov. An, *defectos luminibus?* an, *perdere infestis numinibus oculos?* vel, *infestos hominibus oculos?* Schult.

* Nulla alia, ut videre est, mendosior et magis depravata fuit Declamatio. In cujus emendatione, ut alias plerumque, si audacius aliquanto ab ipsis verborum notis, quæ apparent, videbor recedere : subeat identidem hæc cogitatio, nos nullo prorsus vetere exemplari adjutos, sed sola ingenii nostri, quod sentio quam sit exiguum, conjectura et divinatione. Ærod.

Digitized by Google

CCXCVIII.

Rusticus parasitus.

Rusticus parasitum filium abdicat. C. D.

DECLAMATIO.

Non ignoro, judices, quamquam non a forensi contentione solum, sed ab universa civitatis conversatione, longe remotus, hoc præcipue fieri miserabiles eos, qui paternæ animadversionis notam deprecantur, quod periclitari de præterita dignitate videantur, de qua certe sollicitum esse filium meum incredibile est: quantulum est enim, quod abdicatus erit, qui jam parasitus[1] est? Quem ego, judices, tam obstinate non præceptis solum meis, sed etiam precibus resistentem, utinam possim dicere contumacem! nunc hanc licentiam concepit animo servitutis: multum enim illi, ut res est, fiduciæ facit gratia adolescentis locupletis et prodigi, qui non aliter, quam si de proprio mancipio ageretur, in hoc vires suas ostendit. Infelix et ille: tam turpem enim filium habeo, ut etiam ipsi objiciatur. Nec me præterit, unde hæc frequentia: concurrerunt ad spectandos duos rusticos, et hi forsitan hæc ipso indicante[2]. Merito, si iste ridetur, cujus nomen equidem nec intelligo, nec interpretari possum; quod vocatur[3], unum nescio quid esse

1. *Parasitus.* Cat. de R. R. cap. 5, *parasitum ne quem habeat;* nedum sit; nempe villicus. SCHULT.

2. *Et hi forsitan hæc ipso indicante.* Scribe, *hoc ipso.* GRON. *Et hi forsitan huc ab ipso invitati;* vel, *huc ab ipso invitante.* SCHULT.

3. *Nec interpretari possum, quod*

Digitized by Google

turpius, quam luxuriam puto. Quo magis autem hac ejus vita erubescam, fecit memoria nostri[1]: mihi rus paternum erga labores gratissimum, non frugalitate tantum suffecturum, sed et delectatione, si coleretur a dominis duobus. Hoc quum diu evenisset, ne hæc quidem ducendæ uxoris, et educandorum liberorum onera recusavi, ut relictum a parentibus meis relinquerem filio meo; de quo ipse non questus sum : nam videbatur laboriosus : misi in civitatem, delicatior venit, et redire properavit. Et primo quidem [2]deformavit tantum diligentior cultus : dehinc procedente tempore, sæpe fragrantem mero vidi, redolentem unguenta, et jam plura perditæ vitæ signa : quum interrogarem, respondebat, esse locupletem amicum. Despiciebam etiam amicitiam[3], dicebamque : quamdiu iste locuples erit? donec res redit, ut etiam de salute ejus timerem.

vocatur. Adjicit Ærodius *parasitus*. Nimirum non percepit genus loquendi, de quo diximus ad Senecæ Epist. 93. Gron. *Possum : quod vocabulum nescio quid esse turpius q. l. puto*, Obrecht. — *Unum nescio. Verum nescio*, Latin. et ita conjecerat etiam Schulting. vel, *unum scio, nescire quid esse, etc. putem. Unum hoc scio : nihil esse turpius quam*, Ærod.

1. *Fecit memoria nostri*. Ærodius *memoriam*. Lege : *Quo magis autem hac ejus vita erubescam, fecit memoria nostræ*. Nempe vitæ. Gron. *Fecit memoriam nostri*, Ærodius. Schultingius capiebat *nostri*, pro *mei*, et *filii*, vel *filii* tantum ; ut apud Terentium et Plautum *noster* passim de filio dicitur.

2. *Deformavit*. Id est, *deformatus* est. Barth. ad Claud. I, 324, et ad Gratii Cyneget. p. 41. Almel. — *Flagrantem. Fragrantem* volebat Francius : scio quid pro utroque verbo dici possit ; et passim ea commutari videbis apud Drakenborchium nostrum ad Sil. XV, 117, ego tamen Francio accedam, quia *redolentem* sequitur ; et ita Martial. I, 88 : « Ne gravis hesterno fragres, « Fescenia, vino, Pastillos Cosmi « luxuriosa voras. » Et ita ille sæpius hac voce utitur. Burm. Inest Bip. *flagrantem*. Ed. — *Etiam plura perditæ vitæ signa*. Divide vocem : *redolentem unguenta, et jam plura perditæ vitæ signa*. Gronov.

3. *Despiciebam etiam amicitiam*. Scripsit : *Despiciebam eam amicitiam ;* nempe locupletis, quam meruerat filius. Gron. — *Res redit. Res eo redit*. Schult. *Donec resedit*, marg. Ærod.

Digitized by Google

Ad domum divitis veni (non enim nomen inter non agnoscentes requisivi): parasitus inventus est. Et placet rustico patri? erubui, nondum[1] te invenissem. Ad comparationem voco utriusque vitæ: in præsentia hoc uno contentus sum, suscipere[2] laboris tui partem; satis in te laboravimus; jam deficit ætas, jam quietem poscit senectus: et ego delicatus sum. Abdicant me licet boni mores, tamen clamo: ego te mihi genui: non ergo cogitabis, quid mihi debeas? illæ terræ gratiam referunt: nec quidquam inveniri potest[3] in rerum natura, in quo labor pereat. De abdicatione tu quereris? prior patrem reliquisti: quando enim videre te mihi licet? quantum absum ab orbitate? Impono, judices, affectibus meis, qui nihil adhuc inter querelas habeo, nisi desiderium: jam irasci necesse est: nondum tamen ad ultimam tui contumeliam venio: objicio tibi luxuriam: si hoc tantum diceremus: vivis inter meretrices et lenones, dignus es abdicatione; etiam, si parasitum habes[4]: inter aliena servitia numeraris, et tibi luxuria objicitur, etiam non tua. Omitto interim ex quo genere vitæ in istud transieris, sub quo institutus patre. Dissimulata et remota persona mea, parasitum abdico: num

1. *Et placet rustico patri? erubui, nondum.* Forte: *Et placeat rustico patri? Erubui. Mallem, nondum invenissem. Te ad comparationem*, Ærodius, *utinam nondum te*, Gronov. *Et placeat rustico patri? Erubui. Nondum te juvenis ad comparationem voco utriusque vitæ: Erubui, quum nondum te invenissem.* Schult. — *Utriusque vitæ.* Latinius *utriusque vitam.*

2. *Suscipere. Suscipe*, Latinius et Ærod. in *præsentia non diutius contentus sum suscipere.* Schult. — *Satis in te laboravimus.* Ærodius: *satis in juventute laboravimus.* Lego: *satis in rem laboravimus.* Id est, rei familiaris causa. Vide ad Senecam de Tranquil. an. cap. 1. Gron. *Satis pro te*, vel, *tibi*, Schultingius. *Satis sine te laboravimus*, Obrecht.

3. *Nec quidquam inveniri potest.* Ἀνύσιμον πρᾶγμα καὶ τελεσιουργὸν ἐπιμέλεια καὶ πόνος ἐστὶν, inquit Plutarchus. Ærodius.

4. *Etiam, si parasitum. Etiam jam parasitus haberis.* Schult. *At jam te parasitum habent*, Ærod.

Digitized by Google

me, irasci putas? misereor, ubi hæserunt[1] tibi vitia civitatis: videtur habere hoc primum odium rusticitas. Si bona paterna consumpsisses, jure abdicareris: libertatem et ingenuum pudorem consumpsisti. Qui[2] melior ille, cui servis? pudet dicere, quo pretio hereditatem emancipaveris: gulæ servis, et, sicut muta animalia, objectis cibis in istam cecidisti servitutem: juvat autem cibus post opus. Multa quidem video diversa genera vitæ, nec probabilia omnia: cæterum tamen hoc novum est et inauditum, contumelias in quæstu habere, et injuria pasci. Juvat illa te residua potio, et ex locupletis cœna, nescio quid intactum[3]: cædentis manus oscularis, et ferrum portas, fame periturus, si ille nihil malefecerit: alios enim fortasse parasitos ars aliqua commendet: tu quid potes, miser, nisi vapulare? Habent hoc quoque deliciæ divitum: malunt[4] quærere omnia contra naturam: gratus est ille debilitate, ille ipsa infelicitate distorti corporis placet: alter emitur, quia coloris alieni est. Hæc, ut res[5] est, accessit nova elegantia

1. *Ubi hæserunt. Abi. Hæserunt tibi vitia civitatis*, Obrecht. *Miserior utique: hæc fecerunt t. v. c. quæ videtur*, marg. Ærod. — *Habere hoc odium. Habere nunc odium.* Schult. *Odium rusticitatis*, marg. Ærod.

2. *Qui melior. Neque melior*, Schult. — *Hereditatem. Libertatem*, al. *Mancipaveris*, Ærod. — *Objectis cibis.* Vide Herald. ad Tertul. Apologet. pag. 167. — *In istam.* Hæc usque ad *post opus*, omisit Ærod.

3. *Nescio quid intactum. Nescio quid non intactum.* Schult. — *Cædentis manus oscularis.* Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς, de parasitis loquens: πρὸς δὲ τὸ τῶν πλουσίων ζῶντες, τῇ τύχῃ μὲν ἐλεύθεροι, τῇ προαιρέσει δὲ, δοῦλοι. Ὅταν δὲ μὴ ὑβρίζονται, τότε ὑβρίζεσθαι δοκοῦντες, ὅτι μὴ μάστιγα παρατρίφονται. Gron. — *Ferrum portas. Ferculum p. f. p. quid si illi nonnihil mal.* Ærod.

4. *Divitum: malunt quærere.* Vetus codex, *divitum malum.* Pith. Ita Ærod.

5. *Hæc ut res. Huc* (*ut res est*) *accessit*, Latinius. Francius volebat, *ad hæc, ut res est.* Id est, ut tempora sunt, *ut nunc res est*, Torentius, Cicero et alii sæpe. *Hæc* (*ut res est*) *ac: novæ elegantiæ*, Ærod.

Digitized by Google

inter perversas delicias, habere rusticum : ridiculum hoc, quod durus, quod inhabilis, quod filius meus. Qualia, dii deæque, damna! Intelligo, cum quo mihi filio res est : non commendabo illi laborem honestum, et bonam quotidie conscientiam, et operam, etiam civitatibus servientem : agam causam per vices anni[1], non numerabo fructus : luxuriosum filium ad delicias voco paratas. Ingentis pecuniæ concupiscis feras? demus : ipse venare. Avibus onerari fercula gaudes? fructus nostros, nisi succurris, infestant : quidquid illic lautum est, nos misimus : et fructus curvatis ramis ad manum paratos habemus. Compara, si videbitur, vestros nivibus meis fontes[2] : compara inclusis intra parietes aquis perennes fluminum lapsus : quæ tanta vobis nemora? quid est istic admirabile, nisi ruris imitatio? ad has te delicias pater voco : ipse durum desidia solum sulcis[3] aperiam,

1. *Agam causam per vices anni.* Dictum ut apud Stat. Achil. I, pr. « ire per omnem Heroa. » Schult. Et idem Stat. Theb. V, 151 : « Exire « per annos. » Ubi vide Barth. *Sic agam causam. Per vices an. n. n. f.* Ærod. — *Paratas.* Vid. ad Petron. cap. XV et LXXXVIII. *Inemptas dapes* vocat Horatius. Ærod. ita distinguit : *voco. Paratas ingentis p. c. f. damas ipse venabere.* In marg. *demens ipse venire.*

2. *Vestros nivibus meis fontes.* Ærodius, *rivulis meis.* Lege : *compara, si videbitur, vestris nivibus meos fontes.* Nam divitum sunt nives adservatæ ad potiones refrigerandas. Seneca, Nat. Quæst. IV : « Invenimus, quomodo stiparemus « nivem, ut ea æstatem evinceret, « et contra anni fervorem defende- « retur. » Et rursum : « Quid illi, si « vidissent reponendæ nivis offici- « nas. » Tum, « non sorbere solum « nivem, sed etiam esse, et frusta « ejus in scyphos suos dejicere in- « ter ipsam bibendi moram. » Gron. Vid. ad Petron. XXXI. — *Compara inclusis. Compara; inclusi sunt : est intra parietes aquæ perennis f. lapsus,* Ærod.

3. *Sulcis etiam. Aperiam,* edit. aliæ et Ærod. et Bipont. quicum facimus. *Teram,* Obrechtus; quod an recte dicatur vehementer dubito : sulco atteri aratrum et vomer poetis dicitur, sed non ipsa terra, quæ scinditur, finditur, etc. quare *aperiam* magis placet : ut Ovid. Met. III, 104 : « presso sulcum pa- « tefecit aratro. » Et hoc τῷ *duro solo* apte respondere videtur. Francius volebat, *durum diffindam solum, sulcis etiam et aratro s. incum-*

Digitized by Google

et aratro senex incumbam : tu tantum impera : non misereris paterni avitique fundi, obsiti sentibus? circa beati fructus. Nos desidia male audimus : quot [1] jam perdidimus annos? tu vivis aliena liberalitate. At si te nulla horum miseratio tenet, ignoscas mihi : ducimus quemdam adversus ipsas terras consuetudine affectum : non vendes tu agellum meum : non paternos avitosque cineres, et ossa alicui pretio cœnæ unius addices? Quatenus infeliciter filium sustuli, quæram aliquem, qui colat.

CCXCIX.

Ossa eruta parricidæ.

PARRICIDÆ INSEPULTI ABJICIANTUR. SEPULCRI VIOLATI SIT ACTIO. Decedens pater mandavit filiæ ultionem, dicens, se duorum filiorum veneno perire. Puella reos postulavit: inter moras unus se occidit, et sepultus est in monumentis majorum. Alterum quum damnasset, et insepultum projecisset, ejus quoque qui sepultus fuerat, ossa eruit, et abjecit. Accusatur violati sepulcri.

SERMO.

An utcunque sepultum eruere non liceat: an ei non licuerit, quæ potuit prohibere: an etiam non jure fuerit sepultus. Hinc speciales quæstiones, utrum lex damnatum tantum parricidii, an revera parricidam prohibeat sepe-

bam. BURM. qui servat *etiam.* — *Tu tantum impera. Tu tamen im. miseroberis*, Ærod. — *Circa beati. Citra beatos fructus*, Schult. et Ærod.

1. *Nos desidia male audivimus quot jam.* Thad. et Ærod. *audimus quod jam.* Scribe : *Nos desidia male audimus. Quot jam perdidimus annos?* GRON. — *Non vendes. Num vendes?* Ærod.

Digitized by Google

liri : an ille parricida fuerit. In hoc probativæ duæ[1], altera παθητικὴ, altera πραγματικὴ, id est, affectus et juris quæstiones. An damnatus sit sua sententia, qui sibi manus attulit : an et de illo judicatum[2] sit, quum frater ejus convictus sit : an non possit quisquam mortuus damnari : etiam ut alias nemo possit, an is utique potuerit, qui in reatu periit. Ultima peragitur qualitas[3], in qua totius controversiæ vires sunt : quale hujus factum; utrum venia dignum, an damnatione sit, in qua tractatione παθητικῶς pro republica indignandum.

DECLAMATIO.

Sepulti ergo essent, et æterna quiete conditi jacuissent parricidæ manes[4] juxta patris latus, ut, quod diis hominibusque videatur indignum, tumulo tectus videretur, cui leges terram negant; in cujus cruciatus, quum omnia commenta sit antiquitas, citerior tamen est pœna, quam scelus; cujus statim ora, oculosque a judicio

1. *In hoc probativæ duæ.* Quintilian. lib. V, c. 12, 9, de usu argumentorum : « His quidam proba- « tiones, inquit, adjiciunt, quas « ἀκαθητικὰς vocant, ductas ex affec- « tibus. » Πραγματικὸν autem genus causæ lib. III, c. 6, 35, ex Apollodoro diffinit, « quod in rebus extra « positis, consistit : περὶ ἐννοίας, « quod in opinionibus nostris. » Cicero libris de Oratore *negotialem statum* appellat, in quo quid juris ex civili more et æquitate sit, consideratur : « cui diligentiæ, inquit, « præesse apud nos jurisconsulti « existimantur. » Apud Græcos *pragmatici* dicuntur, qui oratoribus ministri et adjutores dabantur. Hinc Quintilianus hic noster facete, lib. XII, c. 3, 4, eos *ad arculas sedere* ait, *et tela agentibus subministrare.* Ærod. *Probationes* idem legit.

2. *An de illo judicatum.* An non, *præjudicatum?*

3. *Ultima peragitur qualitas.* Scribe : *Ultima e specialibus qualitas.* Dixerat, *Hinc speciales quæstiones.* Gron. *Ultima parricidii qualitas* in margine Franciani libri, sed alia manu. *Ultimæ* etiam Ærod.

4. *Parricidæ manes.* Ærod. et Obrecht. tollunt interpunctionem, et legunt, *jacuissent parricidæ manes j. p. l.* etc. quibus cum Bip. adstipulamur. Ed. — *Citerior.* Eleganter pro minor : ut ita *citra* sæpe in his Declamationibus, et de quo egimus ad Ovidii elegiam in Drusum, vs. 50. Ed. — *Cujus statim. Cui statim ora,* Ær. *Abduci,* marg.

Digitized by Google

lex jussit obduci, ne hunc jucundum cæli adspectum polluerent tetri oculi; cui lucem vivo, fluctuanti mare, naufrago portum, morienti terram, defuncto sepulcrum negat? quem in pœna[1] sua jubet vivere, huic tumulum et exsequias persolvi fas fuit? Adeone omnia perierunt, ut ex duobus meliore loco habendus sit manifestior parricida? Tu vero, puella tam honesti affectus, quidquid tacita pietate[2] suggeris, vel his audientibus refer: mihi crede, modo approbasti, nihil te de fratribus tuis solere mentiri. Dies, inquit, noctesque miseranda patris umbra circumvolat, qualis erat, quum mandatum daret, modo minax atque effera, repente summissa, his me vocibus, ut sciatis, appellat: Tu quidem, filia, parricidam postulasti; eodem crimine, iisdem argumentis, communibus utrique legibus judiciisque, qui supererat, damnatus est: nunc unus superest dolor, quod parricida sepultus est: quod æterna[3] quiete compositus sepulchro meo parricida, patrem premit. Aude nunc aliquid puella fortius, et ab hoc utique me vindica, quem ego occidi[4]: expulsus sedibus meis contactum illius fugio. Quid agis, infelix puella? ecquid agnoscis alterum patris mandatum? itaque ut primum accessi ad tumulum, sponte resoluta lapidum compage, impios cineres in editum terra suggessit: onerosa etiam inferis

1. *Quem in pœna.* An, *inter pœnas*, ut sunt gallus, simia, vipera, etc. Schult. *In pœnam suam* Francius volebat. *Superstes parens ad pœnas*, Instit. lib. VI procem. *Residuus pœnæ*, Decl. IX, 23. — *Exsequias persolvi fas. Exequias persolves? At sepultus fuit. Adeone*, Ærod.

2. *Tacita pietate. Pietas*, Schult. et Obr. *Pietas suggerit*, Francius.

3. *Quod æterna.* Francius volebat, *quod æterna quiete compositum in sepulchro meo parricida patrem premit.*

4. *Quem ego occidi.* Ideo dicit se filium occidisse, quod conscientia sceleris filius ipse sibi manus attulerit. Ærod. *Per quem ego occidi.* Schult. — *Quid agis. Quid ais*, Ærod. — *Accessi. Accessit*, Ærod. et Francius.

Digitized by Google

monstra, in lucem redundare visa sunt. Dii boni! post hæc quisquam queretur, cur ex duobus parricidis neuter jacet tamquam pater, uterque tamquam frater?

CCC.

Adultera apud filium judicem rea.

Apud communem filium judicem, ream adulterii fecit[1] maritus uxorem: matrem absolvit adolescens. Pater eamdem detulit in judicium publicum, et damnavit: abdicat filium.

SERMO.

De anteactis temporibus non tantum est, quod adolescenti nihil objicitur, sed etiam quod[2] proxime judex placuit patri. Quorum ratio quum constet, poterat non improbi, vel non manifesti erroris peti venia: sed prius jure defendendus est.

DECLAMATIO.

Objicis sententiam; non dico, qualem: judex pronunciavit: dispiciendum tibi fortasse fuerit, ad quem venires: diligentius excutiendi mores. Nulla judici libertas est, nisi pronunciare licet, utrum voluerit. Fortasse erraverim in dispiciendis causis, minus prudentiæ habuerim juvenis: ego nihil aliud debeo, quam fidem: an tu ea conditione litigabas, ut pronunciare pro te necesse esset? hoc dicerem, si in quocumque judicio sententiam tulissem. Aliquanto fortius est[3], quum judex

1. *Ream fecit. Ream egit*, Ærod.
2. *Sed etiam quod. Sed e. quo pr.* j. aut delendum *quod.* Schult. *Defendendus.* Bip. *defendendum.* Ed.— *Pronunciavit. Pronunciavi.* Schult.
3. *Aliquanto fortius. Aliquanto*

Digitized by Google

a te sim electus, hanc, quam nunc eripis, claritatem in judicio dedisti. Quid tamen pronunciavi, et in qua causa ream absolvi? non dico, quam ream, nec cujus criminis; hoc dico: male audire plerumque [1] judicum nimia severitas solet; nec unquam in convicium nisi asperæ sententiæ veniunt: ideo absolutos publica illa acclamatio prosequitur: a damnato tristes recedunt, et victricis quoque partis silentium est. Absolvi: si hoc invidiosum, si hoc criminosum est, quomodo me putem potuisse defendi, si damnassem? Absolvi matrem [2] meam: hoc non eo pertinet fortasse, ut debuerim crimen remittere: multa ignorantes patimur: mihi mater innocens visa est: objiciebas adulterium. Nihil necessse est tractare de causa, præsertim quum nihil sit ablatum defensionis: mihi tamen omnia, quæcunque in matrem meam dicebantur, incredibilia sunt visa. Respuebat illa: magis apud me agebat causam mater mea, dicens; scis quomodo te amaverim, quomodo educaverim; nihil objectum est in ætate prima; nulla fabula ante partum secuta est: ream facit anum, et juvenis [3] matrem. Tu me judicem faciebas, illa testem: accedebat his illud etiam, quod non existimabam tam asperam illam dissensionem, nec veram esse litem, quæ ad filium ducebatur: videbamini mihi quærere intercessorem: aliud fortasse fuerit, quod te postea concitarit: illo tempore nihil

hoc fortius est, quum judex a te sim electus. Schult. — *Quam nunc eripis claritatem.* Forte, *caritatem.* Nam qui abdicat filium, se carum illi negat. Gron. — *In judicio. Judicio,* Ærod.

1. *Judicum. Judicium* in editione Pith. quod Cl. Schulting. ut *principium*, pro *principum*: de quo Bernec. ad Just. I ult. Vid. ad Decl. XI pr. et alibi. — *Nec unquam. Nec in iniquam conjecturam, nisi asperæ,* Ærod.

2. *Matrem meam. Matrem ream,* marg. Ærod. — *Multa ignorantes. Sed m. i.* Ærod.

3. *Juvenis.* Nonne præstaret *judicis?* Ed.

Digitized by Google

facere melioris mariti, nihil indulgentioris potuisti: ad eum judicem perduxeras uxorem, qui damnare non posset. At enim postea hoc crimen probavi: non jam respondeo ista, quæ dixi, aliis muneribus [1] acciperet judex extraneorum naturam: qua fortasse iratior existi. Non semper erroris odium penes cognoscentes est: aliquando causa profertur negligentius, interim defenditur. Si matrem meam nunc audias: dicit se ad illos judices venisse securam, et obstitisse sibi fiduciam prioris sententiæ: utitur in defensione [2] claris ac nobilibus exemplis; damnatos mihi Camillos, et Rutilios narrat: verum quicunque iste exitus fuit, habuerit suum finem: si crimina in me explet (neque vereor) plura confitebor, quam objicis: et quum damnata esset mater mea, flevi, et graviter tuli.

1. *Aliis muneribus acciperet.* Restitui jubet Ærodius: *alienis mulieribus accidere. Vides extr.* Vel, *alienis m. a. judices*, etc. Cogitabam: *aliis auribus accepit judex extraneus: utrique fortasse iratior existi.* Extraneus judex non tam propitiis auribus accepit matris defensionem, quam ego domesticus acceperam. Et fortasse et mihi et illi iratior, eoque vehementior in causam, prodiisti in forum. Gron. *Respondeo ista, quæ dixissem aliis; muneribus accipere judices extraneorum* (non judicavere eo affectu, quo filius) *naturam: nec quod fortasse iratior exstiteris;* vel, *ne qua f. iratior existas.* Schult. *Quæ dixi, aliis auribus acciperet judex extraneorum causam, qua f. iratior exstitisti*, Obrecht.

2. *Utitur in defensione claris ac nobilibus exemplis.* Melius forte, *in defensionem.* Gron. — *Habuerit. Habuit s. finem: si crimina in me exspues, neque verebor, et plura confitebor.* Schulting. — *In me explet.* Ærod. legit *in me exples.*

Digitized by Google

CCCI.

Rapta a divite pro ancilla.

Pauper divitem invitavit ad cœnam : erat in ministerio[1] puella pauperis. Interrogatus pauper a divite, quænam esset, dixit ancillam. Discedens a cœna dives eam rapuit : educta ad magistratus puella ex lege raptarum nuptias optavit. Dives accusat pauperem[2] circumscriptionis.

SERMO.

Etiam si reus est hic pauper, non tamen mihi videtur aspere et concitate contra divitem acturus. Non tantum accusator dives illi, sed gener est, et nos non sumus[3] iracundi. Rapta nuptias optavit.

1. *In ministerio.* Id est, inter ministrantes, ut passim hac Declamatione; de cujus verbi proprietate vid. ad Petron. XXXI.

2. *Dives accusat pauperem circumscriptionis.* Sic Abimelech Abraam et Isaac accusavit, qui Saram et Rebeccam uxores suas, sorores esse dixerant, Quare imposuisti nobis? etc. Circumscribere, et lædere et fallere est, ut ex edicto prætoris minores circumscripti, si postulant, restituuntur: et circumscriptio adolescentum lege Lectoria vindicata. Hic vero circumscriptio, pro ea deceptione et fraude sumitur, quæ sub specie legis involvitur: ut ex hac et CCCXLIII Decl. infra, et ex his verbis Senecæ manifestum est: « Objici » (inquit, lib. VI, Declam. III) « non potest, « quod lege factum, immo non nisi « quod ex lege factum est...Circum- « scriptio semper crimen sub specie « legis involvit. Quod apparet in « illa, legitimum est: quod latet, « insidiosum. Semper circumscrip- « tio per jus ad injuriam venit. » Nos fraudem legi fieri dicimus. l. contra legem. l. fraus. ff. de Legibus. Ad hanc legem circumscriptionis, inquit Fabius infra, nunquam recurritur, nisi quum rectum jus nequitia exclusum est, idque adeo, non ipsa legum pugna inter se et commissura, ut ita loquar, sed facto et cavillatione ejus qui accusatur, dum salvis verbis legis καὶ τῷ ῥητῷ, μὴ δὲ διανοίᾳ fallit, decipit. Non recte igitur hic pauper circumscriptionis accusabatur: ideoque ait. Ænod.

3. *Et nos non sumus.* An, *et noxium, si nunc sumat iracundiam,*

Digitized by Google

NARRATIO.

Si alio accusante dicerem causam, sciebam, et expertus proxime eram, esse nobis æquam, etiam adversus divites, libertatem: sed me, quamquam indignissime petar, non tam lex, quam ratio prohibet a conviciis. Ego hunc amicum semper optavi, etiam antequam essem socer, et colui, et aliquid etiam supra vires facultatum mearum, in excipiendo eo, ausus sum. Atque id me fecisse ante omnia confiteor, ut potiorem haberet filia mea[1]: nunc vero eum mihi fortuna ipsa generum dedit, quem maxime diligebam: tota itaque hæc, quæ pro innocentia mea adhibetur, non tam defensio erit, quam satisfactio: fortasse detrectet: sed tamen audebo, ne nos fastidiat. Non sum quidem locuples, sed quotus quisque? inops censu, sed integer, sine crimine, sine fabula[2]: non indignus aliquando huic diviti visus, qui amicus vocarer: ad cujus mensæ quoque societatem abundans et locuples accederet, et existimaret fore hoc quoque inter causas amicitiæ, si cœnulam diviti pauper fecisset, non illam beatam, nec qualem hic potest, non instructam ministeriis: unde enim nobis omnia proferenda[3] sunt in medium, quum præsertim iste nos pro-

ut Decl. CCCV: « sume carnificis « animum. » Schult. *Iracundi, quia rapta*, Ærod.

1. *Ut potiorem haberet filia mea.* Ærodius, *ut potiorem me haberet:* ad alios refert: *ut potentia ejus maritum potiorem haberet.* Vide an non sit tutius: *ut patronum haberet filiæ mea.* Gron. Ita etiam Schulting. conjecerat. *Ut protectorem*, Obr. quod minus elegans et parum latine. — *Adhibetur.* Bip. *adhibebitur.* Ed.

2. *Sine fabula.* Ut Decl. præced. « Nulla fabula ante partum secuta « est. » Et CCCVI: « Cur in fabulas « eat. » — *Cœnulam.* Et hoc proprie, vid. ad Petron. XXVI.

3. *Nobis omnia proferenda. Unde enim nobis? omnia proferenda*, etc. Obrechi. sed Schultingius (*undique enim nobis o. p. s. i. m. q. p. i. nos propius non cognoverit*) et certe primam fuisse cœnulam, quam diviti faceret pauper, ex sequentibus

Digitized by Google

pius cognoverit? quidquid illud fuit, ne dedignaretur dives, maxima parte curavi, ipse composui, et post securitatem, modo conviva[1] serus accessi. Sed opus erat ministerio : hoc paraveram mihi non pecunia, non emptione; sed uxorem ducendo, educando hanc puellam. Admiratum credidi, quod hic sexus ministraret : eoque magis pudori mihi fuit[2], confiteri esse filiam meam : nam neque erat is cultus, et notitia nobis adhuc nova : et tamen, si me quoque interrogasset, respondissem, servuli tui sumus. Non persuadeo tamen mihi, ut crediderit : neque enim irritare tam delicatas ejus cupiditates potuisset ancilla : nec fecit, quod adversus hanc conditionem[3] fieri fortasse potuisset : rapuit tam-

apparet; *notitia adhuc nova*. Burm. — *Curavi*. Et hoc inter culinaria verba. Terent. Andr. I, 1 : « ut hæc « recte curentur. »

1. *Post securitatem modo conviva serus*. Id est, posteaquam ita mecum actum existimavi, ut secure possem divitem ad cœnam vocare, sic ut eam omnino non fastidiret, nec dedignaretur, modo conviva carus accessi, etc. Ærod. Ærodius, *modo conviva carus, accessit*, alios ait legere : *et post hanc curam tantummodo conviva carus accessi*. Quomodo ausus movere illud tam liquido probum, *serus? ἀντὶ τοῦ securitatem* haud dubie scribendum *sedulitatem*. Pro *modo*, potes *demum*, vel *tunc*. Nisi mavis : *et post sedulitatem dominus convivæ serus accessi*. Nam *dominus*, qui excipit, *conviva*, qui excipitur. Gron. Et *post saturitatem modo convivæ senis accessi*. Obrecht. nescio an *securitas* hic moveri debeat, quum respondeat apte præcedentibus, *ipse curavi, ipse composui*; ne qua diviti periculi aut veneni suspicio posset oriri : vide supr. Decl. XV, 6, et hinc sæpe divites, apud pauperes cœnabant, quia ibi erant secura convivia, et ut Horatius, Mæcenatem vocans, ait, III, od. 29, 13 : « Plerumque gratæ divitibus vices, « Mundæque parvo sub lare pau- « perum Cœnæ, sine aulæis et ostro « Sollicitam explicuere frontem. » Ut autem noster convivator serus accedit propter curam cœnæ parandæ impensam, ita et Trimalchio per insolentiam ultimus recumbit apud Petron. XXXI et XXXIII, et ut noster hic, ita Fortunata, cap. LXVII, etiam abest, convivii omnia curans. Burm.

2. *Pudore mihi fuit. Pudori*, Ærod. Obrecht. et nos cum edit. Bipont. — *Nam neque erat. Namque erat is*, Ærod. Non male; nam subintelligitur cultus *novus*. Ed.

3. *Conditionem*. Servilem scilicet. Justin. VI, 3 : « Populo resti-

Digitized by Google

quam ingenuam : ideoque quum educeretur ad magistratus, nihil recusavit, nihil juri nostro opposuit : nisi forte hoc quoque in causa erat, quod ducebatur securus[1] : unde enim nobis adversus istum tantus animus, ut vindicaremur? quomodo hanc invidiam potuisset ferre paupertas, si occidere filia mea voluisset juvenem inter principes civitatis? Non tamen usque[2] in hoc, judices, valet, ut non dederim beneficium. Ubi ergo circumscriptio est? quam quidem legem arbitror propter eos maxime latam, qui circa forenses insidias aliquem scripto callidiore cepissent. Cæterum ut longius interpretatio veniat, non tamen erit dubium, circumscriptionem esse inevitabilem fraudem, id est, in qua factum ejus demum æstimetur, qui accusatur : singula ergo æstimemus. Invitavi ad cœnam[3]; quæ hic circumscriptio est? pauper divitem : venisti : ago gratias : habuisti honorem ; et illud humile limen intrasti ; et adisti mensam, ad quam quum venire cœpimus, deos invocamus. Alioqui jus in me[4] humanitatis est nostra frugalitas, quæ vobis utique velut refectionem quamdam et quietem præbet. Inter vestras quoque epulas non semper illa ponuntur peregrinis petita litoribus et silvis : aliquando hæc vilia, quæ rure mittuntur, adhibetis,

« tuta dignitate conditio servilis eri- « pitur. » Burm.

1. *Quod ducebatur securus.* Sciens non mortem, sed nuptias propter amicitiam optatum iri. Ærod.

2. *Non tamen usque. Non tamen usque id judices valet, ut quod dederim, beneficio sit : sed circumscriptionis lege accusat. Quam quidem*, Ærod. — *Scripto callidiore. Callidiore* Ærodius non habet.

3. *Invitavi ad cœnam.* Francius ita distinguebat, *invitavi ad cœnam (quæ hic circumscriptio est) pauper divitem.*

4. *Alioqui jus in me.* Ærodius, *jus meæ.* At tu lege : *Adeoque justæ humanitatis est nostra frugalitas, ut vobis utique velut refectionem quamdam et quietem præbeat. Justæ*, id est, sufficientis, qua justum accipit natura. Gron. *Aliquod jus in me humanitati est. Nostra frugalitas quoque vobis utique*, etc. Schult.

Digitized by Google

quæ emere nos pauperes possumus : cœnasti tamen hilaris, et, ut vis videri, etiam liberalius bibisti. Quare tamen invitavi? quoniam promerenda nobis est vestra potentia : si qui me detulisset reum, defenderes : si quam injuriam timerem, rogarem te per jus mensæ communis : non est igitur in hoc circumscriptio, quod ad cœnam invitavi : cætera utique ad crimen legemque non pertinent. Sequitur ergo, ut sit proximum crimen, quod in ministerio fuerit filia mea : iterum accusabitur paupertas. Quid ergo nos facere jubes? emere non possumus : etiam, si quid ex quotidianis supererat laboribus, educatio exhausit : mutuemur ergo, et alienis ministeriis lautitias vestras imitemur, quantum potest quis[1] : apud vos illi greges ministrorum, apud vos aurum et argentum : ministerium ergo fuit ex meo. Non istud deforme pauperibus : nam et si in aliud diei tempus incidisses, tum quoque tibi videretur ancilla : vidisses pensa facientem : filia igitur ministravit, sicut mihi solet : nisi veritus essem, ne tibi invidiam fieri putares, nisi me frequenti humanitate in honore posuisses, ego ministrassem. Hinc quoque remove, quod tu fecisti[2] : non est circumscriptio, quod interrogatus verecunde respondi : et quum mihi tecum cœpisset novus usus, erubui videri sine ancilla. Hoc mali habet ambitus : peccasse me fateor : dicendum fuit verum : sed hac pœna potes esse contentus · non impune feci. Et quæ a me facta sunt, hæc sunt; hic me circumscriptionis accusa, nihil ipse[3] feceris. Num enim, si tu nihil concupisses, non rapuisses,

1. *Quantum potest quis.* An, *potest quidem*, ut sæpe apud Plautum? an *quisque?* Schult.

2. *Quod tu fecisti.* Remove raptum, quem tu fecisti; si tu non rapuisses, non deceptus fuisses. Sch. —*Novus usus.* Ut sup. Ærod. *novus cultus.* Ed. — *Erubui. Quod erubui*, Ærod.

3. *Nihil ipse. Si nihil ipse feceris*, Ærod.

Digitized by Google

poterat mihi objici circumscriptio? hoc ergo exigis, ut ego nocens sim, non ex meo facto, sed ex tuo. Age, res quidem ipsa crimine caret, sed animus suspectus est: quid est igitur? me credibile est circumscribendi mente fecisse? invitavi, ut raperes? Neque enim poterat dubitari, quin quæreres, quæ ministraret: et quum interrogasses, certum erat fore, ut protinus cupiditas aliqua in animum tuum descenderet, et quum concupisses, ut raperes: quæ si nulla ratione, nulla divinatione prævideri potuerunt; apparet non propter id factum, quod sperari non potuit. Quid enim in causa fuit, cur raperes? cultus videlicet te illexit: hic enim adjici solet ad speciem: talis ministrabat, ut necesse esset ancillam esse mentiri? Tu porro (permitte etiam aliquid mihi libertatis) rapiebas, velut ancillam: tu raperes[1] ancillam ejus, apud quem paullo ante cœnaveras? Sed non credidisti, ancillam esse: possis tu fortasse huc usque descendere, ut non fastidias pauperes; nunquam cupiditas tua usque ad mancipia descendet. Ac si forte oculos tuos petisset[2], quid opus erat vi? non munusculo

1. *Rapiebas, vel ancillam tu raperes.* Hæc partim male interpunguntur, partim leviter corrupta sunt. Scribe: *Tu porro*, etc. *rapiebas velut ancillam.* Per occupationem proponit colorem adversarii: et ei jam respondet. *Tu raperes ancillam ejus, apud quem paullo ante cœnaveras?* Gron.

2. *Forte oculos tuos petisses.* Thaddæus et Ærodius: *Ac si forte cepisset oculos, petisses.* Pithœus delevit *cepisset.* Ego malim inducere alterum. Ut sit: *Ac si forte cepisset oculos tuos, quid opus erat vi? non munusculo sollicitasses? non, si contumacior fuisset, pro tua illa comitate a domino petisses?* Hæc, inquit, potius fecisses, si ancillam credidisses. Gron. *Petisses quod opus erat. Vi, non munusculo sol.*, Ærod. *Oculos tuos petisset*, Latinius, et Schult. qui etiam *petissem*: nempe vestitu et cultu nitidiore. Forte legendum *oculos feriisset*, de qua locutione vide Lips. ad Senec. Epist. XXXIII, et Drakenborchium ad Sil. III, 694. Lucret. IV, 218: « Corpora quæ feriant oculos, visumque lacessant. » *Ferire* vero et *petere* sæpe a librariis confusa deprehendi. Vide Virg. Ecl. IX, 25; Lu-

Digitized by Google

sollicitasti? non, si contumacior esset, pro tua illa comitate a domino petisti? Potuisti ergo scire, etiam antequam rapere inciperes: in ipso vero raptu non apparuit tibi, ancillam non esse? non tamquam libera repugnavit? non proclamavit patrem? nullam vocem[1] meam audisti? fieri non potest, ut non eruperit ingenuitas, quæ aditura erat magistratus. Aut ego fallor, aut de hac tota causa judicatum est: nam si quid feceram fraudis, apud magistratum agere debuisti. Circumscriptus sum, ancillam putavi: necessitatem[2] raptoris agnovisti. Non puto te objicere, quod nuptias optavit: sed nec ego imputo; sicut ne gratulor quidem hoc matrimonio: mihi magis convenisset gener, cum quo mihi par convictus, apud quem, si forte cœnarem, uxor ministraret. Tu tamen quid circumscriptione ista perdidisti? uxorem non habes locupletem; nihil enim magis, quam pecuniam desideras. O te dignum, qui duceres parem! tunc scires, quæ discordiæ, quæ contentiones, quam frequens mentio dotis, quam erecta ex æquo[3] cervix. Utique in his tuis deliciis, in his cupiditatibus tibi liceret amare aliquam ancillam, deperire aliquam ministrarum. At nunc habes uxorem non ambitiosam, non

can. IX, 865; Claud. Gigantom. 91, et alibi; et hoc de puella eleganter; unde *oculorum dolores* dicti ἀλγηδόνες ὀμμάτων, ut Alexander formosas Persidas vocat apud Plutarch. p. 676. Burm.

1. *Nullam vocem*. An, *nullum nomen meum audisti?* nisi *vox* pro nomine. Schult. *Vocem mei*, marg. Ærod.

2. *Necessitatem*. Duxisti optantem nuptias tuas domum. Schult.

3. *Erecta ex æquo cervix*. Ut Fortunata Trimalchionis, quæ *ex æquo jus firmum approbabat;* Petronius LXXIV, ubi vid. et ad Decl. CCLI. *Cervix* vero *erecta*, quæ jugum mariti excutit, quæ, ut Horat. Od. II, 5, licet paullo alio sensu, *non subacta cervice ferre jugum* vult: ut ita sæpe Cicero *cervices* pro audacia ponit. Vid. Hott. ad Verr III, 59. Dictum vero, ut *tollere vultum*, *supercilium;* et similia: de quibus vid. ad Petron. XXX. Burm. — *At nunc*. *At* deest Ærod.

Digitized by Google

exacturam comitatus, sed quæ tota ex tuo vultu pendeat : laborare consuevit, habebis ancillam. Tu tantum, etiam si quid ego offendi, mihi irascere : nihil illa fecit, nihil peccavit, jussa fuit[1] : in ministerio patri paruit; ad illam hoc tantum pertinet, quod optavit.

CCCII.

Auctoratus ob sepeliendum patrem.

GLADIATOR IN QUATUORDECIM GRADIBUS NE SEDEAT. Quidam ut patrem sepeliret, auctoravit se : die muneris productus sub titulo causæ[2], rudem, postulante populo, accepit : postea patrimonium statutum per leges Equitibus acquisivit : prohibetur gradibus.

DECLAMATIO.

Postea dicam, qua causa pæne gladiator factus sit; postea hoc, quod objicitur, in laudem vertam : interim

1. *Jussa fuit. Visa fuit in ministerio? patri paruit*, Ærod. *Jussa fecit*. SCHULT. Ita Decl. CCCVI : « Nemo tibi mortalium posset ignoscere, nisi jussa fecisses. » Virgil. Æneid. I, 302 : « Et jam jussa facit. » Et ita sæpe.

2. *Sub titulo causæ*. Patris sepeliendi ergo, non quæstus causa, sed virtutis et humanitatis. ÆROD. — *Patrimonium statutum per leges*. Quod erat sestertium quadringentorum millium. Hic ordo equestris jus habuit Romæ in quatuordecim ordinibus spectandi, lege Roscia theatrali : senatores in orchestra, quum ante S. Ælium Petum, et C. Cornelium Cethegum censores, omnes in cavea promiscue sederent spectarentque. Sicut autem aucto patrimonio, hæc prærogativa sedendi in quatuordecim acquirebatur, ita si qui decoquerent, aut inter infames haberentur, quales sunt ii, qui artis ludicræ pronunciandive causa in scenam prodissent, jus id amittebant. Seneca, Excerpt. lib. II, Declam. 1 : « Senatorium gradum « census ascendere facit. Census « romanum equitem a plebe discer- « nit : census in castris ordinem « promovet : censu in foro judex « legitur, etc. » ÆROD. qui supra, *se auctoravit, sed die*, etc.

Digitized by Google

incipere libet ab ipsa lege. Jus certe sedendi implet ingenuitas et census: quærendum est ergo, an hic gladiator sit, aut fuerit. Non sumus magni legis interpretes: non ludum, nec arenam, nec armorum scientiam complexa est, sed gladium: cui dubium est, id exigendum esse in eo, ex quo nomen gladiatoris ductum est? gladiator igitur est, qui in arena populo spectante pugnavit. Nam neque orator est, qui nunquam egit causam; neque accusator, qui reum in judicium non deduxit; neque reus, qui causam non dixit. Videamus et ipsius periculi causam. Quæro, an si creditor post datam pecuniam, operas remisisset[1], diceres eum gladiatorem fuisse? In ludo fuit: fuerunt doctores, et medici, et ministri: neque tamen in illo nomine tenentur. Productus est, et alii multi, spectaculi gratia. Sed affuit pugnæ: sed animum teneris[2]: quum præsertim hic ordo ex laude militiæ hoc nomen acceperit: non ergo pugna per se turpis est, sed inhonesta pugna: dedit enim et familiis nomina: hinc Corvini, hinc Torquati, hinc Opimi. Illum ergo majores prohibuerunt theatro,

1. *Post datam pecuniam operas remisisset.* Quas ut debitor in arena pugnaret, locaverat. Caius, lib. III, de iis qui not. infam. « Qui operas « suas locavit, ut prodiret artis ludicræ causa, neque prodiit, non « notatur, quia non est res adeo « turpis, ut etiam consilium puniri « debeat: nisi si cum bestiis esset « pugnaturus; » l. 1, §. bestias. ff. de postuland. Ærod. — *Neque tamen in illo nomine tenentur.* Tolle præpositionem. Gron. Delet et Latinius; sed minime tollendam censet Cl. Schulting. ad Senec. Contr. lib. IV, Contr. XXIX, p. 290. — *Et alii multi.* Francius, *ut alii m.*

2. *Sed animum teneris.* Lege *tuere*: ut alloquatur adversarium: aut *intuere.* Schult. *Sed animum tenetis*, Ærod. Alii, *sed quo animo? turpene id existimatis, quum præsertim*, etc. — *Hinc Torquati, hinc Opimi. Opimios* novimus, sed pugnam aliquam spoliorum opimorum iis hoc nomen dedisse legimus nusquam. Forte: *hinc Coriolani, hinc Torquati, hinc Corvini.* Gron. —*Qui utilitate. Qui vilitate*, Schult. et Ærod. et nos cum Bip. — *Qui gula.* Vide Herald. ad Tertul. Apolog. p. 167, qui etiam *vilitate* legit.

Digitized by Google

qui utilitate, qui gula se auctorasset: mutuatus est pecuniam, ut patrem sepeliret; mutuatus, unde potuit: et quo turpius putas[1] esse sic mutuari, hoc honestius fecit: vidit enim, quid sibi accidere possit auctorato: sed illud crudelius putavit, si pater insepultus jaceret: gladiatores sepeliuntur. Isti accusatores, et Cimoni[2] illi, qui patris corpus vicario corpore redemit, crimen darent. Sed indicavit populo, quare venisset in ludum, non pugnaturus; tum ut notius fieret exemplum, tum ne te, populo, judicii tui pœniteret. Quomodo postea vixit? quam frugaliter acquisivit? quam parce? quam laboriose? ausim dicere, neminem sic ex hoc ordine, nec ex alio.

1. *Putas. Putatis:* nam subjungit de accusatoribus. Schult.

2. *Et Cimoni illi.* Cimon filius fuit Miltiadis, cujus damnati peculatus, et in vinculis mortui, cadaver obligatum pro multa vicario corpore redemit, ut sepeliret. Hunc Cimonem Callias postea redemit, et ei filiam suam collocavit, quam quum Cimon in adulterio deprehensam occidisset, ingrati eum Callias accusavit. Seneca, lib. IX, Declam. I, et lib. IV, Contr. XXIV. Sed hæc paullo aliter narrantur a Plutarcho in vita Cimonis. De sepultura Seneca alio loco, lib. VIII, Declam. IV: « Quid est miserius in vita, quam velle mori? quid in morte, quam sepeliri non posse? Omnibus natura sepulturam dedit: naufragos, idem fluctus qui expulit, sepelit: suffixorum corpora crucibus in sepulturam suam defluunt: eos qui vivi uruntur, pœna funerat, » etc. Ærod. — *Qui patris corpus vicario corpore redemit.* Lege: *Isti accusatores et Cimoni illi, quod patris corpus vicario corpore redemerit, crimini darent.* Sic Liv. I, 5: « Crimini maxime dabant, « in Numitoris agros ab his impe- « tum fieri. » Quod ex eo imitatus Trogus Pompeius. Gron. — *Tunc ut. Tum ut notius f. e. tum ne te p. j. t. p.* Obrecht. *Tunc ut. n. f. e. cum te. p. j. t. p.* Schultingius. *Tunc ut notius aliis (illis* marg.) *fieret exemplum, rude donasti: nunc te,* Ærod. Edit. Bipont. hæc: « Pu- « gnaturus: tum ut notius fieret « exemplum, tum ne te, p. jud. « pœn. » quam lectionem habemus potiorem. Ed. — *Quam frugalitate acquisivit.* Francius volebat, *rem quæsivit:* nihil opus. Vid. ad Decl. VI, et Inst. Orat. lib. I, 12, 17.

Digitized by Google

CCCIII.

Proditionis rei fortes.

PRODITIONIS REI CAUSAM DE VINCULIS DICANT. Qui rei facti erant, ruptis vinculis fortiter fecerunt. Præmio petunt, ut soluti causam dicant.

SERMO.

An reis dandum præmium, an proditionis reis, an his, quos non civitas armavit; an contra legem dandum sit, et hanc legem, et hoc tempore: an tollatur summa legis, etiamsi vis extenuetur: qua mente petant; quid utilius?

CCCIV.

Tria præmia divitis sacerdotis.

SACERDOS TRIA PRÆMIA ACCIPIAT. VIRO FORTI PRÆMIUM. Dives sacerdos inimici pauperis filium sacrilegum, uno præmio liberavit. Eumdem in adulterio damnatum, secundo præmio absolvit. Bello patriæ, pauper fortiter fecit: filius ille deseruit. Vult eumdem tertio præmio sacerdos liberare: petit præmio vir fortis pater, ut occidatur.

DECLAMATIO.

Utra lex antiquior? belli utique prior[1]. Sacerdotium pacis res est: tua ad unum pertinet, hæc ad omnes. Mihi lex debet, tu legi: utrius legis hoc tempus? ego

1. *Prior.* Vid. Declamationem CCLXXXIV.

Digitized by Google

dignior sum præmio, quam tu : me viro forte contigit victoria; te sacerdote admissum sacrilegium. Hactenus de personis : transeamus ad optionem [1] : ego hodie primum opto, tu bis optasti ; et ego melius [2] opto desertoris mortem, quam tu vitam sacrilegi : sacerdos, castra vindico ; disce tu vindicare templa. Quid, si contra legem petis? unius vitam jam ter optasti. Comparavi publicas personas [3] : num comparem? tu optas nunquam, nisi de alieno ; ego de meo. Quamquam quid mihi cum lege? dum ne veniat adulter ille, ille sacrilegus, ille desertor in penates meos? sciet, quanto meliore patre natus sit, quam inimico. Armiger, da gladium ; vindicabo ergo illum maritum, vindicabo templum : legem habeo et viri fortis et patris. Innocentem filium habui, ante hujus sacerdotium : sub isto primum expilata templa : furorem hoc juvenis mei putabam ; fiducia erat. Multum est, dices, colere templa : plus* tamen sustinere, incendere [4] hostium templa. Cur enim, si quidquam tua vota proficiunt, cliens tuus deseruit? Mihi debetur præmium, quod petiero : possum et tuam mortem ; possum tibi auferre sacerdotium.

1. *Ad opinionem. Ad optionem*, Ærod. Schult. et Obrecht. — *Primum opto. Præmium opto desertoris mortem : quid tu? vitam sacrilegi*, Ærod.

2. *Et ego melius. Ego miles o. d. m. tu vitam sacrilegi sacerdos. Castra*, etc. Obr.

3. *Comparavi publicas personas : num comparem?* Ærodius : *nunc privatas comparem.* Scribe potius : *nunc comparabo rem :* quam scilicet uterque præmio petit. Declamatio CCLXXIV : « Nondum rem com- « paro. » Gron. — *Ergo.* Bip. *ego.*

4. *Plus tamen sustinere, incendere.* Ærodius : *sustinere impetum hostium.* Tamen male cohæret quod sequitur. Forte : *plus tamen sustinere, ne incendant hostes templa.* Gronov. *Plus certamen sustinere,* Obrecht. *Plus tamen ea sustinere, plus incendere ;* vel, *plus tamen nostra sustinere.* Schult.

Digitized by Google

CCCV.

Exsules a divite pugnare inter se coacti.

EXSULEM INTRA FINES DEPREHENSUM LICEAT OCCIDERE. Duos pauperes dives inimicos suos imprudentis cædis[1] quinquennii exsilio damnatos, intra fines deprehensos, dimicare inter se, datis gladiis, coegit: commortui sunt: accusatur injusti supplicii.

DECLAMATIO.

Nisi præcipua, judices, impotentiæ[2] voluptas divitibus videretur, ut sceleribus suis etiam glorientur; fuerat tanti miserrimorum civium perire vindictam, si possit tacere, qui fecit: hæc enim est exacti injusti supplicii manifesta injuria, quod excogitavit, quomodo ab inimicis mors exigeretur, et ipsis imputaretur. Homines innocentes, quum damnarentur quoque[3], confestim

1. *Imprudentis cædis.* Inst. VII, 4, 43: « In conjecturam quoque « eadem species cadit, quum perpe- « tuo, an quinquennali, sit exilio « multandus, in controversiam ve- « nerit: num prudens cædem com- « miserit, quæritur. » Omnino copiose de his legibus, qui exsulem intra fines deprehensum possint occidere, quem, et quando, Plato, lib. IX de legibus. ÆROD.

2. *Nisi præcipua, judices, impotentiæ.* Non hic tantum parum intellecta est illa ratio loquendi, *est tanti*, quemadmodum alibi diximus. Sed si eam bene ceperis, facile intelliges non posse stare, quæ a fronte est, particulam. Quin scripsit auctor: *Quum præcipua, judices, impotentiæ voluptas divitibus videatur, ut sceleribus suis etiam glorientur; fuerat tanti*, etc. GRON. *Nisi pr. j. in potentia voluptas*, Ær.

3. *Homines innocentes, quum damnarentur, quoque.* Ærod. *quum damnasset, utrosque confestim.* Alios ait velle: *quum damnarentur, eos quoque*: alios, *innocentes condemnatos, utrosque.* Ego in his non hæreo. Intelligo enim *innocentes quoque, quum damnarentur*, qui cædis imprudentis sunt damnati.

Digitized by Google

inter se concurrere coegit : quos etiam in calamitate fortuna conjunxerat, jussit, ut invicem se occiderent, quod gravissimum illis fuit, scientes : æstimate, judices, quid timuerint, qui hoc fecerunt. Quamvis autem, judices, adjicere invidiam sceleribus numerus soleat, nos tamen confitebimur, inter solatia doloris nostri esse numerandum, quod ambo perierunt. Sic miseros commisit, ut si unus vicisset, post quinquennium redire non posset. Sive igitur constare vobis, judices, debet ultio : nulla unquam res sic contra leges excogitata est, ut intra fines deprehensum exsul exsulem occideret : sive crudelitatis exigere debeat pœnam vestra justitia, non satis habuit, quod adversus miseros lex irata conscripserat. Quanto enim gravius tulerint supplicium, quam meruerant, vel sic æstimate : hoc inimicus elegit, et inimicus pauperibus iratus : hæc enim odia altissime sedent, quum aliquis iis, quos contempsit, irascitur. Innocentiæ fiducia contra opes istius steterant ; non tamen futuri pares, nisi duo fuissent : contra gratiam armaverunt misericordiam sui [1], donec ambo in periculum capitis adducti : testes enim non defuerunt : quantum enim valuit innocentia, constitit inter omnes non potuisse illud, nisi ab imprudentibus fieri. Incredibile est, judices, quanto difficilius finibus careant, qui exsilium non meruerunt : amplectebantur miseri pio

Quatenus enim voluntas abfuit, erant innocentes. Sed me offendit τὸ *confestim*. Hoc enim acerbe postea exprobratur, quod quidquid factum est, non est factum confestim. Infra : *Quod vultum tuum diutius vident*. Et, *non licet tibi gladium supra cervices diu tenere*. Forsan : *Homines innocentes, quum damnarentur, quoque infestos inter se concurrere coegit*. Gron.—*Exsulem exsul*. Ex emendatione Ærod.

1. *Armaverunt misericordiam. Se misericordia sui*, Ærod. An, *amaverunt m. sui*. Schult. — *Quantum enim valuit*. Ærodius : *Quantum autem*. Ego malim : *Quantum tamen valuit*. Gron.

Digitized by Google

furto extremum patriæ solum, non mehercule scio, an alicujus insidiis perducti[1], an aliqua humanitatis facie impulsi: nihil probare possum: ambo perierunt. Si tamen intueri naturam volueritis, apparebit profecto, non casu eos in eum locum potissimum venisse, in quo ab inimico deprehenderentur: deprehendit enim, tamquam exspectasset. Minus quidem miserrimos cives confuderat istius adspectus: jugulum contumaciter parabant[2]: jampridem mortem contempsimus, nec inimicitias adversus te suscepimus, nisi lucis vilitate: occide: numquid plus potes? Risit animos: et, adhuc nescitis, inquit, quantum opes virium[3] habeant: efficiam vos inimicos. Tradi utrique gladium jubet, et custodiri in primo impetu manus: circa flagella et ignes, et omnes tyrannicæ crudelitatis apparatus: quantos enim fuisse creditis metus[4], qui effecerunt, ut concurrere illis ex-

1. *Perducti.* An non *producti.* Id est, longius, quam putaverunt, aut voluerunt, ducti ab insidiatore, quum nescirent se jam intra fines esse. *Producere* enim fraudis et insidiarum verbum, et præcipue in bello. Just. I, 8: « Refugiens Cy- « rum ad angustias usque pro- « duxit. » Front. I, 1, 11: « Furius « exercitu producto in locum ini- « quum. » Ubi et male *perducto* alii: ita et lego apud Curt. VIII, 1: « Ut improvidum ad insidias « præda produceret. » Et ita alii sæpius. Burm.

2. *Jugulum contumaciter parabant.* Ovid. Metam. VI, 553: « Ju- « gulum Philomela parabat. » Gron. — *Jam pridem.* Deest hic *dicentes*, vel simile verbum, quod sæpe omittunt scriptores. Ita Horat. Od. III, 2, 9: «Suspiret: Eheu ne rudis ag- « minum, etc.» Id est, dicens secum matrona *eheu*, etc. Liv. I, 9: « Mi- « sit legatos, qui peterent connu- « bia; urbes quoque, ut cætera, ex « infimo nasci. » Cap. 27: « Redire « in prælium jubet. Nihil trepida- « tione opus esse. » Et ita Phædro hoc familiare Gudius ad Fab. I, 29, et alibi docuit. Vide et Cl. Periz. ad Sanctii Minerv. IV, 4; Rivium ad Sallust. Cat. 21. Ita ignorantes librarii apud Val. Max. V, 9, 4, interjecerunt verba, *sed diceret*, quæ absunt a codicibus et emendatis editionibus. Burm. — *Risit animos. Risit animo*, Ærod.

3. *Quantum opes virium.* Pro *q. opus jurium*: debetur hæc emendatio Brixio; nos sic etiam, *quantum ego plus virium habeam*? Ærod.

4. *Creditis metus.* Ante *metus* asteriscus est in editionibus aliis, quasi

Digitized by Google

pediret? O misera conditio! magna necessitate victa libertas est: tunc rogaverunt; donec iste crudelis lanista, concurrite, inquit, et istas innocentes manus committite prudentes [1]; non continget innocentibus mori: quæ miserorum inter binos metus cunctationes? occidere coacti sunt eos, quorum miserebantur. Quid ego faciem tristissimi illius temporis narrem? quid vulnera? quid sanguinem? quid gemitus? tu saltem fortuna melius: uno uterque fato [2] jacet. Te tamen, dives, interrogo, quid de illo facturus fueris, qui superfuisset? hoc est, puras manus habere? hoc nobis pro innocentia imputas? nocentem fecisti ipsam infelicitatem: et tamquam parum esset exigere pœnas, supplicia infamasti, id denique coegisti [3], quod defendere non potuissent, nisi coacti. Injusti supplicii ago: non est mihi lex interpretanda: omne injustum supplicium est, quod non est exactum secundum legem: da igitur jus mihi, quo perire debuerint. EXSULEM INTRA FINES LICEAT OCCIDERE: quod satis est, non occidisti: quidquid aliud factum est,

aliquid deesset; sed recte Cl. Schultingius nihil deesse notat, sic pr. Decl. « Æstimate, judices, quid ti- « muerint. » — *Tunc rogaverunt.* Quintil. lib. IV, ex Cicerone in Verrem, summum virum ostendit, qui quum virgis cæderetur, non ingemuerit, non rogaverit: sed tantum civem se romanum esse, cum invidia cædentis et fiducia juris clamaverit. ÆROD. Lege: *Diu rogaverunt.* GRON.

1. *Committite prudentes, ne contingat innocentibus mori.* Hæc ut nos restituimus, irridentis sunt divitis, et in aliena miseria lascivientis: quasi dicat, Innocentes manus hæ fuere, quia imprudens homicidium fuit. At nunc prudentes in vos mittite et conserite manus. Hujusmodi sunt ea quæ sequuntur: et ideo cum interrogatione legimus. ÆROD. — *Inter binos.* An, *inter diros?* SCHULT. — *Cunctationes.* Vetus exemplar, *cunctatio? nec occidere.* PITH.

2. *Uno uterque fato.* Imitatio Ovidiana, Trist. IV, 1, 10: « Quum « cecidit fato consul uterque pari. » — *Supplicia.* Alii *supplicio.*

3. *Id denique coegisti.* Francius volebat, *ad id;* sed nihil mutandum esse, facile censebit, qui legerit ea, quæ notat Gronov. ad Liv. IV, 26.

Digitized by Google

contra legem est: sit aliquid mitius, sit aliquid clementius, non licet, nec tibi licebit ignoscere. Exsulem intra fines liceat occidere. Neminem, judices, eorum, qui jura condiderunt, tam asperum et trucem existimo fuisse, ut tantum scelus crederet posse fieri[1]. Metu sine dubio fines nostros clausit exsulibus: magnam tamen illis, qui deprehendissent, imposuit difficultatem. Exsulem intra fines deprehendisti? occide, si potes: sed occide tua manu, sume carnificis animum: sequetur quandoque te ista conscientia: et quamquam impunitus sanguis, manabit tamen usque ad animum. Quæ sunt istæ deliciæ, ut tu velis inimicos tuos imprudentibus[2] manibus occidere? Exsulem intra fines liceat occidere. Si deprehensos detinuisses, injustum supplicium esset: nemo inter pœnas exsulis constituit mortis exspectationem: istud quod nutum tuum diutius vident, quod arrogantiam ferunt, injustum supplicium est:

1. *Ut tantum scelus crederet posse fieri.* Multa enim in legibus aliquando apponuntur, non tam revera puniendi, quam absterrendi gratia, ut illa ex 12: « Ternis nundinis partes secanto: si plus minusve secuerint, sine fraude esto. » Acerbitas enim plerumque ulciscendi maleficii, bene atque caute vivendi disciplina est: et tam atroci pœna constituta, ne in eam incidant mali vel tracti, vel inviti, reformidant. Sed dum lex permittit exsulem intra fines deprehensum occidere, quum tamen neminem speret hac nimia licentia abusurum: nonne tamen idipsum est homines ad facinora liberius invitare, dixerit aliquis, et licet iniquum et inhumanum, at tamen legitimum quoddam, quod privato liceat, homicidium invenire? Sane non omne quod licet, honestum est: qua tamen utile est, jus est. Sed propius intuenti apparebit, tum quum permittit lex gravius quod delictum puniri, quam par sit, ut vel exsulem intra fines occidere, vel debitorem discerpere, nectere; sit vero major alia lex a natura orta, quæ recta ratio appellatur, prohibens tantam hanc hominum inter homines sævitiam et inhumanitatem; non illam ferri, ut contra hanc committatur: sed ne exsul iis se committere et commiscere audeat, quorum læsit conjunctionem atque societatem. Ergo legis quædam quasi tergiversatio est. Ærod.

2. *Imprudentibus.* An *innocentibus?* ut et supra *innocentes manus* dixit. Schult.

Digitized by Google

non licet tibi gladium supra cervices diu tenere : non licet jugulo necem admovere lente. Tu eos detineas intra fines, quibus venire non licuit? occide, vel statim : vel, si differre potes, miserere : nondum dico, concurrere : præstantis alterius cervicem[1] ferire coegisti : injustum supplicium est. Mori debent : qua lege? in qua scriptum est; cito occidat. Putate, judices, hujus furoris ad vos causam referri. Ex duobus exsulibus intra fines deprehensis, ab altero occisus est alter; statim cum hoc agere injusti supplicii volo. Quis tibi gladium dedit? quomodo potest fieri, ut is debeat occidere, cui necesse est mori? nemo, ut opinor, absolvet. Fieri non potest, ut si damnanda fuerit audacia, non sit vindicanda necessitas : quum illorum crimen foret, si voluissent; tuum sit, necesse est, quia coegisti. Si concurrissent, et viverent, injusti tamen supplicii agerem : facile est vitæ damnum : abstulisti miseris innocentiæ opinionem, et ut pessimum gladiatorum genus perire jussisti : non potueras absolvi, si infelicibus missionem dedisses. Quos composuisti? homines ejusdem civitatis, ejusdem fortunæ, ejusdem inimicos. Plurimum tamen adhuc ad dolorem pertinet, quod te spectante pugnaverunt : ille gravissimus dolor, quod ad inimici voluptatem satisfacerent[2]. Misera conditio necessitatis! gloria

1. *Concurrere præstantis alterius cervicem.* Ærodius *præstantes*, et alios ait legere, *alternis*. Ego malo : *Nondum dico, concurrere; præstantis alterius cervicem alterum ferire coegisti.* Hoc est, Nondum dico, quod plus est, concurrere illos coegisti, sit aliquid minus, dico aliquid minus; nimirum quum præstaret alter cervicem, alterum ferire coegisti. Ne hoc quidem defendere potes; *injustum supplicium est* : quanto injustius illud, quod concurrere coegisti. Gron. *Concurrere, at prostrati alterius.* Schult. — *Cito occidat.* Hoc non video scriptum esse in lege. Forsan : *Liceat occidere.* Gron. Ita et Schultingius. — *Causam referri.* Ærod. *Crimen referri;* cujus marg. *tamen referri.* Alii *deferri.*

2. *Quod ad inimici voluptatem*

Digitized by Google

infelicibus erat, facere quod velles: quam contumaciam vicisti! Proponite ignes [1], et constituite ante oculos illud crudele spectaculum; sedentem hunc altius, armatos circa servos: neque enim profecto sine præsidio magno, sine certa securitate ferrum commisit inimicis. Qui dolor miserorum, quod quemquam vulnerarent isto præsente? Certum habeo, et hortatus est, et laudavit illum, qui prior percussit: omnia licet feceris, neuter tamen amicum suum occidisset, nisi scisset expedire, ut uterque moreretur. Si bene miserorum innocentiam novi: non tantum tibi, quantum optaveras, contigit: concurrerunt lateribus nudis: omnia tu licet crudeliter excogitaveris, fecerunt tamen bonum exemplum.

satisfacerent. Proprium verbum in gladiatoribus. Vide Observ. II, 2. Gron. — *Gloria infelicibus erat facere, quod velles.* Non loquitur de statu infelicium, in quo tunc erant: sed in quo fuerant ante exsilium, quum fortiter et contumaciter adversus divitem simultates exercerent. Igitur scribendum: *quod nolles.* Tum enim omnibus divitis voluntatibus adversabantur, atque eum oppugnare sibi gloriæ ducebant. Hanc contumaciam eorum vicit dives, subactorum, ut tandem aliquid vellent, quod ipse quoque voluit: nempe ut alter alterum occiderent. Itaque cum nota admirationis accipiendum illud: *quam contumaciam vicisti!* Gron. *Non facere quod velles,* Obr. — *Facere quod velles: quam contumaciam vicisti.* Nam volebat, eos mori: quod quum contumaciter non recusarent, vicit eorum contumaciam: dum huc eos adegit, ut essent ipsimet interfectores sui. Ærod.

1. *Proponite ignes.* Lege, *proponite igitur:* non enim hic, ut supra, agitur de carcere. Schult. Forte, *proponite, judices,* etc.

Digitized by Google

CCCVI.

Expositus, negatæ matris nuptias petens.

Maritus peregre proficiscens, præcepit uxori, ut partum exponeret. Expositus est puer. Maritus peregre, uxore herede, decessit. Post tempus quidam adolescens, cujus ætas cum expositionis tempore congruebat, cœpit dicere se filium, et bona sibi vindicare. Inter moras judicii, bello idem adolescens fortiter fecit. Petit præmio nuptias ejus, quam matrem dicebat, manente priore judicio. C. D.

DECLAMATIO.

Non ita me prima frons[1] causæ callidissima optionis simulatione decipit, ut mulier ista matrimonio credat, quod hodie nemo peteret, si non recusaretur : illud magis vereor, ne juvenis, qui ejus, quam matrem esse dicebat, nuptias optat, videatur velle ad verum pervenire : ac vos latentium natalium credatis experimentum, quod mulier, quæ post amissum maritum per tot annos, qui facere poterant ab infantia virum fortem, sic complexa est viduitatem, tamquam genus pudicitiæ; hunc jungere sibi venere sera[2], et polluere complexibus

1. *Prima frons decipit.* Phædr. IV, prologo: « Decipit Frons prima « multos. » — *Matrimonio credat. Cedat*, Obr. *Ut mulier istam matrimonii credat*, Schult. — *Si non recusaretur.* Nam si qui fortiter fecit, speraret, optionem mulieri placere, neque fore, ut ne per ætatem quidem a nuptiis abhorreret, certe matrimonium non peteret. Ergo cavillatio quæritur, et in illam vel illam partem, causæ præjudicium. Ærod. *Si modo recusaretur*, Schult.

2. *Venere sera.* Ut Tacitus de Germanis, an vero *effera*, qualis est in incerto? an *ferali?* an *jungere sibi virum, et seram polluere*, etc. *ætatem?* Schult.

Digitized by Google

non vult filii sui, si vixisset, ætatem. Intelligo itaque non tam multa mihi contra præmium dicenda, quam contra argumentum : sic componenda actio est, tamquam nos audiant judices illi[1]: non tamen juvenem pari captione ludemus. Fecisset, fecisset hoc astuta mulier, anus inverecunda, ut juveni curioso offerret hanc fatigati corporis partem[2]. Erat dignus, qui dum alterius patrimonium petit, perderet etiam præmium suum : sed mulier simplicissima, si quid mentiri posset, si non exposuisset, palam se nolle profiteretur : hoc pudori satis est : si quid jusseris, culpa cogentium est. Quid interim proficit adolescens ille? nam si præjudicium est, quod hæc recusat : et illud sit argumentum, quod hic optat : cujus quidem pudori, propter recentia merita, cupio consultum : magna tamen cupiditatis invidia inquinat laudem, si quum alienum patrimonium petat, non putat sua referre utrum hereditatem illud[3] faciat,

1. *Tamquam nos audiant judices alii.* Ait enim postea, « Audite igi- « tur tamquam alii judices. » Nempe ut causa hereditatis acta et transacta, nunc apud eosdem, uti causa diversa, et prorsus a prima sejuncta aliaque, ita apud alios judices agi agitarique videatur. Ærod. *Judices illi*, marg. Ærod.

2. *Hanc corporis partem.* Vid. ad Petron. CXII. — *Si non exposuisset.* Ærodius refert aliorum *etsi mentiri posset, se non exposuisse.* At tu lege : *Sed mulier simplicissima (si quid mentiri posset, non exposuisset) palam se nolle profitetur.* Dixerat mulierem simplicissimam, et fraudis astusque expertem. Id obiter confirmat, si possit ullo modo fallere, non exposuisset infantem : sed invenisset, ob quod ad id faciendum jussu mariti et suo promisso non teneri videretur. Et sane *profitetur* etiam Thaddæus et Ærodius. Gron. *Simplicissima (si quid mentiri posset, filium exposuisset?) p. s. n. profitetur*, Obr. *Si quid mentiri posset, se non exposuisse, et palam tamen se nolle profiteretur.* Schult. *Si mentiri posset se non exposuisse*, marg. Ærod. — *Si quid jusseris.* Ærodius : *si quid viceritis :* alios ait velle, *vixeritis* Scribe : *nam si quid jussus feceris, culpa cogentium est.* Excusat expositionem, cujus modo meminerat. Gron. *Si quid juberis*, Schult. *Si quid jusseritis*, Obr.

3. *Hereditatem illud.* Legendum *hereditate, i. f. an dote.* Id est jure hereditario. Vid. ad Vellei. Pater. II, 4. Burm.

Digitized by Google

an dotem. Hæc quidem minus sollicita fuit priore judicio : tunc enim pudor salvus : nunc totos necesse est proferre gemitus. Semel, inquit, infeliciter nupsi : peregrinabatur maritus : illuc ierat[1], unde non est reversus : tamen misera concepi : et quantum uterus crescebat, tantum accedebant exsequiæ : convenerunt ad parientem consolantes propinqui : hæc passa sum suasore marito, qui me fecit heredem. Quis potest illum diem referre sine lacrymis? vivum funus gremio tuli : quam pæne exspiravit in manibus meis[2]? Deinde periit ille, qui jusserat : quam pæne potui non exponere? Quid mihi cum hac hereditate? efficit, ut filium magis desiderarem : falsas putate voces, si postea nupsit. Ille desiderabatur infans : sic, puto, effectum est, ut aliquis se filium diceret. Hæc quidem fabula allata est, tamquam temere credituræ : sed postquam se perspici sensit juvenis, differre[3] cœpit : nihil judicium magis trahit, quam

1. *Illuc ierat.* Alludit ad illa Catulli c. 3, vs. 11 : « Qui nunc it « per iter tenebricosum Illuc, unde « negant redire quemquam. »

2. *Manibus meis. M. m. quam pæne potui non exponere : deinde periit ille q. jusserat me herede relicta*, alii.

3. *Se perspici sensit, differre.* Ærodius, *se perspiciens hic juvenis, quis sit invenit, differre cœpit.* Scribe : *postquam se perspici sensit, deferre cœpit.* Hoc est, postquam vidit non temere mulierem credere, et intelligere, quis esset ipse, nempe planus et impostor, in jus vocavit mulierem. Idem vitium Decl. CCLXXV : « Alioqui si hoc putares « esse pecuniam accipere, abdicari « fratrem, statim detulisses. » Sic olim correxi, quum vulgo *putatis*, vel *putaris*, et *distulisses*. Jam video et Ærodium dedisse, *detulisses*. Gr. — *Nihil judicium magis trahit, quam diffidentia.* Ex narratione sententiam fecerunt. Scribe : *deferre cœpit. Nihil magis judicium traxit, quam diffidentia petitoris. Ante consummavimus bellum.* Hoc quoque, *consummavimus*, ab Ærodio potuit admisisse Pithœus. Cœpit mulierem vexare lite lenta. Has mores invenit ipse, ut fatigaret : nam in ipsa causa nihil habebat spei. Sic factum, ut intervenerit bellum judicio, et prius finitum sit, quam judicium. Gron. *Consummabimus.* Pith. — *Ante consummavimus bellum.* Supplendum est, ut sensus rotundior fiat; « ante quam prius judicium de hereditate perageretur. » Ærodius.

Digitized by Google

diffidentia petitoris : ante consummavimus bellum. Non fraudabo te, juvenis, gloria tua : tu fugasti hostes[1] : felices, si qui tibi sunt parentes ! utinam credibilia finxisses ! effeceras, ut te cuperent agnoscere. Hic libet alloqui juvenem : tu quidem fortiter fecisti : sed minor corporis virtus : plus est in animi moderatione, ne quid improbe petas, ne videaris isto animo litigasse. Licet, inquit, mihi optare, quod velim : nullum manifestius improbæ optionis argumentum est, quam vim legi adhibere : quis enim dicit, necesse est? qui dicere potest, oportet. Non tamen hoc natura recipit, ut tam gravi servitute juris obstrinxerit rempublicam, qui legem dicebat. Sibi sane tulerit jura simplicius ætas vetus : minorque fuerit verborum custodia, quum intellecturi non timebantur[2]. Has enim primas rudibus illis, ac militaribus viris existimo placuisse leges, quibus inter continua bella præmium non avaris virtutibus dabatur : neque ego crediderim, optionem tunc illam respexisse ad onera reipublicæ. Liberalis erat populus ex præda : testis carminum antiquitas, ubi illi primi heroes canebantur : bellator huic currus[3], huic ducum exuviæ, non-

1. *Hostes : felices.* Francius, *felix et si*, etc. male : nam laudabant parentes ob filios fortes et egregios. Vide ad Petron. XCIV, quibus adde Val. Flac. V, 384, et Lucæ Evang. II, 27. Burm. — *Ut te cuperent agnoscere.* Non accipio de veris quibusvis parentibus, sed de hac ipsa matrona, quicum constitit : et lego : *Utinam credibilia finxisses ! effeceras, ut te cuperet agnoscere.* Gronov. Ita Obr.

2. *Quum intellectus hi non timebantur.* Ut sub specie legis, et verbis illius salvis, iniquum optare liceat. Alias *intellecturi* : et sensus est, nam quum verba captantur, nec a syllaba licet absque fraude recedere, tum harum formularum, et literæ syllabæque tendicularum peritiores, ut Appius ille ante Flavii ædilitatem, sane caventur, timenturque. Ærod. — *Non avaris. Non avarius*, Ærod.

3. *Bellator currus.* An *equus*, an *bellatori.* Schult. Ita « bellator « equus, » Virg. Georg. II, 145, et alibi. Valer. Flac. II, 386 ; et « bel- « latrix gleba » eidem VII, 612. Bel- « lator campus, » Stat. Theb. VIII, 15.

Digitized by Google

nullis captivæ forma[1] præstantior, ultima sors habebatur, quamlibet nobilis peteret. Legistine circa decennis belli exuvias contendisse clarissimos reges? hæc sacra sunt merita, hæc conjurata virtus : hoc erat illud, quod volo[2]. Si vero isto verbo immodico abuteris ; respondebit tibi respublica; quid prodest vicisse, si adhuc aliquid negare non possum? sic mecum loqueretur victor hostis : quid si templorum incendia petas? legum obliviones[3]? hoc modo et nuptias matris optares. Quanto justius tibi mulier privata respondet: non pro me tamen militasti : appella rempublicam, appella magistratus : non potest a privato dari, quod ab omnibus debetur. Hæc dicerem, si aliquid ex rebus meis concupisses : nunc matrimonium petis, quod tibi contingere non potest sine invidia captivitatis[4]. Si tamen urbe capta

378. « Bellator ensis, » Sil. XIII, 376; et ideo potuit Noster dicere jure suo, « bellatorem currum. » Burm.

1. *Captivæ. Captiva*, Obrecht. sed et vulgata retineri potest, sæpe enim *forma* in his Declamationibus pro puella formosa occurrit, et alibi. Vide Declam. XV, 2. Burm.

2. *Hoc erat illud. Hæc eligat illud quod volet*, Schult. Vid. ad Petron. XCIII. — *Isto verbo immodico abuteris.* Ærodius : *Sis vero istud verbum in modico habiturus.* Ego : *Si vero isto verbo immodice abuteris.* Gronov. Ita et Obrechtus : parum refert : quamvis *immodico verbo* præferrem, quod est superbum, magnum : ita « immodicæ rixæ, » Horat. Od. I, 13, 10, et ita homines *immodici*, ut Lucanus « Gracchos « immodicos legibus » dixit VI, 796; et Val. Flac. V, 597 : « Immodicum « dictis. » Burm.

3. *Legum obliviones.* Fortasse melius, *abolitiones.* Pith. — *Non pro me tamen militasti.* Scribo *tantum.* Hoc est, solummodo, nec enim negabat se partem civitatis, pro qua militaverat. Gronov. Ita Obrecht. — *Non potest a privato dari.* Cur non, *privata?* Gron.

4. *Captivitatis. Cupiditatis*, al. — *Non auferret hostis.* Quod pignus habet hujus clementiæ ac misericordiæ hostium? Lege : *Si tamen urbe capta invocaret manes mariti, forsan ferret hostis.* Gron. Ego nihil muto. *Non auferret*, id est, non ferret, quod tu petis, sed remitteret matrimonium mulieri, quam tanto amore defuncti teneri videret. Ita *auferre* pro impetrare, obtinere passim Cicero ponit. Vide Passerat. ad Orat. pro Quinct. 5, et Græv. ad VI ad Fam. 12: « confirmavit, se perceleriter ablaturum diploma. » Francius probabat Gro-

Digitized by Google

invocaret manes mariti, non auferret hostis, et misereretur ejus, quæ amare defunctum videretur. Tibi cum hac quomodo potest convenire, cujus matrimonium non peteres, nisi cum ea litigasses? Vis scire quid sint nuptiæ? adspice illam virginem [1], quam pater tradidit, euntem die celebri, comitante populo: non potest quisquam dare, quod constat duorum voluntate. Utcunque tolerabile esset, si virginem peteres, quæ nullo suspirat affectu, quæ adhuc reipublicæ matrimonium debet. Est præcipuum jus senectutis: quoniam non una subit omnis ætas [2]: non perpetuo senatorem citat consul: est sua legationibus requies: quum hos habueris annos, jam non militabis. Cogis nos agere fortius: non omnibus præmium debetur; non petet servus, non petet peregrinus [3]: tu hanc asserendo matrem, incertis te parentibus esse confessus es: ut optare possis, primum te necesse est filium probes: perseveras? sic agam, tamquam velit. Nuptiis tibi opus non est hoc tempore: militare debes, excubare, vigilare: ab hac te voluntate

novii correctionem, nisi quod *invocàrem* malebat. Burm.

1. *Aspice illam virginem.* Hoc pertinet ad l. 7 C. de Repud. l. 9 et l. 22 C. de nupt. 30. q. 5, Tertull. l. 11 ad uxorem. Pith. — *Est præcipuum.* Ærod. *sed est præc.*

2. *Non una subit omnis ætas.* Forte, *non omnia subit omnis ætas.* Qui locus a Seneca alicubi tractatur. Pith. Recepit hanc conjecturam Obrechtus, et probabilem puto: est enim color ductus ex illo Virgilii, Georg. II, 109: « Nec vero « terræ ferre omnes omnia possunt. » De quo vide ad lib. Inst. V, 10, Cl. Schult. legebat: *non una subit omnia ætas:* etiam non male. Burm.

3. *Non petet servus, non petet peregrinus.* Nullum enim servis erat connubium, quin eis nec militare licuit. Rursus, peregrini jus connubii cum civibus romanis non habuere. Non ergo omnibus præmium, nec quodcunque postulantibus præmium debetur. Ærod. — *Primum te necesse est filium probes.* Haudquaquam etenim si probasset, nec poterat optare, nec vellet, certiore via ad bona inventa. Sensus omnis jubet: *Ut optare possis, primum te necesse est, non esse filium probes.* Gron. Et ita Schult.

Digitized by Google

non debebat nec mater abducere : ac tu si quietem mavis, duc uxorem parem : bene dictum; [1] compositis ætatibus coacta matrimonia, tamen facile fastidiunt : sive non habet omne, quod licet voluptatem; seu continuis vicina satietas; sive durum est, quod necesse est. Quid si affert impares annos? in hac ætate ne olim quidem juncti se amant: operies flammeo canos? ut inducta in cubiculum, quomodo blandiatur? quomodo appellet? nam tu matrem vocabis. Inter pares quoque annos, citius femina senescit : neque amatur anus uxor, nisi memoria. Tu fortasse nunc velis : illum annum expecta, qui veniet : non eumdem gradum ultima ætas facit : nec decedit suprema vita, sed corruit. Non ipsam petis : sed tua nihil interest, uxor sit an mater. Satis diu fictis respondimus : nunc ars aperienda est. Non conscientiam nostram tentat, sed verecundiam, ut huic expediat mentiri : audite igitur tamquam alii judices. Jam primum omnium apparet, nullam esse generis, quod affectat, probationem : alioqui præmio opus non esset : non anus ulla, non index : hinc est [2] illud; nu-

1. *Compositis. Compositis etiam ætatibus.* Schulting. *Fastidiuntur,* Obrecht. — *Non habet omne. Non habent omnem quoad l. v.* Ærod. — *Ut inducta. Et inducta,* Latinius. — *Illum annum exspecta, qui veniet.* Quo nempe sum moritura. Nam certum est, te non me decrepitam (ut a plerisque fit) sed divitias meas optare. Brevi autem me morituram argumento est, quia mori seni naturale est. Ac quamvis etiam juvenes morimur, immo vero licet omnes in dies horasque deficimus, dum nostri particulæ minimæ commutantur, ut scripsit Alphenus traductum a philosophis : gradus tamen ille, ac perpetua moriendi successio, numerosior est, et in adolescente viroque passibus dimensa certior, quam in sene : in quo jam nullus est modus, nulla certa declinandi via, nec hactenus proclivis, sed præceps : ut in pendentibus fructibus, etiam immaturi ruinam minantur : at ipsi jam ruunt maturi. In hanc sententiam Cicero de Senect. « Vitam adolescentibus « vis aufert : senibus maturitas. » Ærod.

2. *Non anus ulla, non index hic est.* Nullus est qui γνωρίσματά τι καὶ

Digitized by Google

bat, nisi mater est. Una calumniæ origo est, quod hanc exposuisse constat: rarum igitur est, ut expositi vivant. Caducum circa initia animal, homines sumus: nam ferarum pecudumque fœtibus est statim ingressus, et ad ubera impetus: nobis tollendus infans, et adversus frigora nutriendus[1], sic quoque inter parentum manus, gremiumque nutricis, sæpius labitur: unde nobis tantam felicitatem, ut ad infantem mors arcessita non veniat? Vos ponite ante oculos puerum statim neglectum; cui mori domi expediret, inde nudum corpus, sub cælo, inter feras et volucres. Video moveri, mulier, lacrymas tuas: nemo tibi mortalium posset ignoscere, nisi jussa fecisses? alia tamen conditio est eorum, quibus obvium patrem quærit exponentium paupertas: ille relinquitur loco celebri: tunc et libet custodire longe, et spectare fortunam. Aliter abdicatur, quem jussit exponi[2], qui relinquere poterat heredem. Sis porro sublatus; ille qui te educat, scit parentes: periisse patrem audit; cur tibi non petit patrimonium? cur istud tot annos tacet? an exspectat donec probare non possit? Age, quid futurum erat, si periisset et mater? et age, nollet filium mater agnoscere? nam huic quidem quanta fuerit materni nominis cupiditas, non illis tantum argu-

πατρῶα σύμβολα afferat, proferat, unde filius agnosci possit. Illud vero unicum argumentum est, Nubat, nisi mater est. Ærod. *Non patronus ullus, non vindex huic sit, sed illud, Nubat, nisi mater est.* Vel, *præmio opus non esset, non anu illa. Nunc non vindex sit hinc, sed illud.* Schult. *Non index hic est: illud, Nubat,* Ærod.

1. *Adversus frigora nutriendus.* Malim, *muniendus.* Almel. Ita Ærod. vid. ad Phædr. Fab. II, 6.

2. *Alter abdicatur, quem jussit exponi.* Qui exponit ob paupertatem, ideo exponit, ut quondam sive ipse ditior, sive provectiorem filium agnoscat: qui vero dives exponi jubet, abdicat: quod exhæredatione majus est: ergo vel agnitus non posset contra tabulas bonorum possessionem petere. Ærod. *Alter,* Obr. — *Et age nollet. Age, quid si nollet,* Ærod.

Digitized by Google

mentis probabo, quod concepit, quod sustulit; sed quod maritus nunquam mandat exponendum, nisi educaturæ. Date huic quem vultis affectum: si voluit habere, facile agnosceret: si noluit, sic exposuisset, ne educaretur: et tamen fuerit fortis adversus infantem: plura[1] blandimenta robustior ætas habet. O quantos hæc ex alienis liberis cruciatus tulit! blanditur aliquis puer? talis esset meus: laudatur aliquis vultu speciosus? talis fuit ille, quem perdidi. Crescit quotidie dolor: jam in foro conspiceretur, jam militaret, jam illi uxorem quærerem: nunc vero propiores admovet stimulos vir fortis: hæc suum negaret? te parentes liberis suis monstrant. Scilicet timet, ne ad illam matronæ conveniant. Si se matrem fateretur, aliquid fortasse in honorem ipsius optasses. Ego miror, quod tuo errore non utitur: et uteretur, si errare te crederet. Cur ergo non nubit? ætatem suam intelligit: quam impares sitis, videt: est quædam etiam nubendi impudicitia: a viro jam suo secubaret utique, si ætatis hujus filius interveniret. Hæc si nubere in istis annis potest, quomodocunque dicam, mater incesta[2] est,

1. *Et tamen fuerit fortis: adversus infantem plura.* Sic orationem suspendit Ærodius, et acquievit Pithœus: nam Thaddæus continuat omnia uno spiritu hæc et sine distinctione. Voluit autem auctor. *Et tamen fuerit fortis adversus infantem* (hoc est, duraverit, non miserta infantis fuerit, non eo efficitur adultum quoque, si suum sciret, repudiaturam. Cur? quia): *plura blandimenta robustior ætas habet.* Plus est et efficacius, quod placet in bona indole adulta. Gron. *Sed tamen fiat fortis adversus infantem*, etc. Id est dura, quia potuit exponere, magis fortis futura adversus juvenem: hæc est objectio: respondetur *o quantos*, etc. Schult. *Fortis* pro duro, etiam in Declam. IV, 22: « Fortes ad scelus manus. » — *Talis fuit ille.* Francius malebat, *talis foret.*

2. *Quomodocunque dicam, mater incesta est*, etc. Sic Pith.: nam Thaddæus et Ærod. *incerta.* Scribe: *Hæc si nubere in istis annis potest, cuicunque, dicam, mater incerta est, necesse est, umbra saltem sceleris laboret.* Hoc est, non dico tibi, sed cuivis alii matris incertæ, non potest sine suspicione incesti esse. Gron.

Digitized by Google

et necesse est, umbra saltem sceleris laboret : cur in fabulas eat? cur habeant materiam maligni? vix absolvi nuptiæ possent, si jam contra judices illi pronunciassent. Quid futurum est, si hæc parata fuerit nubere, et illi matrem pronunciaverint? Quid autem tu juvenis, si tibi nuptiæ adjudicatæ fuerint, ducturus es? si non duxeris, non fiet sic generis experimentum : si ducturus es, factum est. Me miserum! anum ducis juvenis : video, quid concupieris : mater est : non vult : ergo mater, an uxor sit, nihil interest. Cætera juveni audaci in [1]promptu: nec in hac ætate mortem quisquam minaretur. Per fidem, juvenis, bona potius opta. Consuevit [2]frugalitati : sine marito diu vixit : inter gravissimas vitæ calamitates, non sine solatio tamen, meruit maritum : et jam in fine vita est : nec de hereditate sollicita est, non habet filium.

1. *Cætera juvenî audaci in promptu.* Thaddæus et Ærodius *audacia.* Addit alter, velle quosdam *juvenili.* Dein Thaddæus, *miraretur.* Ærodius, *mortem quisquam mihi minaretur.* Mihi succurrebat, *Cæterum juveni audacia in promptu ; nec in hac ætate temeritatem quisquam miratur.* Gronov. *Miraretur,* Schult. et Obr.

2. *Consuevit frugalitati.* Ærodius : *Consuevit frugaliter vivere.* Thaddæus : *Consuevit frugalitate.* Quod fortasse mutandum non fuit. Columella VIII, 15 : « Nam si modo « captas aves, quæ consuevere libero victu, custodiæ tradere ve« lis, parere cunctantur in servitu« te. ». Gronov. Ita et Declamat. CCCXXXII : « Paupertate consue« vi : frugaliter vivere scio. » Sch. *Frugalitate,* marg. Ærod. Vide Freinsh. ad Flor. I, 1, et Gronov. ad Liv. XXXI, 35.

Digitized by Google

CCCVII.

Conscius veneno[1] *proditoris.*

CONSCIENTIÆ SIT ACTIO. PRODITOR TORQUEATUR, DONEC CONSCIOS INDICET. Proditor bis tortus, pernegavit: quum futurum esset, ut tertio torqueretur, amicus ei venenum dedit: reus est conscientiæ.

SERMO.

Duo nobis efficienda sunt, ut conscium habuerit, ut hunc habuerit.

DECLAMATIO.

Scio vos, judices, posse mirari, cur ex hoc in judicio quæratur: prospexerat enim lex, ut conscius[2] per tormenta potius quæreretur; sed quatenus nequitia obviatum est legi, reliquum est ut hic reus sit. Ac primum omnium nego fieri potuisse, ut proditor conscios non haberet. Intuemini naturam, intuemini magnitudinem sceleris: prodere populum, civitatem, exercitum, non est unius. In hoc mihi non est laborandum: nam lex, quæ torqueri jubet, donec conscios indicet; non dubitat conscios esse: vidit enim, quanta esset inter se quodammodo[3] sceleratorum fides, quam diu tacerent: itaque

1. *Conscius veneno. Conscius veneni;* et deinde in argumento, *Proditionis conscientiæ s. a.* Ærod.

2. *Ut conscius. Ut in conscios*, marg. Ærod. — *Obviatum est legi.* Non probæ monetæ verbum est, et intrusum ad seculum suum sequentibus monachis, pro *obviam itum est.* Idem fecere Ciceroni ad Ver. I, 41, ubi pro *obviam ire*, codices quidam dederunt *obviare.* Vid. et commentatores ad Sallust. Jugurth. cap. V. BURM.

3. *Quodammodo.* Nam vera fides

Digitized by Google

non sic scriptum est, PRODITOR TORQUEATUR : sed, TORQUEATUR, DONEC CONSCIOS INDICET : adeo ille, qui nondum indicavit, adhuc non est pro torto : ergo ut majoribus nostris visum est, si conscios habuit[1], videamus, quos habuerit. Nullum factum deprehendi, nullum conscientiæ signum : putemus mortuum esse, antequam torqueretur : quæramus, quos conscios habuerit : nonne illud genus quæstionis præcipiendum est, quem habuerit amicum? Non temere debet indicasse tantæ rei conscientiam : longa consuetudo, vetus amicitia facit, ut veniat quis in sceleris societatem : amicum igitur proditoris te fuisse negas. Jam si te interrogavero, quare dederis venenum, respondebis, tormenta tertio videre non poteram : meos artus, mea lacerari viscera putabam : jungit enim amicitias similitudo morum : nescio quomodo inter sese animorum numina[2] vident et agnoscunt : nec quisquam amare in altero potest, nisi quod tacitus probat. Nec hæc in nobis tantum comparatio : muta animalia si in unum conferantur, genera[3] tamen coibunt. Amicus illius fuisti : cum illo tibi seria ac joci : non potes videri non probasse, quem non ignorasti : amicus proditoris fuisti : plus est hoc, quam si dixeris, conscium te fuisse. At bis tortus pernegavit : redde nobis rationem, quare illi amicus tantopere fueris. Dignum mehercule exemplum, quod fieret in re honestiore : tu,

in sceleratos non cadit, secundum Aristotelicos. SCHULT.

1. *Si conscios habuit. Iste conscios h.* SCHULT. — *Quæramus.* An, *si quæramus.* SCHULT. — *Præcipiendum.* Alii, *præripiendum*, Ærod. — *Indicasse.* An, *incidisse tantæ rei conscientia.* SCHULT. — *Negas. Nega*, SCHULT.

2. *Animorum numina.* Scio, quid philosophentur veteres. Sed hic scribendum judico : *nescio quomodo inter sese animorum ingenia vident, et cognoscunt.* GRON. *Lumina*, Obrecht. *Intima*, Schult.

3. *Genera. Genere*, alii. — *Redde nobis.* Bip. *reddes*, nulla sensus emendatione adversus Hack. et Burm. ED.

Digitized by Google

ne ille amplius torqueretur, periculum capitis subisti : ille, ne te nominaret, bis tortus est : qui non indicat, confitetur amicum fuisse. Bis tortus negavit : nihil dicam de varietate tormentorum : nondum erat tortus, qui torqueri poterat : illa, illa quæstio fuisset, quam [1]timuisti. Difficile est contra dolorem ægris durare corporibus : et facile est integro sensu perferre, quam semel indueris, persuasionem : ideo ars inventa est : illæ torquent nocturnæ cogitationes, illa recordatio præteritorum, illa exspectatio futurorum : illa est quæstio gravis, quum vulnera cæduntur ; quum persuasum est animo, nullum esse finem tormentorum : non igitur peracta quæstio fuit. Ducit me indignitas rei : venenum proditori dedisti : nisi aliud crimen occupassem, veneficii accusarem : venenum paravit, habuit, dedit. Et primum hoc invadere libet : unde tibi venenum? ad quos casus parasti? sic illud habuisti, tamquam possis ipse torqueri : age, nondum invado tamquam proditorem : interim ago tecum magistratus nomine : cur in custodiam irrupisti? quibus suppliciis hoc venenum luere poteras? Proditor[2] bene periit. Sed redeamus ad crimen : venenum dedisti, quum scires futurum, ut suspicaremur : quam valde confessionem timuisti, qui subire maluisti hoc argumentum! Amicus, inquit, eram : quid agis? amicus etiamnum patri bono jam filius non videretur : antea tibi poterat ignosci, quum ignorabas : etiamnum probas proditorem. Amicus ille! hoc de proditore non

1. *Quam timuisti. Q. prohibuisti,* Ærod.- *Ideo ars. Nec ideo ars inventa est illæ cogitationes torqueant.* Schult.

2. *Poteras? proditor. Poteras, quo proditor bene periit. Bene* est feliciter ; ut *sis bonus o felixque tuis.* Schult. Alii, *quæ supplicia hoc veneno luere parabat.* Vel, *poteras : proditor bene perit.* Sed Ærod. *proditor veneno periit.* — *Maluisti. Noluisti*, et mox, *quid ais?* Ærod.

Digitized by Google

est misericordia : qui misereri proditoris potest, crudelis est : non ergo[1] istud amicitiæ tuæ miseratione fecisti : jam tibi nunciabatur suprema vox. Vis scire quam hoc non amicitia feceris? ne torqueretur, non dedisti : passus es, ut torqueretur : jam anne tertio torqueretur, minime ad ipsum pertinebat? Bene, quod magna scelera his ipsis, quibus occultari videntur, aperiuntur : dum hoc agis, ne amicus tuus fateatur, ipse confessus es.

FINIUNT TRACTATÆ,

INCIPIUNT COLORATÆ.

CCCVIII.

Duo testamenta.

TESTAMENTA ULTIMA RATA SINT. INTESTATORUM SINE LIBERIS MORTUORUM BONA PROXIMI TENEANT. Quidam primo testamento instituit heredem amicum : secundo facto, alterum. Decessit : posterius testamentum[2] damnatum est. Ambigunt de bonis, priore testamento heres scriptus, et propinqui.

DECLAMATIO.

Et in more civitatis, et in legibus positum est, ut quoties fieri potuerit, defunctorum testamento stetur;

1. *Non ergo.* An *quum*, an *num?* — *Ut torqueretur. Ut iterum torqueretur*, Ærod. — *Jam anne. Jam* delet Latinius. — *Minime ad ipsum.* An, *maxime ad istum.* SCHULT. — *Bene quod. Bene habet quod*, Ærod. — *His ipsis. Ab his ipsis*, Ærod.

2. *Posterius testamentum. Prius t.* marg. Ærod.

Digitized by Google

idque non mediocri ratione : neque enim aliud [1] videtur solatium mortis, quam voluntas ultra mortem : alioqui potest grave videri, etiam ipsum patrimonium, si non integram legem habet : et quum omne jus nobis in id permittatur viventibus, auferatur morientibus. Proximum locum a testamentis habent propinqui : et ita [2], si intestatus quis ac sine liberis decesserit : non quoniam utique justum sit, ad hos pervenire bona defunctorum, sed quoniam relicta, et velut in medio posita, nulli propius videntur contingere. Nihil est ergo, quod nos onerare tentent nomine isto propinquitatis, jactatione sanguinis et naturæ, homines binis jam tabulis exheredati [3]. Et sane quoties quæstio juris est certi, et a majoribus constituti, nihil necesse est laudare leges, quibus utimur, et ad quas vobis judicandum est : quæstio igitur totius causæ nostræ, ut opinor, in eo consistit, an amicus meus intestatus decesserit : in qua parte delector, nihil tam obscure, nihil tam clam esse factum, ut nobis probandum sit. Interrogo vos igitur, propinqui, an hic, quem intestatum decessisse dicitis, scripserit aliquando testamentum? interrogo vos, an hæ tabulæ, quæ ex parte nostra proferuntur, testati sunt? Intelligitis

1. *Neque enim aliud. Neque enim majus*, Ærod. Alii, *majus datur.* — *Alioqui. Nec alicui p. gravius quidquam videri, quam ipsum*, Ærod. — *Integram legem. Integram eam legem.* Schult. — *Et quum omne.* Legit *ut* Latinius; et Ærod. *et si quum.* Schult.

2. *Et ita.* Francius, *sed ita.* — *In medio.* Vid. ad Declam. I, 8. — *Nulli propius videntur contingere. Proprius*, Ærod. An non, *nullos?* ut Ovid. Eleg. in Drusum, 9 : « Luctus « contigit omnes. » Francius volebat, *nulli quam illi;* nisi *nullos.*

3. *Binis jam tabulis exheredati.* Nam priore testamento, amicum unum, posteriore, alterum instituerat. Atqui præteritio suorum, quasi quædam exhæredatio est : nota vero non exigua. Ærod. — *Ad quas vobis judicandum est.* Ita Decl. CCCXIII : « Ad certa jura « considere. » Et CCCXLV : « Ad « hoc jus, ad hanc legem conse- « distis. » — *Testati sunt. Testantis sint*, Latinius. *Intestati sint.* Schultingius.

Digitized by Google

a me signum[1]: an omni jure conscriptæ vel tabulis soletis damnare? non id agunt, utrum non fecerit testamentum; sed intestatum volunt videri eum, quia non semel fecerit. Scripsit, inquit, et alteras tabulas; appareret, quam noluerit intestatus mori: neque ego negaverim, non uno genere fieri intestatos: aut enim is est intestatus, qui non scripsit omnino testamentum; aut qui id scripsit, quod valere non possit: vos eligite, quem velitis esse intestatum: si eum, qui non scripsit; non est hic, cujus de bonis agitur; bis enim scripsit: si eum videri vultis intestatum, qui vitiosum scripserit testamentum; hoc confiteamini necesse est, vitiosum testamentum esse pro non scripto[2]. Hoc igitur supremum, quæro sitne testamentum? si confitemini esse testamentum, non potest videri intestatus decessisse: si non est testamentum (sic non est, quia non jure factum est) nihil obstare priori potest. Venio nunc ad meam legem: TESTAMENTA ULTIMA RATA SINT. Habet sine dubio, si verba tantum ipsa intueri velimus, hoc jus occasionem brevem[3] calumniæ: quid si enim unum aliquis scripse-

1. *Intelligitis a me signum*: *Intelligitis autem signatum ac omni j. conscriptum: vultis tabulas solennes damnare.* Sæpius in his Declamationibus *vel* pro *volunt*. Vide Decl. CCCLXX. SCHULT. *Intelligitis anne signum? an omni jure conscriptæ? vel tabulis voletis damnare*, Obr. *Conscriptas vos tabulis*, corrigebat Francius. *Interrogo legitimane signa? an civili jure conscriptæ, unde tabulas soletis damnare*, Ærod. marg. — *Scripsit, inquit. Inquiunt*, Francius et Obr. male. Vid. ad Phædr. prol. lib. III.

2. *Esse pro non scripto.* Si posterius testamentum pro non scripto habebitur (ut certe quidem) prius manebit firmum. Ergo excludentur propinqui, quibus succedendi locus non est ex lege XII tabularum, quamdiu ex testamento defertur hereditas. ÆROD.—*Sic non est, quia.* Conjeceram: *ut non est, quia non jure factum est.* Nunc video et Ærodium dedisse: *sicut non est.* GRON. *Sicut non est*, Obr. Sed Schultingius commode hæc abesse posse judicat.

3. *Brevem.* An *levem*. SCHULT. — *Potest videri novitium.* Sic Pithœus; nam Ærodius: *potest videri hoc ultimum.* Thaddæus *potest vi-*

Digitized by Google

rit testamentum? potest videri novitium, quod magis jure primum dixerimus. Sed quemadmodum inter plurima testamenta, ultimum valere oportet: ita hæc manifesta legis voluntas est, ut id testamentum valeat, post quod nullum testamentum est. Neque est incredibile, sine dubio, etiam ante hoc testamentum, quo ego heres factus sum, scripsisse illum alia testamenta, hominem frequenter[1] hoc facientem: ita et ultimum videri potest, si post alia scriptum est: et si primum scriptum est, quia nullum tamen est, quod vincat et potentius sit postea, pro ultimo habendum est: sublatum dicunt prius testamentum posteriore testamento: neque ego inficior, si jure factum sit testamentum, hoc est, si testamentum est, potentissimam esse defuncti proximam quamque voluntatem: sed nego ullum postea factum testamentum: quid est enim testamentum? ut opinor, voluntas defuncti consignata jure legibusque civitatis. Non dixerim ego testamentum, cui numerus signatorum deest: non dixerim testamentum, cui libripens et emptor familiæ, et cætera juri necessaria[2]: tabulæ erunt; fortasse et scriptum erit. Et hoc, ut paullo ante dicebam, vestra quoque manifestum confessione est, non esse velut testamentum: facto enim illo dicitur

deri non vitium. Scribe per interrogationem: *potest videri novissimum, quod magis jure primum dixerimus?* Gron. *Non potest videri novissimum*. Schult.

1. *Frequenter*. Ita dicit Sueton. Cæs. LXXXII: « Pompeius here« dem a Cæsare scribi solitum. »

2. *Et cætera juri necessaria. Jure*, opinor. Gron. Ut quinque liberi cives romani, testium signa, filiorum institutio vel exheredatio, etc. Hæc si desint, inquit, tabulæ quædam esse poterunt, aut privata alia quidem scriptura: sed non testamentum, quia non conscriptum jure legibusque civitatis: non voluntatis suæ justa sententia, ut Modestinus ait lib. II Pandectarum. Ærod. — *Non esse velut. Non esse verum testamentum*, Obr. Et alii, *est. Non esse vultis testamentum*. Schult. — *Unum hoc testamentum. Hoc* non habet Ærod.

Digitized by Google

propinquum vestrum intestatum fuisse. Hoc propius colligamus: putemus enim factum esse unum hoc testamentum, quod damnastis: num dubium erit, quin ad vos bona pertinuerint, tamquam intestati, id est, quin ita heredes futuri fueritis, tamquam ille omnino testamentum non fecisset? quod si hoc pro non facto est, nec testamentum quidem videri potest. Fingamus fuisse ultimum testamentum: quando quærimus? puto, quum res in lite est, quum in disputatione: nec pertinet ad nos quod fuerit ultimum, sed quod sit. Si jus utrique testamento constaret, fuisset illud ultimum, quod postea factum est: illo vero sublato incipit ultimum esse, quod relictum est, ut in contentione cursus[1], qui proximus ab ultimo fuerit, si desistat ultimus, in nomen illius locumque succedit: ergo ut non fuerit ultimum meum aliquando testamentum, nunc ultimum est; et vos id testamentum fecistis, damnando id, quod postea factum erat.

SERMO.

Hoc ad verba legis, illud ad voluntatem.

DECLAMATIO.

Quid putamus sequutam esse legem, quæ valere voluit ultimum testamentum? Plura valere non poterant: et in tam mutabili natura humanorum animorum, diversis heredibus, media lis relinquebatur: optimum videbatur esse, ut proxima quæque voluntas duraret: hac vero sublata, necesse est[2] eam durare, quæ sola est.

1. *Ut intentione cursus.* Scribe: *ut in contentione cursus.* Gron. Ita et Schultingius et Obr. et recte. Ut « cursu contendere, » Justin. XXXVII, 4, 1, et alii. — *Ut non fuerit.* Francius etiam legebat, *ut non fuit; et sic nunc*, etc., *est. Ut* omisit Ærod.

2. *Necesse est eam.* Hæc merito restituit ed. Bipont. pro *necesse esse*

Digitized by Google

Fecit amicus meus eo tempore, quo me instituebat heredem, legitimum testamentum : nam et constabat ei tum judicium : quo minus erubesco ista mutatione heredis. In his tabulis alius legitur, quæ jus non habuerunt, quæ non lege conscriptæ sunt, quæ fortasse etiam propter hoc damnatæ sunt, quod indignus heres videbatur. In comparatione summa [1] non recusabo, quo minus vel propinquos istos amicitiæ conferatis : per se mihi vel sanctius nomen amici videtur : hoc enim proficiscitur ab animo : hoc proficiscitur a proposito : istud dat casus, conditio nascendi, et quæ non sponte nostra eliguntur. Me heredem esse, amicus meus, quod satis est, aliquando voluit, vos nunquam eo tempore [2], quo judicabat, neque eo tempore, quo errabat.

SERMO.

Illa jam communia pro omnibus testamentis.

DECLAMATIO.

Non tantum ad heredem ista lis pertinet. Aliquem fortasse amicorum honoravit, aliquem fortasse servulorum manumisit. Vos pœnam quamdam [3] propinquo vestro constituitis, ut intestatus decesserit, et bona tamquam relicta, tamquam deserta invadatis.

eam, quæ nempe in Hack. et Burm. constructa cum *optimum videbatur*, sensum hunc absurdum efficiebant *optimum videbatur, necesse esse*, etc.

1. *Comparatione summa. Summum*, id est, tandem ut et alibi. Schult.

2. *Vos nunquam eo tempore*. Lege : *vos neque eo tempore, quo judicabat; neque eo, quo errabat*. Ærodius : *vos nunquam neque;* sed media vox supervacanea. Gronov. Schultingius cum Ærodio faciebat.

3. *Pœnam quamdam*. Rupto, injusto, vel irrito facto testamento, et libertates cum legatis amittuntur. Ergo in pœnam quodammodo servorum, testamentum ad intestati causam recidit. Quid, si ita legamus : *vos p. q. tamquam servo c.*

Digitized by Google

CCCIX.

Raptor convictus[1].

Educta ad magistratum adolescentis, a quo esse vitiata dicebatur, nuptias optavit. Ille negavit se rapuisse: judicio contendit: victus est: non recusat ducere. Illa optare vult.

SERMO.

Actio debebit adolescentis esse summissa: nam etiamsi nullo themate ad id alligatur, ut necesse sit eum raptorem videri; rei tamen judicatæ facere controversiam non potest: et videtur mihi hunc modum custodire debere, ut de raptu nihil neget; nihil tamen[2] sciat.

DECLAMATIO.

Non aliud, judices, causæ meæ aptius, aut verecundiæ necessarium magis est, quam ut puellæ mitissimæ clementissimæque gratias agam: lege permittente omnem in me potestatem, optare nuptias etiam festinavit, nondum me rogante, nondum (indicare enim[3] simpli-

1. *Raptor convictus.* Ejusdem argumenti Declamatio est apud Senecam, lib. VII, Declamat. ult. et lib. III, Controv. 23. Atque hinc facile, ut ex multis aliis locis, perspicere licet, quam in tractandis his quæstionibus, et colorata oratione vestiendis, hos omnes Quintilianus antecelluerit, quorum varios sermones collegit Seneca, libris illis Controversiarum. Ærod. Vide Cl Schult. ad Senec. Contr. XXIII, p. 258. — *Optare vult. Optare non vult*, aut *mortem* inferendum. Schult. *Illa iterum optare vult*, Ærod.

2. *Nihil neget, nihil tamen sciat.* In hoc certe rectius et magis accommodate, quam et Latro, et Varius Geminus, qui uti vel negandum, vel confitendum omnino esset, ita pro eo dixerunt qui rapuit. Color igitur Quintiliani aptior. Ær.

3. *Judicare enim suppliciter.*

Digitized by Google

citer necesse est) saltem confitente, ita facile, ita celeriter, ut vix mihi verisimile videretur, illam injuriam accepisse. Proxima, ab hac gratiarum actione, debet esse confessio: peccasse me, quod dubitaverim, fateor: quid enim mihi contingere optabilius potuerat, etiam si non rapuissem? Sed hujus qualiscunque culpæ meæ spes omnis in animo istius est, quæ ignoscere solet: quantumlibet contradicendo peccaverim, minus est hoc tamen, quam quod rapui: intelligo autem, judices, hanc primam mihi in hac causa habendam esse rationem, ne me, quod negavi, fecisse callide ac maligne existimetis [1]. Scitis quam multa faciat error, quam multa

Alias, *judicare enim se supplicantem necesse est*, hoc est, condemnare se, et raptorem fateri, ut sint hæc verba Quintiliani conversa ad discipulos. Ærod. Ærodius edidit: *nondum me* (*judicare enim*: etc. *est*) *saltem*, etc. et præterquam, quod id notis ad marginem ait, alios legere, ut appareat legendum ex sequentibus: *advocare enim amicos suppliciter*. At tu habe: *nondum* (*indicare enim simpliciter necesse est*) *rogante*. Decl. CCCXV: « Ego si melior essem pater, illud « quoque simpliciter confiterer. » Gronov.

1. *Fecisse callide ac maligne existimetis*. Hanc divisionem secutus est Passienus apud Senecam. Ærod. — *Quam multa faciat error*. Non habet hæc Ærod. — *Quam multa permisceat fortuna*. Hic non tantum corrupta, sed et turbatus ordo verborum videtur. Tentabam: *Quum multa permisceat fortuna, quum præsertim accessit et obscuritas noctis et paullum liberioris meri. Ignorantia hæc me et frugalitas innocens fefellerunt: ita vixeram semper, ita custodire probitatis meæ cupieram famam, ut me peccasse mirarer. Non est dubitare jam fas, quis enim alius vitiator est? Non confiteor*, etc. Gron. *Quum præs. ad hæc accessit, et obs. n. et aliquid paullo liberioris meri*, Ærod. *Quum præsertim accedit et o. n. e. p. liberior mens mero*. Schult. *Quum præsertim adhæret obscuritas noctis, et p. liberioris meri* (*quis enim aliter vitiator est*) *ignorantia. Hæc*, Obr. sed quid est *ignorantia meri*, an quod adsuetus non erat, nec ejus vires noverat. Vix puto hoc recte dici. *Vitiator est. Ignorantiam hæc meam vitamque frugi et innocentem* (*non est dubitare*) *jam bis fefellerunt*, Ærod. *Quum pr. ad hæc e. o. n. e. p. l. meri potus accesserit*, Latinius. Ego legerem: *Paullo uberioris meri* (*quis e. a. v. est*) *irrigatio: Hæc*. Ita *liberior*, et *uberior* confuderunt librarii apud Ovid. Art. III, 382; et Met. I, 42. *Irrigatio*, ut apud Phædr. IV, 14, 9: « Irrigatus multo venas nectare. » Ex-

Digitized by Google

permisceat fortuna, quum præsertim accesserit et obscuritas noctis, et paullum liberioris meri: quis enim aliter vitiator est? ignorantia hæc me, et frugi et innocentem (non est dubitare jam fas) fefellerunt: ita vixeram semper, ita custodire probitatis meæ cupieram famam, ut me peccasse mirarer. Itaque confiteor, actum de me erat, si in aliam incidissem: nam, ut dixi, neque ad genua procubueram, neque propinquos, aut amicos advocaveram: sed movit puellam ipsum, ut credo, ignorantiæ meæ periculum; persuaserat sibi, nihil me fecisse temerariæ libidinis causa. Nec me malo hoc animo negasse, ex hoc apparere vobis potest: negavi, postquam ista nuptias optavit. Gratias ago et judicibus: emendaverunt contumaciæ meæ detrimentum: amiseram puellæ optimæ conditionem, si vicissem: ergo quod superest, gratulemur. Jus esse raptæ optandi adversus raptorem, hoc jam non negamus: sed illud quoque æque conveniat necesse est, bis adversus eumdem raptorem optandi non esse jus: et si hoc in confesso fuerit, illud quoque teneamus, optasse jam puellam.

SERMO.

Hæc sunt, quæ inter utramque partem necessario conveniunt.

DECLAMATIO.

Negat optionis expletum esse jus [1], quod ante opta-

primere autem voluit illa Terent. Adel. III, 5, 24: « Persuasit nox, « amor, vinum; » et Ovid. Amor. I, « 6, 59: Nox et amor, vinumque « nihil moderabile suadent. » Burm.

1. *Negat optionis expletum esse jus.* Hoc est quod Fuscus dicebat apud Senecam, optionem eam esse, quæ legitime facta sit: hanc nec legitime, nec jure factam: quia legem optandi habere non potest, quin prius confitentem raptorem habeat: at hic pernegabat. Ergo repetendam optionem, quasi prior

Digitized by Google

verit, quam certum esset rapuisse eum, contra quem optabat: ego autem in lege nullam animadverto differentiam: et hoc unum exceptum, ut rapta raptoris mortem optet: viderimus, an in controversiam res adducta sit postea; interim certum est hunc fuisse raptorem. Ergo quum et tu rapta esses, et hic raptor esset, et lex raptæ optare permitteret, et tu optaveris, non video, quare non finitum jus sit. At postea tu negasti, te esse raptorem: ideo victus sum. Feci, si vis, improbe (differo[1] enim istius rei defensionem), feci temere: quid tamen aliud quæri potuit in illo judicio, quam hoc, quam tu merito optasses? probasti raptorem fuisse me, hoc est, probasti te recte optasse. Volui rescindere optionem tuam: non contigit.

SERMO.

Hæc circa jus, illa circa æquitatem.

DECLAMATIO.

Bis optare vis, quod etiam semel multum[2] est: po-

non suo die facta sit. l. optione. ff. de optio. lega. et uti jusjurandum, quod minus solenniter factum est, repeti debet. l. qui per salutem ff. de jurejuran. Ærod. — *Et hoc unum. Sed hoc unum*, Ærod. — *Viderimus an in controversiam res adducta sit.* Nam quum raptor negaret, videtur id modo in judicium deductum esse, an hic raptor, hæc rapta sit: et an hinc nata esset optandi occasio: non autem, an hæc aut illa res ex lege optata et electa sit. Ærod.

1. *Differo. Desero* malebat Francius. — *Quam tu merito. Quod tu m.* Francius. *Quam hoc? Quando me maritum optasses: probasti*, Ærod. — Hæc Declamationis altera pars tractatur dialogi forma, velut cuilibet minime attendenti facile patet; ut non idem argumentum modo explanaverit; sed eodem dicendi genere ac in Senecæ Controv. IV, 4, usus sit declamator. Ed.

2. *Quod etiam semel multum est.* Senec. Decl. VIII, ult. « Proponite « supplicii faciem: hoc semel licere « nimium est. Nihil tam civile, tam « utile est, quam brevem potestatem « esse, quæ magna est. » Ærod. — *Ultra regnum.* Ita Decl. seq.: « Ne

Digitized by Google

testatem tibi vitæ ac necis lex dedit. Ultra regnum omne, ultra tyrannidem omnem est, hoc diu licere. Fulmina ipsa velociter cadunt: habet finem aliquem exspectationis securis illa carnificis. Si mortem optasses, et nuptias optare velles, videreris etiam facere contra legem: et esset, qui diceret; ante deliberasses, ante dispexisses; emissa vox est, potestatem tuam ipsa [1] finisti: nunc vero quum optaveris nuptias, mortem optare vis: quæ ista ad crudelitatem pœnitentia est? Intellexit et ipsa, quam sævum, quam crudele sit: plus enim postea mali feci? ignovisti, quod rapueram: ignovisti, quod abstuleram virginitatem: hæc nuptiis æstimasti: morte æstimas verecundiam. Neque ego, quum me rapuisse negarem, nuptias tuas recusabam: volebam ducere, non tamquam raptor: quum me hoc modo putarem fore cariorem, si tibi injuriam non fecissem, vel fallere animum tuum volui, ne irascereris. Sed et ipsi judices hoc pronunciaverunt, hoc spectaverunt: quæstionem enim fuisse putas, an ego rapuissem, quum ego dicerem: non rapui, non hi mores sunt mei, honeste semper vixi, frugaliter vixi: quæ probatio hujus criminis mei? quis testis [2]? Dicebantur illa contra: periclitaris,

« damnatione quidem compesci ul-
« tra omnia videbatur. »

1. *Potestatem tuam ipsa finisti.* Seneca ex Publio Asprenate: « Op-
« tio, inquit, semel puellæ datur,
« immutabilis est: semel emissa est.
« Judex quam tulit de reo tabellam
« revocare non potest. » Huc pertinet. l. apud Aufidium. st. de optio. lega. l. servi electione. ff. de lega. lib. 1, l. si quis, ff. de verbo obligat. Ærod. — *Quæ ista ad crudelitatem pœnitentia est?* Seneca ex Albutio: « Qui potest condemnare,
« possit semel: qui potest occidere,
« possit semel: aut si qua iteratio
« recipi potest, in pœnitentiam
« mortis recipienda est. » Ærod. — *Hæc nuptiis. Hanc nuptiis*, Ærod. Schult. — *Ducere, non tamquam raptor.* Hispanus Cornelius, « Non
« subducere, inquit, maritum vo-
« lui, sed honestiorem dare. » Ær.

2. *Quis testis? Quis testis dicebatur? Illa, contra*, Erod. — *Et male tecum. Nec male t. a.* Schult. — *Nuptiæ sunt de quibus litigas.* Hoc est, non te raptorem esse abne-

Digitized by Google

et male tecum agitur; nuptiæ sunt, de quibus litigas. Fecerunt judices, quod parentes nostri fecissent: id pronunciaverunt, in quo victus gratias ageret. Sed spe suspendit[1], et vult videri nunc quoque factura, quod fecit: si beneficium vitæ repetere vis, dedisti: non possum plus debere, si repetis. Quam autem causam habes renovandæ optionis, si optatura nuptias es? si vindicari vis a me metu, timui: si rogari vis, rogo: et rogo per illam clementiam tuam: rogo jam tamquam maritus: et intelligo, tota mihi vita hoc agendum, ut satisfaciam.

CCCX.

Fortis bis adulterii damnatus.

BIS ADULTERII NOTATUS IGNOMINIOSUS SIT. Notatus adulterii, fortiter fecit, petit præmii nomine, ut iterum accusaretur. Impetravit: accusatus est iterum, et damnatus. Dicitur ignominiosus. C. D.

DECLAMATIO.

Quanta gratia[2] prematur in foro, quam impudenti calumnia inimicorum suorum vexetur, et hoc ipsum judicium argumento est: videlicet, contemnunt hominem militarem, nihil minus quam litibus idoneum:

gas, sed nuptiæ displicent. ÆROD.

1. *Sed spe suspendit.* Potest intelligi, *me*. Sed malo, *spem suspendit*, et intelligere *meam*. GRON. — *Vis a me metu. Vis a me, mortem timui*, Ærod. — *Rogo jam tamquam. Rogo jam, inquit, tamquam m.* Schulting. ad Senec. p. 259.

2. *Quanta gratia. Quantum*, Latinius. — *Quanta quis gratia*, Francius; male: nam hæc ad fortem spectant. ED. — *Formulæ inimicitiæ.* Sic Demosthenes, δίκη φθόνος καὶ γραφὴ καὶ ἐκ συκοφαντίας κατηγορία. ÆROD. *Quin formulæ.* an, *formulæ et inimicitiæ?* an, *formulæ inimicorum?*

Digitized by Google

sed formulæ inimicitiæ tum valere possunt, quum de aliquo facto mentiri licet, quum testes subornare. Cæterum in his, quæ ad intellectum judicum[1] pertinent, gratia sine vitio cognoscentium nihil est: nemo igitur nostrum negat, ita in lege scriptum esse: Qui bis adulterii damnatus est, ignominiosus sit: ne id quidem negabitur, bis in judicium hunc descendisse, bis contra hunc latam esse sententiam. Sed si manifestum fuerit, legem non ideo esse conscriptam, ut hoc genus damnationis ignominiam faciat; si ne in cogitationem quidem cujusquam cadere omnino potuit, aliquem ex eadem causa bis potuisse damnari, profecto manifestum est, non in aliud scriptas esse leges, in aliud valere. Quæro igitur ex ipsis adversariis, cur bis damnatum adulterii, ignominiosum esse voluerint? ut opinor, judices, quoniam una damnatio habebat aliam et suam pœnam: geminatio criminis afferebat ignominiam, neque immerito: semel enim errare sane tolerabile sit; in eadem vero incidere, ne damnatione quidem compesci, ultra omnia videbatur[2]. Nihil enim verba faciunt: sed volui-

1. *Ad intellectum judicium.* A Pithœo vox *judicium* addita est: Thaddæus et Ærodius ignorant. Num voluit, *judicum?* Gron. Sic supra *judicium* pro *judicum.* Sch. *Judicum*, Latin. Vide ad Institut. lib. XI, 1. Omisit *judicum* Ærod.

2. *Compesci ultra omnia videbatur.* Sic et Thaddæus. Ærodius: *compesci ultra posse crimina videbantur.* Asyndeton et neglecta distinctio impedierunt doctissimum virum. *In eadem vero incidere* (hic intellige, quasi interpositum esset τὸ *et*) *ne damnatione quidem compesci* (intellige, hoc vero), *ultra omnia videbatur.* Hæc extrema linea putabatur insaniæ. Gron. — *Nihil enim verba faciunt, sed.* Pro *enim* in Thaddæo et Ærodio video *ergo*: idque magis convenit, modo et restituas: *Nihil ergo verba faciunt, si voluntas legis diversa atque contraria est.* Gron. *Nihil ergo v. f. sed voluntas legis, si diversa a. c. e.* Obr. Francius cum Gronovio faciebat. Schult. volebat, *autem*, vel, *vero verba f. si voluntas.* Alii, *si quidem voluntas.* — *Voluntas legis diversa atque contraria est.* Non enim hic fortis bis accusatus est, quod bis deliquerit: sed quia loco præmii postulavit, prius illud judicium repeti ac recognosci, ut an

Digitized by Google

tas legis diversa atque contraria est : est autem diversa, ut apparet. Atque ego, si descendere ad hoc genus actionum vellem, ad quod me pars diversa deducit, possem contendere, vim duorum judiciorum in his non esse : quare? quoniam lex viri fortis intervenit : et præmium eam vim habuit, ut judicium prius [1] tolleretur: itaque etiamsi prius damnatus, et propter hoc bis, ignominia notatus, fortiter fecisset, et præmii nomine restitutionem quæsisset, nihil, ne duo quidem vera crimina valuissent : ergo eo tempore, quo optavit, ut accusaretur iterum, hoc optavit, ut esset pro damnato? Si ergo prius [2] judicium hoc illi præstitit, et merito præstitit, in summa quidem secundo judicio quæsitum est, an hic adulter esset, quare accusatus esset? quoniam tamquam de innocente, et de dubio arbitrabatur, ac si prius judicium non esset; altero damnari nihil attinuit : erat enim damnatus. Vel elige quod voles accusator : utique alterum ex duobus : nam si valuit, illud fuisse sententiam [3] : alterum est pro sententia.

jure vel injuria damnatus sit, altero judicio appareret. Igitur hæc duo judicia, unius loco esse ; ideoque non legis verba, sed mentem amplecti oportere. Ærod.

1. *Tolleretur. Tolleret*, Ærod. inutili ad sensum mutatione. — *Si prius damnatus, et propter hoc bis ignominia.* Alii apud Ærodium *præter.* Sed transponendæ voces : *Itaque etiamsi prius bis damnatus, et propter hoc ignominia notatus, fortiter fecisset.* Gron. *Et præter hoc.* Schult. — *Optavit, ut esset pro damnato.* Conjeceram : *pro non damnato.* In eamdem sententiam Ærodio placuisse video : *ne esset pro damnato.* Gron. Sed si per interrogationem legatur, ut Obrechtus edidit, eodem redit.

2. *Prius. Ad prius.* Schult. — *Hoc illi præstitit, et merito præstitit : in summa quidem.* Ærodius : *illi vel merito præstitit in summaque idem.* Scribendum censeo : *Si ergo prius judicium hoc illius meritum rescidit, et in summa idem secundo judicio quæsitum est.* Gron. — *Prius judicium non esset.* Id est nullum esset. Ut mox, « Non est « ignominia. » Schult. — *Tamquam de innocente et de dubio arbitrabatur.* Forte, *ambigebatur.* Gron.

3. *Si valuit illud fuisse sententiam.* Hoc vult, arbitror : Si prius judicium æque latum sit, et pro

Digitized by Google

Prius utique illud sic colligite, non est impunitus is, qui semel adulterii damnatus habet suam pœnam: ponamus hanc esse pecuniam: num igitur exigis alteram, quæ priore judicio aut debita, aut persoluta erat? atqui, si, tamquam singula judicia [1] publica, pœnas suas non habent, non possunt pro duobus numerari. Supererat fortasse, ut causam quoque adhuc viri fortis agere tentarem: sane dissimulemus partem [2]. Quæratur sæpius

justa sententia haberi debeat: posterius non aliud quoddam judicium est a priore separatum, sed idem cum eo, quod confirmat: ut causam eamdem, quia apud inferiorem, mox appellatione interposita, quia apud superiorem judicem mota est, certe nemo dixerit variam et multiplicem esse. Sin prius judicium non fuit, unicum erit ergo judicium hoc alterum, non duplex. Quare hic vir fortis nullo modo ignominiosus esse potuit. Ærod. *Nam si valuit illud, fuit sententia: si alterum, perit prior sententia.* Aut, *nulla est prior sententia;* aut, *non est prior s.* ut paullo ante, « non esset prius judicium. » Sch. *Nam si voluerit, illud fuisse sententiam, alterum non est pro sententia*, Obrecht. — *Alteram, quæ. Alteram quam quæ.* Ærod.

1. *Atqui si tamquam singula judicia.* Utut sint hæc omnia corruptissima et obscura, sensus est: Hæc duo utcunque sint judicia, tamen unius loco sunt: et eo apparet, quod singula alia quæque judicia publica, suam pœnam habent. Hic duo judicia esse oportet, bisque aliquem damnatum esse, antequam ignominiam subeat: unius ergo judicii vim habent. Quod facilius, inquit, colligi poterit, si adulterum pecunia, non infamia multari posuerimus. Sic etiam hic locus restitui potest, *Atqui si, tamquam singula judicia publica pœnas suas habent, hæc duo non habent, non possunt*, etc. *Pœnas suas.* Obr. *pœnas duas.* Ærod.

2. *Sane dissimulemus partem.* Sic fortasse emendari potest hic locus, *Sane dissimulemus hanc partem. Quæritur an sæpius est damnari, esse damnatum iterum: nam alio quoque argumento moveri non possunt.* Vel, *hanc partem qua quæritur, an sæpius sit damnatus, qui est damnatus iterum*, Ærod. *Nisi dissimularemus h. p. quæreretur sæpius esse damnatum; durant alia quoque, quæ movere vos (vel nunc) possent.* Vel lege, *sane ne dissimulemus, partim queritur se esse damnatum.* Post hæc omissum membrum: sive legendum, *non parum queritur s. s. e. d.* et dein, *erant alia quoque quæ movere nunc* (aut *vos*) *possunt:* potest et ita legi, ut omnia connectantur: *erant illa quoque*, etc. nempe illa, quæ sequuntur: sic nihil posset videri omissum. Schult. *Partem, quare sæpius esset damnatus: erant alioqui, quæ movere nos possent*, Obr. — *Quæratur sæpius esse damnatus.* Sic et Thaddæus. Ærodius, *Quæritur.* Le-

Digitized by Google

esse damnatus: erant alioqui, quæ movere non possent. Damnatus est adulterii; sed postea fortiter pugnando ostenderat, non eos esse mores suos, non suam vitam, ut in illo credibilia hæc crimina forent: sed quum optare illi liceret restitutionem, illud optare maluit, ut accusaretur, ut de vero quæri posset: hoc non sine bona conscientia fecit. Cur ergo damnatus est iterum? quia damnatus erat, non putaverunt illi, qui cognoscebant priorum judicum rescindendam esse sententiam: ita homo, qui post præmium accusabatur, sic auditus est, tamquam nondum fortiter fecisset. Vos ergo, qui duobus judiciis esse dicitis damnatum, explicate, quid aliud objectum sit altero[1], quæ differentia duorum judiciorum fuerit: eadem adultera dicebatur, iidem testes producebantur, iisdem argumentis premebatur. Hac scilicet improbitate, qua unius causæ vultis duo esse judicia, potestis et illo modo æstimare judicium, quam inique ipsa pœna petatur a viro forte. Statuamus duos esse, adulterum[2], qui bis adulterium commiserit: adulterum, qui bis damnatus sit. De illo ea

ge: *Quare igitur sæpius est damnatus?* Gronov.

1 *Quid aliud objectum sit altero.* Sic et Thaddæus. Ærodius, *adultero.* Male. *Altero*, intelligo judicio. Gronov. — *Hac sciet improbitate.* Ærodius, *improbitas est*, et claudit periodum post τὸ *judicia.* Lege, *Ex hac scilicet improbitate, qua unius causæ volunt duo esse judicia, potestis, et illud modo æstimare, judices, quam inique ipsa pœna petatur a viro forti.* Gron. *Hæc scilicet improbitas est, quod u. c. d. esse vultis judicia. Potestis et illo modo æ. judices: nisi judicium* collective positum accipimus. Schult. — *Causæ* pro *causa* prætulimus ex editt. Hack. et Bip. adversus Burm.: ut supra *judicum* pro *judicium* ex Bipont. Ed.

2. *Adulterum. Duos esse adulteros, unum qui b. a. c. alterum q.* Ærod. *Hunc a. q. bis*, Sch. — *Sententiæ judicum. Eo sententiæ j. repugnasti; persuadere t. i. n. p. e. te nocentem.* Ut paullo ante: « Non « sine bona conscientia fecit. » Sch. *Innocentem*, edition. al. quas sequitur Bip. ed. meliori sensu. Sic intelligerem, de illo qui bis adulterium commiserit. Quid tu objicis

Digitized by Google

dico, duo cubicula irruisti, duobus maritis injuriam fecisti, duas familias incerta stirpe confudisti: huic tu quid objicis? indignatus es, quod damnatus esses: sententiæ judicum repugnasti: persuadere tibi ipse non potuisti esse te innocentem. Egregiam, Hercules, gratiam viris fortissimis reddimus: hic si magistratus esse voluisset, honores gessisset: si sacerdos esse, templis præfuisset: hoc egit præmio suo, ut ignominiosus esset: detrahe illi, quod fortiter fecit; detrahe quod optavit; non est ignominia: nondum atrocitas erat: qualecunque crimen, donari meritis, donari virtuti potest.

CCCXI.

Addictus manumissus.

ADDICTUS, DONEC PECUNIAM SOLVERIT, SERVIAT. Qui habebat domi addictum, testamento omnes servos manumisit: petit addictus, ut liber sit.

DECLAMATIO.

Intelligimus nihil nobis in hac causa verecundum magis, quam communem quemdam omnium, qui in libertatem asserunt, favorem: contra quem non id modo a nobis intelligimus esse dicendum, ut præcipue

tuæ damnationi: indignatus es, quod damnatus esses, injuste quidem: sententiæ judicum repugnasti, injuste etiam; nam tibi non persuadere potuisti te, esse innocentem. Cæterum multa in his obscura et depravata vix medelam capiunt. ED. — *Gratiam reddimus.* Francius legebat *redditis.* — *Nondum atrocitas erat. Non damnationis atrocitas erit.* Hæc sublata per optionem. AN, *nondum atrocitas hæc erit.* SCH. *Non tanta atrocitas rei erat,* Ærod. *Nondum atrocitas res erat,* marg.

Digitized by Google

jus tueamur: sed illud etiam, non minus pro eo esse, contra quem videmur agere, si tamen explicet [1]fidem, quod nos contendimus. Id enim hodie quæritur, an servus sit: de liberalitate ejus, qui nos heredes instituit, nihil querimur. Servos manumisit: nunc cui controversia movetur? num inviti eos, tristesque in numero civitatis adspicimus? Alia nobis ratio cum debitoribus, alia cum ingenuis: neque nos fugit, velut in contrarium ire litem: nam si quis ex nobis istum servum vocaret, multa habebat profecto, quæ pro se diceret, per quæ ingenuus videretur. Quid enim lex dicit? ADDICTUS DONEC SOLVERIT, SERVIAT: ut opinor, non SERVUS [2]SIT: plurimum autem refert, an servire merito [3]dicamus; et eos qui in piratas inciderint, et eos qui ab hoste sint capti. Id quod ingenuis natura dedit, nulla fortunæ injuria eripi potest: id quamvis nulli non vestrum existimo esse manifestum, quibusdam tamen confessis argumentis ostendere volo. Ante omnia servus hic habet nomen[4], est in censu, aut in tribu: quorum nihil, ut

1. *Si tamen explicet fidem.* Hoc est, si debitum solvit. ÆROD. *Nihil minus p. e. e. c. q. videmur a., nisi tamen explicet fidem, quam quod vos contenditis: explicare fidem*, ut *expedire nomen*, Sueton. Gramm. SCHULT. — *Videamur* habet edit. Bip. cum Hack. adversus Burm. ED. —*Nunc cui controversia. Num cui*, Latin. *Nunc cur*, Schult.

2. *Serviat non servus sit.* Vid. ad Inst. Orat. lib. III, cap. 6, §. 25.

3. *Plurimum autem refert, an servire merito dicamus.* A sensu non alienum est, quod quidam apud Ærod. *Plurimum autem refert, an servire, an servum esse dicamus. Servire merito dicimus.* Sed nimis inculcatur verborum. *Serviat, ut opinor; non servus sit. Plurimum autem refert.* Satis commode hic intelligi puto, utrum istorum duorum dixerit lex. Sequentia deleta particula, ut illi: *Servire merito dicimus et eos.* GRON. *Plurimum a. r. an servire indicamus: an servos esse; ut eos q. i. p. i., ut eos q. a. h. s. capti.* SCHULT. *Plurimum autem refert. Nam servire m. d.* etc. Obr. — *Injuria eripi. Eripi ipsis*, Ærod. *Eripi nec surripi potest*, alii: ita enim Cicero ult. parad. ÆROD.

4. *Ante omnia servus hic habet nomen.* Hæc, et quæ sequuntur, omnino conveniunt cum his, quæ ab eodem Quintiliano tractantur

Digitized by Google

opinor, deprehendi in servo potest. At intervenit ea conditio, ut servire debeat, donec solverit: hoc ipsum servi non est, habere in sua potestate, quando desinat servire. Fingite enim, judices, aut oblatam esse ab illo pecuniam: aut ex hoc testamento pronunciatione vestra liberum fieri, num inter libertinos futurus est? Non, ut opinor. Atqui si illud in confesso est, eum, qui a servitute in libertatem veniat, non esse alio, quam libertini loco: hic solutus hac necessitate, tam ingenuus futurus sit, quam fuit: manifesto ne hodie quidem servus est. Alia quoque complura sunt, quæ intueri licet, si velitis: servus aut domi natus[1] est, aut relictus hereditate, aut emptus. Hunc ex quo genere servorum ponitis? domi natum esse se non dicit, ne emptione quidem, aut hereditate relictum. Pendet igitur omnis hæc conditio ex fœnore: quid sequitur? ut nomen[2] sit.

lib. V, cap. 10, §. 60; et lib. VII, cap. 3, §. 26: « Aliud est, inquit, « servum esse, aliud servire, qualis « esse in addictis quæstio solet. Qui « servus est, si manumittatur, fit « libertinus. Servus invito domino « libertatem non consequetur: ad- « dictus, solvendo citra voluntatem « domini, consequetur. Ad servum « nulla lex pertinet. Propria liberi, « quæ nemo habet, nisi liber, præ- « nomen, nomen, cognomen, tri- « bum: habet hæc addictus. » Igitur aliud est, servum esse, aliud servire aut in servitute esse: ut aliud in libertate esse, aliud liberum esse. Decl. CCCXL infra. Hinc Papinianus l. uxori usufructu. ff. de usu et usufr. lega. Scorpium servum meum Semproniæ concubinæ meæ servire volo: non videtur proprietas servi relicta, sed ususfructus. Æmon. Expunge τὸ *servus*. Non enim concedit servum esse. Florus III, 16: « C. Gracchum hominem « sine tribu, sine nomine. » Gron. — *Aut in tribu*. Francius malebat *est in tribu*. — *Aut intervenit. At intervenit*, Ærod. Latin. Schult. Obr. *Aut*, Bip. et Hack. edd.

1. *Aut domi natus*. Petron. XLVII: « Emptitius, an, inquit, domi natus « es? neutrum, inquit cocus, sed « testamento Pansæ tibi relictus « sum. » Vid. Cicer. de Invent. I, 45. Burm.

2. *Quid sequitur? ut nomen sit. Et quod sequitur, ut nomen non sit.* Vel, *ut nomine sit.* Vel, *et quod sequitur ne nomen sit;* id est debitor. Vel, *quid sequitur?* id est quærit, *sequi* ejus est, quæ assequi non possumus. Si liberetur, nec solvendum ei erit: ita nihil mutandum,

Digitized by Google

Hæc ad ipsa testamenti verba: libet tamen scrutari etiam defuncti voluntatem, qua nihil potentius apud nos, nihil nostro animo sacratius esse debet: credibile est igitur, hoc eum sensisse, ut liberum esse vellet etiam addictum. Servos cur manumiserit, manifestum est: delectatus est officiis, referre voluit gratiam obsequio: alius ægrum curaverat, alius peregrinantem sequutus erat, alius inter tot occupationes domesticas custodierat, alius hoc ipsum fœnus exercuerat: voluit liberos esse, quos amaverat, a quibus amatum esse se crediderat: huic vero quid debuit, nisi iram? durum tamen videtur, et inhumanum, solum hunc esse in vinculis, et in servitute. Ante omnia[1] si quid asperitatis in lege est, quæ addictos servire jussit, donec solverent, num igitur exigitis, ut dicamus aliqua pro lege? non est nostræ mediocritatis, non officii, ea, quæ prudentissimi majores constituerint, tentare defendere. Verumtamen si intueri velitis, quid æquius constitui potest, aut quo alio custodiri patrimonia vestra, fortunæ sustineri possunt? an vero pecuniam aliquis accepturus, per omnia vitia exhauriet, ut non alligetur ad aliquam solvendi necessitatem? Dura vincla alicui videntur, dura conditio servitutis: reddat, quod accepit: istic non servitus constituta est, sed illud, quod justissimum est, reddendæ pecuniæ causa.

nisi ut addatur *non*, *ut nomen non sit*. Schult. —*Quid debuit nisi iram. Quid debuit? misera malorum tamen conditio videtur, et inhum.* Ærod.

1. *Ante omnia. Ante omnia si quid est asperitatis, id* (aut ea) *in lege est.* Schult. *Ante omnia quid asperitatis in lege est,* Ærod. — *Ea quæ prudentissimi.* Francius volebat, *prudentissime*, et mox, *conari defendere.* — *Istic non servitus. Ista non servitutis constituta sunt.* Schult.

Digitized by Google

CCCXII.

Heredes de deposito.

Quidam a commilitone ejusdem ordinis depositum petebat: negavit ille se accepisse. Quum res sine teste esset, occidit eum, a quo petebat, et se. Petitoris heres, petit ab herede alterius commilitonis.

DECLAMATIO.

Si pecunia tantum in causa litis esset, parem videremur litigandi habere rationem: nunc illud [1] quidem nobis extra ordinem accidit, quod litigandum est etiam propter ipsum, ne sine causa perierit. Plurimum autem fallitur, si quis eamdem conditionem putat hujus judicii ac prioris: desiit esse [2] sine teste. Ergo jam priori non erat satis pro se dicere: mihi non mediocre argumentum est: si quis enim testis idoneus fuisset, videretur hujus fiducia calumniatus. Quid in causa est præter veritatem, ut aliquis id petat, quod probari non possit? et inficiandi quidem depositam pecuniam manifesta ratio est, cupiditatis, lucri: petendi etiam non depositam, si quæ probationis spes, eadem causa sit. Quum quidem aliquis dicit, Deposui apud te, scis ipse, quid aliud videtur advocare, quam deos testes? dicite

1. *Nunc illud quidem.* Scribe: *Nunc illud quoque extra ordinem nobis accedit, quod litigandum est etiam propter ipsum.* Vel, *id ipsum.* Gron. *Ne illud*, marg. Erod. — Bip *propter hoc ipsum*, neutro genere: at nos *ipsum* scilicet militem intelligimus. Ed.

2. *Desiit esse. Desiit lis esse sine t.* Erod. — *Ergo jam priori. Ergo quod jam pr.* Schult. — *Cupiditatis lucri. Cupiditas lucri*, Schult.

Digitized by Google

igitur causam, quare petierit, si non deposuerat? Habere pecuniam potuit, manifestum est: et ipse reliquit heredes, et is, qui ejusdem ordinis fuit: multas deponendæ pecuniæ intervenire rationes inter milites manifestum est: longum iter incidit, periculosa expeditio: si deponenda sit, ubi credibilius est deponi, quam apud hominem ejusdem ordinis? nam præter id, quod facilior speratur fides ex pari, est quædam ejusdem ordinis conjunctio: nec apud inferiorem deponi solet, quum ideo deponatur, ut recipiatur: credibile est ergo apud hominem ejusdem ordinis deposuisse. At sine teste: de omnibus depositis loquar: misera hercule conditio mortalitatis, quando omnibus jam, quæ agimus, videtur opus esse teste: ita parum facit veritas, ita nullum nomen est fidei [1]: non satis videri potest probatum, quod duo sciunt: Veniamus tamen, ut dixi, ad probationem. Occidit eum, a quo pecunia negabatur: iterum quæro, qua ratione, qua causa? odium fuit: unde? ego quare occidere debuerit, dico: inficiabatur: tu ut hanc causam occidendi excludas, substituas aliam necesse est. Satis argumenti erat, si occidisset clam, si ex insidiis, si tamquam negaturus. Quæ causa hominem in scelus egit? quid fuit, quod tantam rabiem concitaret, nisi illud, quod sciebat se dedisse? quum dicenti, Apud te pecuniam deposui, respondebatur, Quis testis est? quæ probatio est? quanti animi æstus agebantur? non vobis videbatur [2], quum feriret,

1. *Credibilius est deponi. Cred. deponi potest, quam*, Ærod. — *Nomen est fidei.* Francius malebat *fides;* ut Ovid. « nomen inane fides; » et infr. Decl. CCCXXI, et passim Horatius et alii: sed forte scripserit *nudum nomen fides;* nam *nudus* et *nullus* confundi vidimus ad Decl. VI, 12. Burm. — *Ego quare.* Bip. una habet *ergo.* Ed.

2. *Num vobis videbatur.* Malim, *videatur.* Gron. Francius legebat, *num vobis videtur, q. f. illa dixisse: ita? non deposui.*

Digitized by Google

illa dixisse: Ita non deposui? optime mehercule mihi videtur, ac militari facinore illa exclamasse, I nunc, et nega: i nunc, et alienam pecuniam converte in tuas cupiditates: non uteris tamen [1]. Erat argumentum ergo tantum, quod occidit: quam ultra desideratis probationem? occidit statim moriturus. Frequenter judicia hujusmodi exercentur, ut si res in notitia dicitur esse servulorum, torqueri mancipia videamus: si mos civitatis et conditio militiæ pateretur, se in tormenta obtulisset, illum poposcisset: non tibi videtur præbuisse de animo suo quæstionem?

CCCXIII.

Falso cædis damnatus.

QUI CÆDIS REUM ACCUSAVERIT, NEQUE DAMNAVERIT, IPSE PUNIATUR. DAMNATORUM SUPPLICIA IN DIEM TRICESIMUM [2] DIFFERANTUR. Accusavit quidam et damnavit: in diem tricesimum dilata damnatio est: intervenit is, qui occisus dicebatur: petit reus pœnam accusatoris.

SERMO.

Non erit alienum, advocatum dare huic accusatori: fecit rem, ut parcissime dicam, pœnitentia dignam: et fortius defendetur ab alio, et majore cum verecundia patronus

1. *Non uteris. Non uteris tamen ea*, Ærod. — *Tantum quod occidit. Etiam q. o.* id est, etiamsi alia non accederent. SCHULT. *Tantum est q. o.* Ærod. — *De animo suo.* Marg. Ærod. *de animo tuo.*

2. *In diem tricesimum.* Hæc lex postea ab imperatore Theodosio renovata est. l. si vindicari. C. de pœnis. cap. quum apud Thessalonicam II, quæst. 3. ÆROD. — *Intervenit is. Interim venit is*, Latinius.

Digitized by Google

confitebitur, si quid confitendum est. Et quoties causa plus juris habet, quam pudoris, ad eum transferenda est, qui non erubescit.

DECLAMATIO.

Reum capitis arcessitis in ea civitate, in qua hoc grave et indignum videtur : et reum capitis arcessitis, qui ipsi intolerabilem hanc crudelitatem vocatis. Conveniebat iis [1], qui temeritatem accusationis incusant, nihil nisi certum exploratumque deferre : ergo lege occidi vultis hunc statim, qui reum cædis detulerit. Hactenus agnosco : detulit enim, quem defendo, damnavitque : hoc jam ad nos pertinet : hic enim indemnatus est. Sequitur ergo, ut aliam legem afferamus, aut hanc mutes, aut hoc audeas dicere, jus aliquod tibi esse constitutum. Ad interpretationem nos vocas, et ex hac lege, qua litigas, aliam constituere conaris : non ista res judicum, non horum, qui ad certa jura, et quidem jurati, consederunt [2] : deflecti jura ne pro

1. *Conveniebat iis. Conveniebat eos q.* Ærod. — *Qui reum cædis detulerit. Hactenus agnosco.* Ærodius : *detulerit damnaveritque. Hactenus legem agnosco.* Cui subscribere non possum. Nondum enim additum voluit declamator damnasse, et de lege sufficit intelligi. *Hactenus*, inquit, *agnosco*, scilicet, quod est in lege, quodque de reo dicitur. Hucusque agnoscere cogor. Sed est proximum aliud, quo eadem lege apparet nos non teneri. *Detulit enim, quem defendo, damnavitque : hoc jam ad nos* (id est, hac parte) *non pertinet.* Sic recte Ærodius. Hinc apparet totam eam legem nobis aptari non posse, *Hic enim indemnatus est :* id est, hunc non pronunciatum est injuste detulisse. Vel etiam, *Hic enim damnatus est*, nempe quem detulit. Itaque miror, quid in mentem venerit Ærodio, quum faceret : *Hic enim indemnatus est, quia accusatus non est.* Gron. — *Damnavitque. Damnavit quoque : hic jam ad nos non pertinet.* Schult. *Damnavitque, si intervenerit is qui occisus dicebatur, hoc jam a. n. non p.* Ærod. — *Ut aliam legem afferamus.* Immo *afferas.* — *Non ista.* Interserit *est* Bip.

2. *Ad certa jura consederant.* Sic « judicare ad leges » dixit Declam. CCCVIII, ubi vide. — *Neque enim possum.* Nempe illud est, quod Julianus ait, « Non omnium quæ a majoribus constituta sunt, etc. » De-

Digitized by Google

defensione quidem æquum est: legem vero mutare, ut occidas, et crudeliter interpretari jus, quod a magistratibus scriptum est, cujus animi est? Ego legem habeo adversus eum demum scriptam, qui detulerit, neque damnaverit: non scrutor, quid voluerit legumlator: neque enim possum: sæva inquisitio in præterita est: id sive voluit esse, quod scripsit, sive aliud aliquid cogitavit, hoc scripsit, hoc jure viximus, hoc spectavit: nihil minus ferri oportet in civitate, quam ut lex decipiat. Innocentem accusavi: satis est, quod damnavi: neque enim lex ista scripta est, ut qui innocentem accusaverit, capite puniatur; sed ut puniatur, qui accusaverit, nec damnaverit. Quomodo ergo nihil prodesset accusatori, si non damnasset, postea nocentem esse compertum eum, quem accusavit: ita ei, qui fortunam secundam judicii tulit, non debet nocere, quod postea accidit. Lex talem conditionem judicii facit, in quo cædis accusatur reus, ut utique adversus alium pronuncietur[1]: aut reum damnari oportet, aut accusatorem: tu quid vis? ut uterque damnatus sit: an ut istud verum sit[2], ut damnatus sit reus et accusator: illud

mosth. κατὰ μισ. «Χρὴ ὅταν μὲν τιθῶσθε τοὺς νόμους, ὁποῖοί τινές εἰσι σκοπεῖν.» «Ἐπειδὰν δὲ θῆσθε, φυλάττειν καὶ χρῆσθαι, ὡς θέντων θεῶν,» inquit Plato. Ærod. — *Sæva inquisitio in præterita.* Nihil hic neque sævitiæ neque crudelitatis. Lege: *Sera inquisitio.* Gron. An *sæva inquisitio et res præterita est.* Schult. Ita *sæva* pro *sera*, apud Ovid. Amor. III, 6, 71. — *Hoc jure viximus.* Cur non, *vivimus.* Gron. Forte, *vincimus* vel *vicimus*, Francius.

1. *Ut utique adversus alium pronuncietur.* Ærodius: *Nec utique ut adversus alium pronuncietur, sed aut reum.* Nihil hic mendosum, nisi vox *alium*: pro qua substitui oportet *aliquem*, vel *alterum*. Cæterum his verbis confirmatur, quod supra dixit: « Hic enim indemnatus est. » Gron.

2. *An ut istud verum sit.* Scribe: *At, ut istud verum sit, ut damnatus sit reus et accusator, illud tamen lex voluit.* Nempe, ut alter tantummodo damnaretur. Gron. *At ut istud v. s. ne damnatus s. r. sed ac. i. t. lex noluit.* Hoc sensu; si accusator sit damnatus, deinde non

Digitized by Google

tamen lex voluit. Transeo, quod perniciosum sit interpretari legem, et ad ingenia utriusque converti[1]: id quod scriptum est, ne dubitaretur, dubium fieri, postquam scriptum est. Descendo ad hanc quoque intentionem : non quia necesse est, nec quia ad vestram religionem pertinet, nec quia solvit ista res jusjurandum : sed quia victori obtinentique causam facile est, et debet disputari. Recte fecit legumlator, qui ita scripsit legem, ut non puniretur[2], si condemnasset : quare? noluit accusatorem esse calumniatorem, noluit accusatorem dare aliquid odio: alioqui scimus, multa vera quidem non esse, credibilia tamen esse. Accusator quid debet tibi? ut eum deferat, adversus quem argumenta habeat; adversus quem testes habeat; alioqui nocentem an innocentem qui scit? Ipsi judices hoc non pronunciant : sed se ex animi sui sententia facere profitentur: quis autem miratur, si ea res accusatorem decepit, quæ decipere judices potuit? Accusator quum id effecit, ut reus damnandus videretur, reddidit rationem accusationis : nullus autem tam inimicus legislator[3] fuit, ut

permittunt jura, ut possit damnari reus, ne utraque pars damnetur: multo minus quum reus damnatus sit, poterit deinde damnari et accusator, qui cædem non commisit. — *Ut damnatus.* Delet *ut* Bip.

1. *Ad ingenia utriusque converti.* Ærodius: *ad ingenia cujuscunque converti.* Forsan, *ad ingenia ludibriaque converti.* Gron. — *Id quod. Et id quod*, Ærod. — *Descendo ad hanc quoque intentionem.* Forte, *contentionem.* Etsi nota sit apud rhetores *intentio* accusatoris. Gron. Alii, *interpretationem.* — *Nec quia solvit. Sed quia sublevat ista res jusj.* ut Phædr. III, 10, 40: « Adjuvaret jurisjurandi fidem. » Deinde, *et quia v. o. c. f. e., quum debet disputari.* Schult. — *Facile est et debet disputari.* Scribe: *facile est de lege disputare.* Ærod.

2. *Ut non puniretur. Ut non is p.* Ærod. Al. *ut demum p. qui non dam.* — *Vera quidem. Vera quidem non esse credibilia: tamen esse accusator debet qui tibi vel e. d.* Ærod. — *Accusator quid debet tibi? ut eum.* Ærodius: *Tamen esse accusator debet qui tibi vel eum.* Potius: *Accusator quid debet reipublicæ? verum deferat.* Gron. An, *debet mihi*, an, *debet*, nisi *ut cum. d.* Schult.

3. *Tam inimicus legislator.* Im-

Digitized by Google

errorem accusatoris punire vellet. Oportet esse in civitate et accusatores: alioqui omnia mittuntur ad manus, omnia mittuntur ad ferrum: per se difficilem rationem vindictæ et ultionis facimus, pæne licentiam grassatoribus et latronibus damus, quod nemo accusare sine periculo capitis sui potest. Sed tamen adversus hæc illud remedium est, quod accusator cogitat, quid objecturus sit: si ne hoc quidem prodest, vidisse aliquid in accusatione, motum esse probabilibus argumentis, in totum judicia ista tollemus: hunc autem habuisse, quare accusaret, credite judicibus, qui damnaverunt. Hic inimicus: quid illi, qui cognoverunt? quo vultis motos esse judices, ut damnarent? non enim moti sunt auctoritate ipsius accusatoris, argumentis moti sunt: illis, credimus, testibus moti sunt: hos habebamus[1]. Et mihi videtur ideo constituta esse lex, quæ damnatum post tricesimum diem puniri voluit: quoniam videbat leguinlator posse fieri, ut deciperetur accusator: itaque ejus, qui non damnasset, præsentem pœnam esse voluerunt:

mo, *tam iniquus.* Gronov. Passim hæ voces confusæ. Vide ad Declam. VII, 4; et Gron. ad Liv. XXVIII, 29; et inf. Decl. CCCXVII. Burm. — *Per se difficilem. Per sane difficilem;* et ita Cicero in Epistolis. Schult. — *Vindictæ et ultionis facimus.* Ærodius: *Vindictæ difficiliorem facimus.* Quid si: *Per se difficilem rationem vindictæ et ultionis fecimus.* Gronov.

1. *Hos habebamus. Quos habebamus,* Ærod. Schult. — *Tricesimum diem. Tricesimum demum diem,* Francius. — *Quoniam videbat. Quia modo videbat, etc. accusator, modo ut calumniaretur statim ejus quem damnasset p. p. e. voluerunt, ejus qui non damnasset, nulla dilatio est,* Ærod. — *Lex prius etiam approbari.* Ærodius: *Vult lex prius reum approbari.* Legamus: *Hoc enim vult lex, prius rem approbari ipsi accusatori.* Gron. Quasi dicat, Dum lex punit temerarium accusatorem, etsi demus hunc nostrum illa lege non comprehendi, quia reum suum damnavit, licet revera innocentem, ut post ex facto apparuit, non tamen eum punit, qui probabili ratione venit ad accusandum. Hoc enim in accusatore lex postulat, ut quod ait coram judice, id apud se prius judicet et probet, justa ne causa vel dolore moveatur. Ærod.

Digitized by Google

nulla dilatio est. Quid te movit? quid attulisti ad judicem? hoc enim vult lex prius etiam approbari ipsi accusatori. Ergo etiam voluntas legis pro nobis est, et non tantum scriptum, quod satis erat: nisi ita recedamus ab eo[1], quod propter te nostrum est, ut concessisse videamur. Sed ut transissetis, rursus, id quod dicebat, quum suspectus esset reus, boni erat civis accusare: neque aliter stare leges possunt, neque aliter civitas. Accusavi: quid postea? quoniam homo occisus videbatur: hic tamen perire potuit, et occidi potuit, et hoc indignum est. Primum omnium durum est, unam indici utrique fortunam, et occidi hominem, quia aliquis occidi potuerit: hujus culpæ ita[2] magna pœna est, causam edicitis. Deinde hoc non tantum accusatoris culpa factum est: fortasse ita vixeras: multa petulanter, multa temere, multa cruente commiseras. Turpissimi hominis argumentum est innocentem posse damnari: non enim

1. *Nisi ita recedamus ab eo.* Ærodius: *Nisi a jure recedamus, habeo.* Alii, *Nisi jura rescindamus.* Deinde: *Sed ut transisset lis, rursus id quod dicebam.* Mihi nascebatur: *Nunc ut recedamus ab eo, quod proprie nostrum est, ut concessisse videamur, tamen esset rursus ei, quod diceret. Quum suspectus*, etc. Gronov. *Proprie nostrum:* etiam Schultingius, et, *sed ut transissemus. r. i. q. dicebam. Sed ut transisset is rursus, id quod licebat*, Obr. — *Quoniam homo. Quoniam* non habet Ærod. — *Durum est unam indici utrique fortunam.* Sensus est, Atqui innocens occidi potuit, ni intra tricesimum diem pœna dilata esset, quod certe indignum est. Sed illud indignius et acerbius, utrumque puniri, ac perire simul accusatorem et reum: occidique hominem, non quia aliquis occisus sit, sed quia legibus occidi potuerit, et quamvis, innocens, suspectus tamen, ideo damnatus et convictus. Ærod. *Durum est non unam indici.* Schult.

2. *Hujus culpæ ita. H. c. si ita m. p. e. causam edicite.* Schult. *Si tam magna pœna est, causam cædis dicitis*, Obr. *Hujus culpæ non ita m. p. e. quam in me dicitis*, Ærod. — *Non enim dicit.* Lege, *dicis.* Gronov. — *Ita non erubescis. Ita (non erubescis?) homicida visus es*, Obr. — *Non omnium sententiæ.* Francius clarius putabat fore, si legeretur, *non omnium istæ sententiæ.*

Digitized by Google

dicit corruptum esse judicium, non versatam pecuniam: ita non erubescis? homicida visus es. Tu porro tantum accusatori irasceris? non idem de te judices senserunt? non omnium sententiæ?

CCCXIV.

Ego te, pater, occidi.

Parricidii reus paribus sententiis absolutus, furere cœpit, et dicere per furorem frequenter, EGO TE, PATER, OCCIDI. Magistratus tamquam de confesso supplicium sumpsit: reus est cædis.

SERMO.

Si qua erunt, quæ a me in divisionibus controversiarum dicantur eadem, frequentius intelligite fieri: primum, propter interventum novorum[1]: deinde, propter conditionem divisionum. Nam hi, qui antea non audierunt, pertinentia ad plures controversias debent cognoscere: et ad præsentis materiæ controversias nihil interest, quomodo ego diviserim. Est autem communis cura aliis controversiis hujus materiæ: illud, quod reus magistratus, de cujus personæ dignitate hæc ipsa res satis pronunciat: videtur etiam de anteacta vita probari, eo modo, quo creatus est. Secundum illud æque commune, quod nullas simultates exsecutus est, nullam spem ex cæde ejus, quem occisum accusator quæritur, concipere potuit: et officio impulsus, etiamsi lapsus est, tamen, veluti leges, consilio

1. *Interventum novorum.* Scilicet discipulorum. SCHULT.—*Illud quod reus. Ut illud q. r.* SCHULT. — *Hæc ipsa res. Res* deest, deinde, *At videtur etiam hæc ante acta vita pr. et eo,* Ærod. — *Veluti leges, consilio.* An, *v. legis consilio,* quæ confessos vult punire, ut reos. Vid. ini-

Digitized by Google

deceptus est. Ut hæc communia, ita illud jam proprium, ut si ullum[1] adversus hunc adolescentem habuisset odium magistratus, magis insania ejus vindicabatur. Sic, quum ita præparaverit causam, incipit de jure suo loqui.

DECLAMATIO.

MAGISTRATUS DE CONFESSO SUMAT SUPPLICIUM. Durum ministerium et injucunda honoris hujus necessitas : sed quis potius leges exsequitur[2], et hominum commissa, nisi qui rempublicam administravit? nemo istud faceret libenter, nisi necessitate : ergo non solum licuit mihi occidere confessum, sed etiam, si nollem, necesse fuit. Videamus, an ille confessus sit: testes præbeam vobis? tota civitate audita vox est : ne ipsos quidem accusatores negaturos esse confido, ipsius voce, ipsius lingua esse dictum, EGO TE, PATER, OCCIDI : et non semel dictum, ne casus videretur. At enim confessio habenda non est, nisi quæ a sano proficiscitur : non video, cur ad hanc interpretationem deducatur vis istius verbi, quod lege comprehensum est : ego enim confessionem existimo, qualemcunque contra se pronunciationem : nec me scrutari lex jubet, qua quis causa confessus sit : immo ea natura est omnis confessionis, ut possit videri demens, qui de se confitetur. Furore impulsus est; alius ebrietate, alius errore; alius dolore, quidam quæstione : nemo contra se dicit, nisi aliquo cogente. Quod enim genus confessionis exigitis? ut ali-

tium Declamationis. SCHULT. Francius volebat, *veluti lege, consilio deceptus est: velut legis consilio.* Etiam Ærod.

1. *Ut si illum. Ut si ullum*, Ær. cui assentimur, adversantibus cæteris. ED. — *Vindicabatur. Vindicabitur*, Ærod. — *Sic quum. Hic quum*, Ærod.

2. *Exsequitur. Exsequetur*, Ærod. — *Nisi necessitate.* Francius legebat, *sine necessitate.*

Digitized by Google

quis securus, quieta mente, nullo adigente dicat: EGO PATREM OCCIDI. Atqui ipsum verbum videtur habere vim coactæ veritatis: quid ergo aliud intueri [1] debes, quam vocem? si semel hoc audissem, lex tamen me jam appellaret: sæpius dixit: in eadem voce perseveravit. Viderimus, an in aliis partibus demens fuerit: hic, tamquam sanus, perseveravit: de confesso ergo sumpsi supplicium: atque ad me non pertinet, an is, qui confessus est, nocens fuerit. Fingite enim esse aliquem, qui aliquo modo confessus sit, hunc a magistratu occisum: postea apparuisse aliquo casu falsum fuisse, quod dixisset; num agi cum magistratu potest? Lex, quæ confessum puniri jubet, sententiam ipsi non relinquit [2]: descendamus tamen eo, quoniam filius est, ut quæramus, an ille etiam parricida fuerit: nec mihi necesse est dicere illa, quæ ab accusatore dicta sunt: habuerit ille causas, propter quas deferret, habuerit testes suos, habuerit argumenta: et profecto creditis non sine magna fiducia delatum esse tanti criminis reum: mihi in argumentum sufficit genus absolutionis: paribus sententiis absolutus est. Hoc in alio genere causæ dubium est, in parricidio vero, quod probare nemo voluit, quod falsum esse ad vota pertinebat, diversam habuit pronunciationem. Objectum est alicui mortalium, quod patrem occidisset: quod eum, cui

1. *Intueri debes. Debeo.* SCHULT. — *Me jam appellaret. Tamen me jubet de confesso sumere supplicium, jam ut apparet, sæpius dixit,* Ærod. — *Qui aliquo modo confessus.* Haud dubie, *alio.* GRONOV. *Qui alio quo modo,* Obrecht.

2. *Sententiam ipsi reliquit. Sententiam ipsi non relinquit.* ÆROD. — *Habuerit ille causas.* Nihil est dubitabile. Affirmavit igitur: *Habuit ille causas, propter quas deferret; habuit testes suos, habuit argumenta.* GRONOV. — *Dubium est. Dubiam, in parricidio, etc. diversam h. pronunciationem: diversa* vero hic est, certa. SCHULT. — *Nemo voluit.* Francius legebat, *valuit.*

Digitized by Google

lucem, cui hæc beneficia rerum naturæ debebat, sua manu trucidasset; et hoc pars judicum credidit? Ego vero illos et probo, et miror, qui absolverunt: pars tamen judicum pronunciavit, factum esse parricidium; pars, incredibile esse: hos movit, quod probari poterat: illos quod negari: reus ergo suspectus, et in eam partem accipiendus [1], ut fecerit. Quid superest? per dementiam confessus est: at mihi pro causa mea summum videtur argumentum ipsa dementia, etiam si confessus non esset. Non sine causa videlicet vetus illa et antiqua ætas tradidit, eos, qui aliquod commiserunt scelus, furiis agitari, et per totum orbem agi: ut nomina mentita sint, ut aliquid fabulæ fingant; ab aliquo tamen exemplo ista experimenta venerunt: factum esse aliquid necesse est, ut hoc credibile videretur, sive istud [2] dii immortales, qui non judiciis falli, non gratia circumveniri, non ignorantia decipi possunt, constituerunt. Ego vero gratulor mortalitati. Colite, homines, innocentiam, et nullam spem impunitatis ex secreto scelerum conceperitis: licet nulli hominum prospexerint oculi, licet nulla cujusquam mortalium conscientia intervenerit; sub cælo tamen fecistis, et ille fusus

1. *Accipiendus. Accipiendum.* Schult. Ita Terent. Eunuch. V, 11, 37: «Equidem Pol in eam partem ac- « cipioque et volo. » — *Vetus et antiqua.* Hæc differre hic docet Barth. Advers. XLII, 18, non tamen addit, quale sit discrimen. — *Ut nomina mentita.* Lege, *Ut nomina mentita sint, ut aliquid fabulæ affingant.* Gron. *Ementita*, Ærod. An non, *mentitæ?* scilicet fabulæ. Burm. — *Exemplo ista. Exemplo ista, et experimento venerunt.* Schult.

2. *Sive istud. Sic ut istud,* Francius: quod minime opus; sed credidit vitiosum, quia τὸ *sive* non repetebatur. At hoc non insolitum optimis scriptoribus sciet, qui legit ea, quæ Lambin. ad Horat. Od. I, 3; et Gronov. ad Senec. Herc. Œt. 1260 notarunt. Burm. — *Intervenerit. Interveniat*, Ærod. — *Erat illic.* An, *errat.* Ut Genes. pr. an, *erit ille.* Schult. *Erat, erat illic,* Ærod. Ibi lector sententiarum miram gravitatem facile laudabit.

Digitized by Google

per omnes rerum naturæ partes spiritus affuit: erat illic potentior testis: non quidem apud judicem dicet, nec oratorum interrogabitur artibus[1], sed loquetur ore vestro. Tu forsitan, quum miserum patrem trucidares, tollentem ad sidera manus resisti; inane hoc supra nos, vacuumque cura cælestium putabas. Sunt illa vera, quæ extremo miseri spiritu dicebantur, Dabis mihi, scelerate, pœnas[2]: persequar quandoque, et occurram. Et quod ad me quidem pertinet, judices, non aliam hujus dementiæ putem fuisse rationem, quæ cœpit post absolutionem: nec tamen illa mihi vana quorumdam videtur esse persuasio, qui credunt, non extrinsecus has furias venire, nec ullius deorum impulsu hanc mortalibus incidisse dementiam: sed nasci intus: conscientiam esse, quæ torqueat: animum esse, qui urat. Iterum gratulor: bene hercule factum est, quod etiamsi omnes fefellerimus, effugere non possumus nos. Ite nunc, et dicite: demens erat, quum confessus est. At mihi videtur demens fuisse, quum occidit. Ergo quodcunque illud furoris genus, aut pœna a diis immortalibus constituta, aut confessio quædam nocentis animi videretur. Videamus tamen quomodo insanierit: si per præcipitia ferretur, dicerem, agit aliquis deorum[3]: si

1. *Non quidem... artibus.* An intelligenda tormenta? an legendum, *non quidem testibus.* Schult. *Artubus*, Latinius. *Non quidem artibus, sed loquetur o. v.* omissis reliquis Pith. edit.

2. *Scelerate, pœnas.* Ex Virgilii Æn. IV, 386: « Omnibus umbra locis adero, dabis, improbe, pœnas, « etc. » Ubi videndus Cerda, qui hunc locum quoque ibi laudat. — *Has furias.* Vide Ciceron. pro Ros. Amer. XXIV; et de Legib. I, 14. — *Videretur.* Schult. *videtur.*

3. *Agit aliquis. Aliquis deorum hunc agitat*, Ær. Nihil muta, sed vid. Heins. ad Ovid. Art. II, 496; et nos ad Vellei. II, 31. Burm. — *In obvios occurreret. Incurreret*, Lat. et ita Schultingius. Ita Decl. III: « Incurrere in sexum; » et Inst. lib. XI, cap. 1, §. 86: « Pestilentia « incurrit in aliquem; » et alibi. Burm.

Digitized by Google

in obvios occurreret, dicerem; Ultionis quæritur materia. Nunc vox una, vox eadem ad judices, et per totam civitatem : EGO TE, PATER, OCCIDI. Invenire liceat, quid factum sit : non est dementia : EGO TE, PATER, OCCIDI. Hoc si[1] vos furorem vocatis, idem pars dixit judicum : nihil variatum, nihil ex more aliorum insanientium mutatum est : Ego te, pater, occidi : longa confessio est : repetita toties confessio est. Ecquid concipitis animis imaginem illam, quæ hoc coegit? stabat profecto ante oculos laceratus, et adhuc cruentus pater : ostendebat effusa vitalia, totus ille ante oculos locus, totum scelus mente et cogitatione perflexum. Non potest fieri, ut per dementiam videatur toties confessus, qui nunquam negavit : ite nunc, et paribus absolvite.

CCCXV.

Fortis pater desertoris.

VIR FORTIS DESERTOREM SUA MANU OCCIDAT. Eodem prælio, quo pater fortiter fecit, ejusdem filius deseruit. Petit præmii nomine, ut eum non ipse occidat.

DECLAMATIO.

Fortis præmium petit.

1. *Hoc si. Hoc sic vos f. v. idem dixit, par judicium*, Ærod. — *Totum scelus mente et cogitatione perplexum.* Alii apud Ærodium *perfixum.* Forte, *repetitum.* GRONOV. *Perflexum*, Pith. *Perfluxum*, edit. Leid. *Perpensum*, Latinius. *Perspectum*, Schultingius. *Complexum*, Francius. *Reflexum*, Obrecht. — *Paribus.* An *pars?* in dubio ea dimidia accipitur : ut supra, « idem « pars judicum dixit. » SCHULT.

Digitized by Google

SERMO.

Illa communia nostis.

DECLAMATIO.

Scriptum est[1].

SERMO.

Est illud commune.

DECLAMATIO.

Merito scriptum est : magno labore, multis periculis consequutus sum.

SERMO.

Est aliquid proprium controversiæ huic.

DECLAMATIO.

Peto præmium fortis, qui senex fortiter feci, qui in ea acie fortiter feci, in qua et filius meus fugit. Sed contra legem petis.

SERMO.

Iterum illa communia[2]. Omne privilegium contra reliqua jura esse : viris fortibus non posse præmia persolvi, nisi cum alia inclinatione legis alicujus. Hæc jam prompta ut comparemus, etiamsi contra legem optamus : utram tamen magis servari legem placet? utrum eam, quæ hono-

1. *Scriptum est. Scriptum est, vir fortis optet quod volet. Est illud com.* Ærod. — *Est. Sed est aliquid,* Ærod.

2. *Iterum illa communia.* Hæc tantum sermonis, reliqua, *omne privilegium*, ad *Hæc jam prompta*, declamationis esse, et inde iterum sermonis credebat Schultingius. — *Non posse præmia. Non possunt*, vel *non solent*. Et mox, *nisi cum aliqua inclinatione*, ut et Ærodius et Obrechtus habent, legebat Schultingius.

Digitized by Google

rem dat bene meritis; an eam, quæ constituit pœnam peccantibus? Deinde specialiter, utrum eam, quæ honorem viro forti dat, an eam, quæ pœnam desertori constituit? In utraque re speciosus et apertus tractatus est: nam describere possumus, quanta cum difficultate fortiter pugnetur, et quanto cum periculo; et excusare et dare veniam aliquam [1], ut natura dignum sit: et difficile fortiter pugnare, quam mirum esse aliquem, qui deserat: hic clamor ille utriusque exercitus, tela illa in nos et in oculos venientia, et cadens secundum latus commilito, tum gemitus vulneratorum; et fragor ille armorum et nitor ferri. Deinde quum comparaverimus leges, nihilominus et molliamus quæstionem.

DECLAMATIO.

Non utique periit lex: quare? quoniam plurima accidere possunt, ut desertorem non vir fortis occidat. Hæc enim sic dixi [2], tamquam impunitatem desertoris peterem: nunc de pœna nihil detraho desertoris; de ministro tantum, de manu tantum quæritur. Frequenter autem necesse est accidat, ut desertorem non vir fortis occidat: finge deseruisse aliquem, et neminem fortiter fecisse; incolumis erit desertor? Finge fortiter pugnasse aliquem, sed in ipsa pugna debilitatum, ita ut manum amitteret: numquid non necesse est subire aliquem hoc ministerium? Hoc de alienis: præterea lex, quæ desertorem a viro forti occidi jussit, nihil cogitavit de hac

1. *Et dare veniam aliquam.* Hic quoque male habitus locus. Fortasse: *nam describere possumus, quanta cum difficultate fortiter pugnetur, et quanto cum periculo; et excusare, et petere veniam aliquam.* (Vel, *et dandam veniam dicere*) *ut natura magnum sit et difficile fortiter pugnare, ita non mirum esse aliquem, qui deserat.* Gronov.

2. *Hæc enim sic dixi. Hæc non sic dixi t. i. d. p. nam de pœna*, Schult. et Obr. *Nec enim sic dixi t. i. d. p. nam de pœna*, Latin. — *Accidat ut desertorem. Accidat finge*, omissis reliquis, Ærod.

Digitized by Google

necessitate: quædam, etiamsi nulla significatione legis comprehensa sint, natura tamen excipiuntur. An hoc cogitatum esset, ut pater filium occideret? ut frater fratrem occideret? nam id quidem profecto vix natura ipsa videbatur admittere, ut in eadem acie pater fortiter faceret, filius desereret. Itaque si illud non præmii nomine peterem, si aliter gratiam mihi retulissetis, recusarem; dicerem, Non utique occidere debeo: plus est, quod opto. Lex desertorem et virum fortem nominavit: mutata sunt omnia[1]: filius deseruit. Ergo hæc dixi: adhuc debetur mihi quodcunque præmium: dicetur vel contra legem. Mea lex utilior est reipublicæ: non utique contra legem peto, quoniam multa accidere possunt, ut non vir fortis occidat: non contra legem peto, quoniam fieri non potest, ut et hoc voluerit, ut a patre filius occidatur. Renuncio[2] reipublicæ, non utor honore constituto: nemo queretur de iniquitate præmii mei, nemo me impotenter uti fructu virtutum existimet: non feci fortiter: erratis, commilitones: blanditus est mihi imperator: decepit te fama civitatis: ego fortiter, homo senex? ego fortiter, desertoris pater? At putate hoc me obtinere non posse: non utor honore virtutis, non subeo onera viri fortis: nolite mihi dare præmia; non occido desertorem tamquam vir fortis. Demittite me a merito meo: liberate me nomine: et sane quam habetis aliam vindictam?

1. *Mutata sunt omnia. M. s. nomina*, Obrecht. Schult. retinebat, et Ovid. Tr. I, 8, 7, illa adscripserat: « Omnia jam fient, fieri quæ « posse negabam. » — *Ergo hæc dixi. Ergo hæc ut dixi, adhuc deberetur quodc. p. nam dicatur v. c. l. verum mea lex*, etc. Ærod. — *Dicetur vel contra legem. Dicetis* (vel *dicet*) *contra legem?* Schulting.

2. *Renuncio. Renuncio præmio reipub.* Ærod. — *Existimet. Existimabit*, Francius. — *Decepit te fama civitatis.* Scribendum, *decepit te fama, civitas.* Gron. Et ita Schultingius et Obr. — *Non posse. Nunc posse*, Schultingius. — *Ego fortiter, homo senex?* Hæc desunt. Ærod.

Digitized by Google

Lex occidi a viro forti desertorem voluit, tamquam inutilissimum, tamquam inimicissimum : neque enim pœnam hanc viro forti constituit, neque imposuit recusanti, neque ullam necessitatem nolenti. Quid [1]etiam facietis, si non occidero? quis est hujus constitutionis exitus? legem nullam habetis. Sed vindicare vos vultis : adhibete carnificem, occidite utrumque : bene hercule exhortamini : est, quare arma senex resumam. Fortiter fecisti, plurimum reipublicæ tuæ præstitisti, velis nolis : quid igitur hæc ad parricidium? et filium occide, et parum sit tibi perdere. Vehemens erat, si dicerem, nolo occidere : ignoscetis mihi dicenti, Non possum : manus illa, quæ fortis dicebatur, defecit. Scio nunc me, judices, reprehendi a bonis patribus, tamquam præmium optare nesciam : melior enim et indulgentior pater hoc diceret : donate meritis meis filium : ita ego quod fortiter feci, quod tantum hostilis sanguinis fudi, quod inter momenta victoriæ fui, non est pro opera duorum? Ego, si melior essem pater, illud quoque simpliciter confiterer, deseruisse filium mea culpa : quid enim necesse fuit educere in aciem adolescentulum? quid necesse fuit rudes annos cum gravissimo hoste, acerbissimo prælio componere? aut certe si tantus gloriæ amor, si tanta cupido laudum, recedere a filio meo non debueram : et feci, judices, primum, et tamquam instituerem filium rudem militiæ, non procul a latere reliqui. Decepit me ardor ille belli : ut primum signa canere cœperunt, primum totum animum percussit patria, sola

1. *Quid etiam. Quid autem*, Francius. — *Hujus constitutionis exitus.* Forte, *contentionis.* Gron. Male : nam nuper dixit *honore constituto.* Ed. — *Vindicare vos. Vos* non habet Ærodius. — *Bene hercule.* Hæc periodus commodius collocaretur ante illam, quæ incipit, *vehemens eram.* Schult. — *Vehemens erat. Eram*, Francius.

Digitized by Google

virtus[1]: adolescentulus interim rudis in illa nube pulveris, in illa confusione permixtarum utrinque legionum, virum fortem sequi non potuit. At ego infelix, etiam invidiam filio feci, et spolia retuli, quo minus illi ignosceretur. Quo me ducis, anime? quo me trahis, affectus? placet causa: sed aliud optavi: nihil est, quod ex meo favore speres, juvenis infelicissime: nullam fiduciam ex hac quantulacunque operæ meæ gratia capias: moriendum est: debetur hoc sane disciplinæ militari, debetur castrorum severitati. Infelix exeuntium omen, miseræque primitiæ! si alterum utique ex domo nostra destinabatis, cur non senem potius traxistis? Quid nunc tibi proderit, miserrime adolescens, quod modestus in pace, quod pius? et si contigisset[2] felicitati felicior quies, optimus filius eras: moriendum est: quid tibi præstare infelix pater possum? quum duceris, flebo, plangam. Hos, quos sumpseram modo ex victoria publica lætos habitus, abducite: merui ambitiosus pater, scilicet, ne quid de militari severitate detraherem, ne viderer vir fortis desertori ignoscere: contentus fui post tot merita, favente tota civitate, ut tantum innocens essem. Et ecce, jam miserantes video judicum vultus: quorumdam deprehenduntur lacrymæ. Potui plus optare, potui: sic quoque ego te, fili, occidi. At tu quisquis es, in quem transferetur hoc infelix ministerium,

1. *Sola virtus. Et solita virtus*, Schult. Francio hic aliquid deesse videbatur. *Percussit patris sola virtus.* Præterea, *ut primum totum animum*, etc. edit. al. et Bip. Ed.

2. *Si contigisset felicitati.* Thaddæus et Ærodius *felicitate.* Corrige: *Quid nunc tibi proderit, miserrime adolescens, quod modestus in pace, quod pius, et, si contigisset civitati felicior quies, optimus filius eras.* Gron. Ita et Schultingius. *Et si contigisset tali ætati felicior q.* Obr. — *Quum duceris.* Ad supplicium, ut passim Suetonius, Seneca, Livius, Florus et alii. — *Hos, quos sumpseram. Vos q. s.* Francius. — *Merui. Metui.* Schult.

Digitized by Google

supremas audi patris miserrimi voces: hoc saltem fortunæ meæ præsta, Semel ferias.

CCCXVI.

Flens luxuriosi pater.

Flens pater per publicum, filium luxuriosum sequebatur. Dementiæ reus est.

SERMO.

Hoc genus controversiarum pæne divisionem non exigit. Illa communis fere, omnibus ex lege dementiæ pendentibus controversiis, quæstio est; quod dementia sit[1]; et an hæc dementia sit. In eo quod quærimus, quid sit dementia, et finitionibus utrinque positis, et omni tractatu hanc controversiam dividemus: ut quæratur, utrum dementia ea demum accipi debeat, quæ habeat æqualem mentis errorem, an etiam ex singulis vel paucis intelligi possit. Hæc sæpe tractata sunt: ad crimen ipsum veniamus. Intelligo et indignari posse hunc patrem, quod reus dementiæ a luxurioso fiat, et eum multa graviter et aspere dicere contra filium posse. Recipit adversarii persona: sed videamus, an recipiat nostra: nam sicut paullo ante præcipie-

1. *Quod dementia sit. Quid d. s.* Schult. Obrecht. — Simili fere tenore, quæstionem dementiæ tractari præcipit Fabius, Instit. Orat. VII, 3, 2: « Interim a qualitate ad finitionem descenditur, ut in actionibus dementiæ, etc. in quibus si recte facta esse, quæ objiciuntur, dici non potest, illud succurrit, non est hoc dementem esse, etc. » Idem VII, 4, 25: « Quid sit dementia, finitur: » Ex iteratione quanti momenti sit præceptum denuncians. Ed. — *Et omni tractatu.* An, *et omnibus tractatis.* Scr. — *Hæc sæpe. Hæc ubi satis tractata sunt, ad.* Schult. — *Quod reus. Quod et reus.* Ærod. Bip. *quo reus:* male.

Digitized by Google

bam vobis, ut personam intueremini ejus, apud quem dicenda esset sententia: sic nunc quoque admoneam necesse est, ut intueamur personam, quam nobis induimus. Pater hic qualis est? non acer: luxuriosum non abdicavit, non conviciatus[1] est: etiam quum aliquid admonendi gratia faceret, tacuit tamen, non durus: flevit enim. Quidquid contra colorem talis animi dixerimus, quodam modo contra thema dicemus. Consilium itaque totius actionis ex his capere debemus, quæ præcesserunt: quid aliud præcessit? mollis invidia. Ergo quum approbaverimus non uno facto dementiam esse convincendam, veniemus ad ordinem defensionis. Anteactæ vitæ ratio constet: hoc non propterea tantum dicendum est, quod sic defendi reus potest: sed etiam quod invidia redit ad accusatorem. Omnia quæ pro se dixerit, in filium dicet.

DECLAMATIO.

Quid feci dementer? juvenis frugaliter vixi, patrimonium auxi, uxorem duxi, filium sustuli, hunc amo. Flens, inquit, me per publicum sequeris: poterant illa et separata defendi: nam neque admirationi profecto cuiquam mortalium esset, quod pater filium sequeretur, et separatæ ab hoc lacrymæ poterant videri non ad te pertinere. Sed, ne ulla arte suffugere crimen accusatoris mei videar, totum hoc, quod objicitur, jungam. Lacrymæ

1. *Non conviciatus. Non comminatus est*, alii. — *Quod sic. Quia sic*, et mox, *quia invidia*, Ærod. — *Quæ pro se dixerit. Quæ pro se dixerit in filium, in se dicit*, Ærod. — De hac dementiæ rei defensione his verbis expressit eamdem fere sententiam Quint. Inst. VII, 4, 31: « Reus (dementiæ) quoties causa « patietur, debebit esse in defen- « sione moderatus, quia fere ira et « concitatio furori sunt similia; « omnibus his commune est, quod « rei non semper defensione facti, « sed excusatione ac venia frequen- « ter utuntur: est enim domestica « disceptatio, in qua et semel pec- « casse, et per errorem, et levius, « quam abjiciatur, absolutioni non- « nunquam sufficit. » E quibus plurima sermoni istius Declamationis referri facile deprehendes. Ed. — *Poterant illa et sep.* Bip. edit. *pot. ista et sep.* nescio quo duce.

Digitized by Google

sunt in culpa? fleo fortasse supervacua : sic me consolaris? sic lacrymas patris tui siccas? flendum mihi hodie foret, etiamsi hoc antea non fecissem.

SERMO.

Nolo quisquam me reprehendat, tamquam vobis locos non dem : si ampliare Declamationem voletis, et ingenium exercere, dicetis quod ad causam hujus nullo modo, ad delectationem aurium fortasse pertineat.

DECLAMATIO.

Nondum privatas ac peculiares lacrymarum reddo causas. Interim quis miratur flere hominem? hinc infantia incipit : in hanc[1] necessitatem plerumque fortuna deducit : quis enim est dies, qui non triste aliquid et flebile nobis minetur? Si nullam aliam rationem lacrymarum haberemus, conspectus tamen hominum, et ratio mortalitatis poterat elicere fletus : hæ amicitiæ, hæ propinquitates, hi congressus, hæc studia, laudesque intra breve temporis momentum occident, atque labentur : quotusquisque transit dies, quo non funus accipiamus? Flens me sequeris, et per publicum sequeris : non totum crimen objicis : diu hoc antea domi feci. Quantulum temporis spatium est, quod [2]talem me vides flere secreto, ubi cubiculum, et nox, et animus sibi relictus est. Flens sequeris : quod possum[3]. Mi-

1. *In hanc. In hanc nos nec.* Ærod. — *Plerumque fortuna. Plerosque,* Francius. — *Et ratio mortalitatis.* Non displicet; nec improbarem, si esset *cogitatio*, quod maxime frequens in hac re. Schult. — *Transit dies.* Bip. *transiit.*

2. *Quod talem. Quo talem,* Ærod. *Qui,* marg. — *Vides? flere secreto. Flevi secreto,* Schult. *Fleo te secreto,* Francius. *Flere in secreto non vidisti, ubi,* Ærod.

3. *Quod possum. Quid possum?* Sueton. Ner. 45 : « Ego quid po- « tui? » Schult. *Flens me seq. facio quod possum,* Ærod.

Digitized by Google

ror equidem illos fortissimos patres, qui hunc animi dolorem semel recidunt[1], et in universum flere definito aliquo temporis spatio semel queunt. Flens per publicum sequor: quid ergo? non misereris? gratulor crimini meo, si movi, si hæc tibi gravis videtur invidia. Quid opus erat accusatione? quid judicibus? quid hac probatione dementiæ? sanare me poteras. Exigis tamen causas lacrymarum mearum : non me pecunia movet; divites aliquando fuimus : non illos late quondam patentes agros desidero, non fœnus, nec ingens pondus argenti : nuper sine modo[2] desideravi vernulam meum.

CCCXVII.

Imperator provocatus a filio.

QUI PROVOCATUS AB HOSTE NON PUGNAVERIT, CAPITE PUNIATUR. Filius imperatoris ad hostes transfugit, provocavit patrem. Ille non descendit in certamen solus, sed acie commissa vicit hostes: in quo prælio et filius ejus cecidit. Accusatur, quod provocatus ab hoste non pugnaverit.

SERMO.

An quisquis ab hoste provocatus non pugnaverit, puniri debeat: an hæc lex ad imperatorem pertineat: an hic ab hoste provocatus sit: an pugnaverit[3].

1. *Recidunt.* Ita *amputare*, Florus II, 18, 10; *abscindere*, Seneca. Phœn. 196. — *Queant.* Prætuli *queunt*, ex edit. Bip. ED.

2. *Nuper in modo. In domo*, edit. Pith. Ærod. *Sine modo*, Obr. et ita correxerat Francius. Et nos recepimus cum edition. Bipont. ED.

3. *An pugnaverit?* Rectius putarem, *an non pugnaverit?* ED.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

QUI AB HOSTE PROVOCATUS NON PUGNAVERIT, CAPITE PUNIATUR. In omnibus quidem legibus solam spectari oportet scribentis voluntatem : verba enim ambigua, et in plures intellectus ducta sunt[1]: scribendarum legum causa, voluntas fuit : ergo id unum spectari convenit, propter quod scriptæ sunt. Hujus autem legis manifestum est, hanc voluntatem esse, uti puniatur, quoties commissum est, propter quod constituta pœna est: supervacuum supplementum est. Ut contra verba interpretatio sequatur, aliquid frequenter accidere potest, quum in aliis legibus, tum in hac præcipue : fingamus enim ab hoste provocatum aliquem ægrum : fingamus provocatum eum, qui proximo prælio debilitatus sit; fingamus esse provocatum, quem imperator in aliam partem expeditionis ire jusserit: profecto adversus neminem horum actio ex hac lege dabitur. Atqui mihi satis est efficere, ut alicui non pugnare liceat: nam si ulli potest dari hæc venia, non dubitabitur, quin patri detur. Sed antequam naturam defendo, imperatoris volo defendere dignitatem : contendo hanc legem ad milites pertinere; primum quod inter hos fere provocatio sit; deinde quoniam legumlator numquam profecto tam iniquus[2] fuit, ut periclitari ex eventu pugnæ unius

1. *Ducta sunt.* Scil. ab adversariis. An *ductilia?* an *dubia?* an *duci possunt?* SCHULT. — *Ut contra verba. Quum contra, verba interpretatio sequatur; nisi aliter quid frequenter accidere potest; ut quum*, etc. SCH.

2. *Numquam profecto tam inimicus.* Lege ut supra, Decl. CCCXIII: « Tam iniquus ; » quod et maluimus cum Bipont. ED. — *Unius civitatem summamque reipublicæ.* Suspicor scripsisse auctorem, *summamque rempublicam vellet.* Vide ad Livium, lib. XXVI, 10. GRONOV. — *Inter præcipuas.* Lege, *inter pr. virtutes est imperatorum, non pugnare aliquando.* Sive mavis, *imperatoris*, aut *imperatorias.* GRON.

Digitized by Google

civitatem, summamque reipublicæ vellet : fingamus enim ab aliquo ultimo militum provocari ducem : idem discrimen, idem periculum, par eventus est : adjice, quod inter præcipuas virtutes est, imperatorem non pugnare aliquando : sic extrahitur hostis : sic impetus subitos partis adversæ frangit mora : sic interclusos commeatibus in deditionem venire fame cogimus. Itaque hercule militem legimus robustum, legimus juvenem : imperatorem facimus senem : in illis enim vis corporum et manus sola[1] spectatur, in his consilium et ratio : quæ bona præcedentis ætatis in locum virium subeunt. Ipsum præterea nomen imperatoris satis significat, non exigere[2] manum ipsius : imperare enim debet et præcipere : in summam, ab eo, qui provocatus ab hoste non pugnaverit, supplicium optime exigit imperator. Ergo si hoc solum apud vos dicerem, Non pugnavit dux, non pugnavit senex, non fecit summæ rei discrimen; satis tamen ista defensio videretur. Adhuc tamen proprius accedere ad interpretationem legis volo; et, quatenus pars diversa scripto innititur, etiam ipsa verba scrutari : quid tandem dicit lex? QUI AB HOSTE PROVOCATUS NON PUGNAVERIT : ab hoste igitur, non a transfuga : nec unquam habuerim hunc ego perditissimo parricidæ honorem, ut illum in numero ponam eorum hominum, qui pro republica sua, qui pro patria pugnabant. Et si verba ipsa intuemur, hoc satis est : si vero introspicere voluntatem voluerimus, ecquid manifestum est, non hoc sensisse legumlatorem, ut ulla

1. *Sola. Solæ spectantur.* Francius. — *Consilium et ratio.* Hinc firmatur emendatio Decl. XV, 13.

2. *Non exigere manum ipsius.* Scribo, *exigi.* GRON. — *In summam. In summa*, Ærod. — *Non pugnabit. Non pugnavit d. n. pugnavit s.* SCHULT. et Obrecht. quibus assentimus. ED. — *Satis tamen ista. S. t. justa*, Ærod. et Bip. ed. ED.

Digitized by Google

necessitate posset cogi pater cum filio dimicare? an vero is qui scripsit, HOSTEM[1], non videtur scripsisse, ALIENUM? summa hac nominis utique minora complexus est: non ergo cogi potest quisquam lege, ut cum filio suo pugnet. Hic tamen non defenditur affectus et pietatis simulatione: ego vero, inquit, pugnavi; sed quo modo pugnare oportebat vestrum imperatorem. Unius sanguinem exigitis? exercitum cecidi: par gladiatorum simile postulatis? totius civitatis victoriam retuli: numerate captivos, numerate spolia: et æstimate, an damnari debuerim[2], quia plus præstiti: quæ sunt enim, quæ lex postulet? illa quidem pugnam tantummodo meam: verumtamen videtur tacitum hoc scribentis fuisse votum, ut et hostis occideretur: utrumque præstiti: et ego pugnavi, et ille occisus est. Sed non continget ea perditissimo juveni, quam quærebat, invidia, ut videretur scelere occisus, ut nobilem facinori suo exitum daret: jaceat in turba. Vos oro, qui illud pugnæ genus exigebatis, utrum tamdem eventum concepistis animo? vicisset juvenis senem, vicisset sceleratus pium[3]: quantum respublica detrimenti, quantum lacrymarum, quantum luctus amisso duce haberet, et fractis militum animis et inclinata in posterum spe?

1. *Hostem. Hoste n. v. s. alieno. in summa*, Ærod. — *Utique minora.* An *mitiora?* Schult. — *Et pietatis. Ex pietatis s.* Latinius. — *Gladiatorum simile.* Potest exponi, postulatis duos, qui gladiatorum similes sint, et pugnent: sed an non, *par gladiatorum simulemus postulatis*, id est, referamus, exprimamus, repræsentemus; ut Ovidius Met. III, 158: « simulaverat « artem Ingenio natura suo. » Et Martial. II, 35: « Quum sint crura « tibi, simulent quæ cornua lunæ. » Schult. *Par simile* est æquale viribus, ut solebant componi paria.

2. *An damnari debuerim.* Lege, *debeam.* Gron. — *Sed non continget. Sed non contigit*, Ærod.

3. *Sceleratus pium.* Ovid. Ep. VI, 137: « Quid refert, scelerata piam « si vincit? » — *Ab hoc omine.* Francius legebat, *an hoc omine commisissem aciem?*

Digitized by Google

an vero imperator noster occidisset illum temerarium juvenem et sceleratum? eratne tanti, ut publice commissum parricidium videretur? non iram numinum, non sterilitatem, morbosque, et alia, quibus magna scelera expiari solent, timeremus? ab hoc omine commisisset aciem?

CCCXVIII.

Legatum[1] *inter libertos.*

Testamento quidam instituit heredem amicum, et petiit ab eo, ut ex duobus libertis, quos relinquebat, utri vellet, decem millia daret. Unus ex libertis petit, judicio contendit; victus est: petit alter.

DECLAMATIO.

Quæ mihi jura, quam vetera cum patrono eorum fuerint, non est dicendum: heres sum. Quantopere his post libertatem satisfecerim[2], videlicet hac contumelia, qua mecum consistunt, æque manifestum: neuter apud illum meruit, ut decem millia acciperet: quare ergo hoc testamento cavit, ut darem hanc summam, utri vellem? non poterat aliter efficere, ut mihi isti obsequerentur: excogitavit ergo optimus omnium amicorum, quomodo isti, tamquam patrono, mihi obsequerentur; quum alioqui prædivinaret hoc, quod

1. *Legatum.* Vid. leg. 16, 17, §. 1; 24, 67, §. 17; 77, §. 25, de Legat. 2. Ærod. — Vid. de Legatis Ulpian. tit. 24 ejus libri qui inscribitur, *Tituli ex corpore* Ulpiani, ubi distinguuntur quatuor modi ad legandum. Ed. — *Petit. Petiit* nos cum Bip.—*Decem m. XXm.* marg. Ærod.

2. *His post libertatem satisfecerim. His post libertatem satisfecerint.* Schultius. *Huic post l. satisfecerint*, Ærod.

Digitized by Google

accidit, nullam apud istos fore amicitiæ summæ, nullam nostræ conjunctionis reverentiam : ratio ergo testamenti talis est. Ne jus quidem dubium erat, etiam antequam veniret in dubium[1]. Petis a me decem millia ex testamento patroni tui : interrogo, an dari jusserit tibi? quantælibet sis impudentiæ, non mentieris. Quare ne illa quidem tibi actio, quæ invidiam facere solet legatum non solventibus, relicta est, ut dicas : Quod ego merui, quod ego jure peto. Repetis, quod tibi non est relictum : verum hoc esse manifestum est. Petit alter prior, qui sibi magis dignus videbatur : quo petente tacuisti : non tamen obtinuit id, quod nullo jure poterat obtinere, ut acciperet legatum incertum. Sed hoc ipso apparet, inquit, deberi mihi, quod ille, quum judicio contendisset, victus est : nondum diligenter verba testamenti legis[2] : non enim hoc scriptum est tantum, ut alteri ex libertis darem : sed illud, quo mihi et plena, et, quo magis doleas, perpetua libertas relicta; darem utri vellem. Ergo si hoc non cadit in rerum naturam, ut ego illi malim dare, qui mecum contendit, sperares; aut si hoc probare potes, me tibi malle, forsitan judicio quoque non inique contenderes. Siquidem neutrum horum tale est, ut contra me sit, satis sit utrique vestrum separatim dicere, Tibi nolo. Sic ergo respondebis sem-

1. *Veniret in dubium. Veniret in judicium.* Sch. Nihil muto. Terent. Adelp. II, 2, 35 : « Etiam de sorte « nunc venio in dubium. » Ovid. Epist. XVI, 138 : « In dubium Ve- « neris palma futura fuit. » Ubi vide, quæ notamus. Burm. — *Ut dicas, Quod ego merui.* Sic lege; Respicit hoc quodammodo formulam actionis : vide Declam. CCCXXV : « me- « ritum legati. » l. 9, D. pro soc. « meritum hereditatis capiendæ. » l. 16 in fin. D. de castr. pec. Pith. — *Petit alter. Petiit alter*, Ærod.

2. *Nondum diligenter verba testamenti legis.* Scribe, *legisti.* Gron. Ita et Schulting. — *Sperares. Sperare potes, ut tibi malim?* Ærod. — *Satis sit. Satis est utrique v. satis est separatim tibi dicere, tibi dare nolo. Si ergo hoc respondebis, merui, semper puta me dicere*, Ærod.

Digitized by Google

per? puta me dicere; Querere[1] de te atque officiis tuis, qui non aliter meruisti : fortasse vexare vos voluit, et legatum sperare semper, et alternis desperare. Sic tueri me volo, ut dicam semper : ante omnia enim testamento tempus non est cautum, quo solvam, ac ne caveri quidem potuit : nam qui dicit, utri malueris, et tempus non adjicit, manifesto illud quoque significat; quum volueris, solves : adhuc ergo ambo improbi estis, ambo calumniatores. Quam sapienter tacueras ! si in hoc perseverasses, videreris mihi verecundior : sperarem futurum, diligentius servares pecuniam, quam non cupide acceperas : nunc incipit mihi videri minus ille peccasse : litigavit ante experimentum, litigavit ante sententiam : tu non credis judicibus. Neuter ergo accipiet? quum voluerit patronus alteri dari[2], non potest ab altero hoc legatum peti ex voluntate defuncti; neuter vestrum dicere potest, hoc patronus dari mihi voluit. Habuit hunc honorem mihi, ut istud esset beneficium meum; me ergo emereri debet; et a me istud petere, quod a patrono non petiisset. Detegam vobis propositum amici mei : meliori dari voluit : hoc sciri ex præterita vita vestra non potest : alioqui ipse scisset : et si ulla inter vos fuisset differentia, nominatim reliquisset. Hoc [3]le-

1. *Quærere.* Lege, *querere.* Pith. Ærod. supplet *volo.* Sed legendum : *Querere de te atque officiis tuis, qui non aliter meruisti;* id est, temet ipse atque officia tua vel frigida, vel infrequentia accusa. Ut apud Senecam de Benef. III, 11 : « Cui des, « elige, ipse tecum, si deceptus es, « querere : dignum adjuva. » Ubi recte Graterus ; frustra Lipsius. Gronovius. — *Tempus non est cautum, quo solvam. Tempus* deest Ærod. Deinde *quando solvam* vult Ærodius.

2. *Alteri dari. Alterutri.* Schult. *Dare,* Francius. — *Emereri.* Puto, *promereri.* Gron. *Demereri,* Francius. — *Emereri debet. Debetis,* et mox, *a patrono non meruistis,* vel, *meruissetis.* Schult. *De me ergo et mereri,* Ærod. nihil muta, vid. ad Ovid. Epist. VI, 138. — *Non petiisset. Non petiisses,* Ærod.

3. *Reliquisset. Hoc legato. Reli-*

Digitized by Google

gato patroni vestri, necesse est utrique vestrum diligentius videre, utri dabo; uter vestrum patronum magis desideraverit, uter vestrum frugalius vixerit, uter vestrum modestior fuerit: quid vos diutius traham? utri voluero: interim similes estis, eamdem causam habetis: non magis ego de vobis judicare possum, quam patronus vester.

CCCXIX.

Adultera venefica.

Qui uxorem adulterii ream detulerat, dixit communem filium testem fore. Inter moras judicii adolescens, ambiguis signis cruditatis et veneni, decessit. Vult maritus agere cum uxore veneficii: illa postulat, ut præferatur judicium adulterii.

DECLAMATIO.

Antequam criminum facimus comparationem, sic agere possum: veneficii accuso: responde: occisum a te filium dico: defende. Sint paria [1], quæ objicio, non

quisset hoc legatum patronus vester. Necesse, etc. SCHULT. — *Hoc legato.* Id est, propter hoc legatum, vide Munker. ad Hygin. fab. XXXIV; Schult. ad Decl. I, 2; sed Ærod. leg. *hoc legatum p. v.* — *Diligentius videre utri dabo.* Scribe: *Hoc legato patroni vestri necesse est utrique vestrum diligentius vivere. Utri dabo? uter vestrum patronum magis desideraverit: uter vestrum.* Eleganter, *Hoc legato:* ut apud Catul. XIV, 2: « Munere isto Odissem te odio Va- « tiniano. » GRON. *Reliquisset hoc legatum patronus vester. Necesse est utriusque vestrum vitam d. videre*, vel, *utrumque v. d. videre.* SCHULT. Gronovium sequitur Obrechtus. — *Quod vos diutius.* Thaddæus et Ærodius: *Quoniam duos.* Lege: *Quo vos diutius traham, utri voluero.* GRON. *Quid vos*, Schult. et Obr.

1. *Sint paria. Sint varia q. o. non possint*, Ærod.

Digitized by Google

possunt uno judicio cognosci: æquum est ream respondere ad id, quod objicitur. Puta, omittere me, quod antea objecerim; non perseverare in eo, propter quod detuli[1]: de vita cogitari æquum est, de majore re quæri prius. Postea dicam, ex qua diffidentia præferri judicium adulterii velit: interim duo crimina apud vos proponuntur, adulterium, et parricidium: de utro prius cognosci oportet? hoccine æquum est, sceleris gravissimi, sceleris atrocissimi dilationem impetrari, quia et adultera est? Si nihil illi ante objecissem, continuo rationem redderet: quoniam ad parricidium, prioris criminis diffidentia, venit, huc trahitur[2], propter quod occidit filium. Ab hac occisum esse dico: quamdiu, judices, sinetis, hoc esse dubium? vivit interim in civitate, inter nos est femina inter prodigia numeranda, implet numerum civitatis; et vivit, dum bis rea sit: præsertim in hac civitate, in qua judicia diu differuntur. De me utique mirari non potestis, si omnes moras odi, omnes dilationes: liceat vindicare filium, dum vivo; antequam ad accusatorem transeatur a teste[3]. An hoc æquum, hoc

1. *Quod detuli. Quod te detuli.* Sch. — *De vita cogitari, æquum est, de majore quæri.* Significat, quod clarius postea, et se suæ metuere. Dein scripserim: *de majore re quæri prius.* Gron. — *Hoc inæquum est. Hoccine æquum, sceleris gravissimi.* Gron. Ita et Schultingius, Latinius et Obr.

2. *Huc trahitur. Huc trahit*, ad crimen adulterii. Schult.

3. *Antequam ab accusatore transeatur ad testem.* Hoc est, Dum vivo, malim filium vindicare, et extraordinariam ream parricidii agere, delata hac prius, licet tempore posterior sit, accusatione: ne si demum, inquit, ab accusatore me et uxorem adulterii postulante, ad filium, qui testis futurus erat, tantique parricidii quæstionem ordine transeatur, erepto adulterii teste, et causa ideo sæpius ampliata, si interim moriar, pereat parricidii judicium. In summa, pater hic postulat, ut quemadmodum causis de vi, aliisque ob conjunctionem, primus agendi locus extra ordinem constitutus erat, etsi post multas alias delatæ essent: ita prior hic sit parricidii quam adulterii cognitio, hoc maxime, quod parricidium propter adulterium commissum est, et quia caute uxor præferri judicium adulterii desiderat, sibi con-

Digitized by Google

cuiquam vestrum justum videri potest, ut censeatis adulterium esse inter crimina, parricidium inter maledicta? causam dicere adulterii volo [1]; hoc est, periit ille testis : mihi autem vacat hoc tempore curam agere lectuli mei? flens et orbus querar, quod uxor mea alium amaverit, alium mihi prætulerit? Egone priore quidem tempore istud crimen ad judicem [2] perduxissem, nisi quod sciebat filius meus? si amisissem tantum optimum juvenem, excusate tamen, omnibus aliis causis renunciarem. Verum confitendum est, Ego occidi, ego qui palam nominavi, qui omnem judicii prioris fiduciam in hoc esse confessus sum. Tua porro quid interest? utere hoc argumento, quod tibi objicere adulterium noluit. Pone hoc inter præjudicia [3] accusationis.

scia futuram hanc sine teste accusationem: in qua, si ex vetere consuetudine (de qua Cicero pro Cæcina) ea mora adhibeatur, quæ in omnibus aliis solet criminalibus causis, fore interim speret, ut moriatur accusator. Ex his aperta est eorum quæ sequuntur interpretatio, *Causam dicere adulterii volo, hoc est, periit ille testis.* Ærod. *Ante quam ad accusatorem transeatur a teste.* Ita et Thaddæus. Sensus : antequam me quoque veneno tollat mulier, ut filium. Ideo dixerat ante : « Cogitari de vita æquum est. » Fallitur Ærodius, qui, *ab accusatore transeatur ad testem.* Gronov.

1. *Causam dicere adulterii volo.* Tu mulier, dicis : *Causam dicere adulterii volo. Hoc* perinde *est*, quasi insultes mihi, et dicas : *periit ille testis* tibi unicus : jam damnare me non potes. Gron.

2. *Ad judicem perduxissem.* Dissimulassem hanc injuriam, vel intra privatos parietes vindicassem ex legibus Romuli et Numæ. Ærod. — *Si amisissem tamen optimum juvenem.* Vide an ita qualitercunque restitui possit, *Si a. ta. op. juvenem ex alia causa quam tua, omnibus*, etc. Ærod. Qui edidit, *si a. tamen o. j. ex causa te tamen o. a. c. renunciarem. — Adulterium noluit. Nolui.* Schult. *Qui t. o. a. voluit veneno mortuus est. Pone hic interpres indicia a.* Ærod.

3. *Pone hic interpres indicia accusationis.* Verbum, *interpres*, in textum e margine traductum est : sunt enim revera hæc non declamantis, sed interpretis, ut alia pleraque, quæ latiore intervallo adnotavimus. Filum igitur orationis, ut brevior sit, Quintilianus interrumpit, et locos duntaxat discipulis ostendit. Hic affectus, inquit, movere oportet : eo uti argumento : talia hic apponere : narrandis indiciis hujus accusationis, ita quo-

Digitized by Google

Dum ego ago meo judicio, dic legem, qua vindicari potest utrumque. Nempe hoc inter alia dictum est, Quam causam dandi veneni filio meo habui? adultera non eram. Illic videbimus, illic reddemus [1] rationem. Nec te hoc fefellit : sed naturalis improbis hominibus dilationis est cupiditas : hic infamiæ vides pœnam : quid autem fama ad te, aut opinio? sed occurrunt illæ cogitationes : quæretur de adulterio, et quæretur diu, et extrahet judicium, sicut adhuc extrahit, ut sequatur adulterii pœnam alia subscriptio, alii judices, et alia sortitionis fortuna : interim, ut nihil artes valeant, multum fata possunt : multum citra scelus quoque impedimenti per se ipsa mortalitas affert : ut nihil prosit, vixero : et tamen [2], quod mihi vita ipsa jucundius est, tamdiu superstes testi vixero.

dammodo exordiri, *Dum ego ago meo judicio : dum legem recito, qua vindicari potest adulterium :* vel, *dum cito testem, qui vindicare aut judicare potest utrumque*, et patrem et matrem videlicet, ream alteram, accusatorem alterum, etc. reliqua persequentur ex themate discipuli, hoc modo : *Dum ego ago, etc. quum solus filius testis esset, inter moras adolescens ambiguis signis cruditatis et veneni moritur.* Hunc locum ita, ut possum, elucido : si quis quid melius habeat, afferat. Ærod. — *Ago meo judicio. Agam m. j. aut dic. Meo judicio*, ut, « venio nunc « ad meam legem, » Declamatio CCCVIII. Schult.

1. *Cui debemus, illic reddemus rationem.* Apud quæstorem adulterii, quæremus illud, an adultera fueris : hic vero non debemus, ubi de parricidio quæritur. Ærod. qui ita edidit.

2. *Et tamen. Et tandem*, aut *vixero tandem, et quod.* Schult.

Digitized by Google

CCCXX.

Multati socius.

SOCIORUM COMMUNIA SINT DAMNA ET LUCRA. Ex duobus sociis alter in civitate erat, alter peregre. Quum bello laboraret civitas, decrevit, ut intra certum diem reverterentur, qui abessent: qui non venisset, multaretur publicatione bonorum. Exacta est pars a præsente negotiatore absentis. Reversus ille partem petit reliquorum bonorum.

SERMO.

Sæpe vobis dixi[1], quomodo ad inveniendum statum facillime perveniretis: qui sint, omnes novistis. Primum singulos repetite: sublatis his, quos certum erit non esse, inter residuos quæremus: quærendi autem via hæc erit. Videamus quid proponat petitor, quid illi respondeat possessor, vel reus: ex eo quæstio nascitur: ea nobis demonstrabit. Neque hoc dico, quid primum dicat petitor, quid ille respondeat; non enim ex prima quæstione ducendus est status, sed ex potentissima. Videndum erit, an post divisionem socii sint.

DECLAMATIO.

SOCIORUM DAMNA ET LUCRA COMMUNIA SINT. Fortasse videri potest supervacuum, laudare legem: nam et

1. *Sæpe vobis dixi.* Vid. Quintil. lib. III, cap. 6, §. 1, necnon VII, 1, 9, ubi hæc: « Verum ex con« juncta propositione plures quæ« stiones et status esse possunt, si « aliud negat reus, aliud defendit, « aliud jure actionis excludit. » Vid. etiam VII, 1, 58; VII, 4, 25; VII, 6 extr. et seqq., ubi præcepta de quæstionibus statuendis fusius explicantur. ED. — *Ea nobis demonstrabit.* An, *quæ cætera demonstrabit?* an, *ea cætera* (vel *omnia*), *dem.?* SCHULT. *Nobis statum dem.* Ærod.

Digitized by Google

apparet, prudentissimos majores et constitutores hujus civitatis, sapienter rogasse: et quum hoc jure civitas tam diu usa sit, jam approbatum est. Verumtamen causa exigit, ut æquitatem quoque legis intueamur: non ut vos religiosius judicetis, sed ut appareat, quam improbe socius meus faciat. SOCIORUM COMMUNIA DAMNA ET LUCRA SINT. Sacra res est et quædam fraternitas propositorum animorum[1]: consortes enim potest facere casus: cæterum quidem quum duo homines omnes fortunas suas contulerunt, omnes casus miscuerunt, unum quoddam factum est; quid est justius, quam compositum patrimonium habere conditione unius [2]societatis? hoc enim est unitas: vides ergo et damna et lucra communia esse debere; et nihil non æquum est, quod utrique parti scriptum est: eventus nos diduxit: sed de sociis loquor idem agentibus: illud suo loco imputabo,

1. *Et quædam fraternitas propositorum animorum.* Ærodius: *Sacra res est unitas et quædam fraternitas propinquorum animorum.* Aliis dat *propositis*, ut ex margine eo fluxerit, quemadmodum loquitur. Scribe: *Sacra res est et quædam fraternitas conjunctio bonorum.* Vel *consortium bonorum.* GR. AN, *prope sociorum animorum?* an, *prope sic junctorum?* an, *propior sociorum*, vel *sociatorum?* SCHULT. *Fraternitas propositorum, animorum*, Obrecht.

2. *Habere conditione unius societatis.* Fortasse: *Quid est justius quam compositum patrimonium habere conditionem unius? Societatis (hoc est, unitatis) vides ergo et damna.* GRONOV. *Q. compositum p. haberi conditione unius societatis* (quod nunc ille negat) *hoc enim est unitas.* SCHULT. In emendationibus, *conditionem unius. Societatis (hoc enim est unitas) vides ergo*, etc. sed valde metuo, ne illa verba, *societatis hoc enim est unitas*, interreptitia et spuria, quum sine his optime constet sensus. BURM. — *Eventus nos deduxit.* Ærodius majusculis literis, *Eventus deducito*: quasi scriptum hoc in lege aut pacto societatis fuisset. Ego tentabam: *Et damna et lucra communia esse debere, et nihil non æquum esse utrique parti.* Sequitur objectio partis diversæ: *Sed de sociis scriptum est loco eodem agentibus: eventus nos diduxit.* Respondet: *Illud suo loco imputabo, quod hic domi semper*, etc. GRON. *Diduxit*, Schult. Obrecht. — *Loquor.* Alii, *lex loquitur.* — *Idem agentibus. Ibidem agentibus*, Schulting. Obrecht.

Digitized by Google

quod hic domi semper et custos tantum pecuniæ fuit. Ego sum ille, qui longas terras[1] et ignotas regiones peragravi, ego ille, qui tam longe abieram, ut in patriam redire non possem: ex hac igitur lege postulo, ut communia sint, quæ in bonis sunt; ut dividantur: quid ais? periisse patrimonii partem, et mihi periisse; adjicis mea culpa periisse: omnia hæc interim confiteri libet: commune tamen damnum est. Negat hoc esse damnum; et pœnæ nomen imponit: ego porro, damnum existimo esse amissionem eorum, quæ habueris: neque enim veniet in dubitationem, quin amiserimus aliquid ex his, quæ habebamus. Hic pœnam[2] appellat: possum non negare, quum et ipsa pœna damni genus sit: nam mihi ex hoc, quod plerisque criminibus pecuniæ pœna imponebatur, appellata etiam ipsa damnatio videtur. Ablatum est aliquid mihi, sane etiam confitear: quid interest, quomodo ablatum est? Ego perdidi; nam et si latro abstulisset, mihi abstulerat[3]: et si in piratas ego incidissem mercator, ego amiseram; peribat hoc utrique nostrum. Quid si etiam pœnæ id genus est, quod casus attulit[4]? sane enim feramus hanc tuam finitionem, ut damnum credamus esse fortuitam amissionem, putemus esse fortuitam rerum amissionem, damnum, quid tam fortuitum potest esse, quam quod accidit? non enim lege vetere, et ante profectionem meam scripta, et

1. *Longas terras.* An, *longinquas?* Schult. Sed nihil opus esse, docebunt notæ Cl. Drakenborchii ad Sil. VI, 628. — *Amissionem eorum.* Ærod. *amissionem bonorum.*

2. *Hic pœnam. Hoc p. app.* Ærod. — *Appellata etiam.* Schulting. *appellari etiam. Appellatio,* alii. — *Ablatum est. Esse.* Schult.

3. *Mihi abstulerat.* Forte: *Nam et si latro abstulisset, utrique abstulerat.* Gron. — *Ego incidissem. Non ego incidissem, sed tu mercator, ego amiseram.* Schult.

4. *Quod casus attulit.* Credo, *abstulit.* Gron. — *Non enim lege vetere. Non enim lex vetus ea,* Schult. *Non enim feci lege vetere,* Ærod.

Digitized by Google

quam ego nosse possem, et in quam mea culpa inciderem. Quid fortuito accidit? bellum : quid fortuito[1] accidit? ignorantia mea. Non est tale, quale si in furto deprehensus, quadruplo damnatus essem[2] : tu enim diceres : noveras damnum, noveras legem : vitio tuo incidisti in hanc. Hæc non eo pertinent, quo genere damni afflictus sim : nam si naufragium fecissem, diceres, vitio tuo; navigabas enim; et si spoliatus essem a latronibus, diceres, vitio tuo; parum diligenter custodiebas. Quotumquodque damni genus est, cui non applicari reprehensio possit? Si mancipiorum mortes sunt, parum curasti, medicinam non adhibuisti : hoc habent gravissimum damna, quod vix ulla sine pœnitentia sunt : ergo tunc quoque si vitio meo factum esset, si lege vetere, damna tamen communia erant.

1. *Quid fortuito. Quid non fortuito accidit? bellum, quid non fortuito*, etc. SCHULT.

2. *Quadruplo damnatus essem.* Cur non, *quadrupli.* Sed et bene, *damnari pecunia, capite.* GRON. — *Tu enim. Tum enim diceres*, Obr. *Tunc enim*, Ærod. — *Quorum quodque genus damni, cui non applicari reprehensio possit.* Lege : *Quotum quodque.* Debetur hæc emendatio Brissonio nostro. ÆROD. Vid. ad Ovid. Epist. XIII, 60. volum. I, pag. 237 nost. edit. ubi not.

Digitized by Google

CCCXXI.

Invicem venefici frater et medicus.

Fratres consortes[1], inimici esse cœperunt: diviserunt. Alter ex his medicum instituit heredem: postea redierunt in gratiam. Is qui medicum amicum habebat, quum cœnasset apud fratrem, et domum rediisset, dixit suspicari se, venenum sibi datum: respondit medicus, potionem se daturum remedii, et dedit: qua epota ille decessit: invicem se reos deferunt veneficii, frater et medicus.

DECLAMATIO.

Etiamsi causa unius hodie agnoscitur[2], tamen quum eum, de cujus morte agitur, constet veneno periisse, idque inter duos litigantes conveniat alterutriusque eum veneno periisse: ita committenda utrinque causa est, ut non minor nobis defensionis, quam accusationis habenda sit ratio. Itaque etiamsi dolor fratris amissi et conditio judicii, quo accuso, hoc videtur exigere primum ac pæne solum, ut ea, quæ objeci, probem: ignoscetis tamen mihi, si primam defensionis meæ putavero habendam esse rationem; neque hoc eo tantum, quod pertinet ad pudorem hodie meum; sed eo etiam, quod plus auctoritatis habiturum me in accusatione scio, si

1. *Fratres consortes.* Vid. Cujac. Obs. V, 10, et Brisson. in Lexico. Almel. Vid. ad Vellei. Paterc. I, 10, 5, ubi not. p. 24. Ed.—*Daturum remedii. Remedio*, Francius; sed in ipsa Declamatione, « potionem dedisti aut remedii, aut veneni. »

2. *Agnoscitur. Cognoscitur*, alii. — *Itaque.* Huc usque sermoni adscribebat Ærod. et legebat: *Itaque sic Fratri agendum erit.* Declamatio: *Etiamsi dolor*, etc. — *Hoc videtur.* Lege, *videatur.* Gron. — *Si primam. Si primum.* Ærod.

Digitized by Google

ad illam innocens venero. Quæritur ergo, judices, venenum ego fratri dederim, an iste alieno: non me fugit nomen, quo utitur, amicus: et rogo sciatis, judices, de hoc ipso quæri hodie, an amicus fuerit. Sine dubio etiamsi certa utriusque nominis fides esset, neminem vestrum præteriret, quantum præferri fratrem amico oporteret: nam quæ potest amicitia esse tam felix, quæ imitetur fraternitatem? certe quoties blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen[1] potest, quam ut frattes vocemus: adeo inane etiam nomen, et umbra quædam naturæ videtur, simile amicitiæ nomen imponere. Quum vero me fratrem constet esse, si venenum, ut probabo, dedit, amicus utique non fuerit. Quæ comparatio esse personarum potest? ac si tantum de amore quæreretur, judices, multum natura vinceret: nunc plus est aliquanto, de quo apud vos agitur: quæritur enim, an ego fratrem potuerim occidere? ergo inter homicidium et parricidium cognoscitis. Nondum de persona loquor utriusque, non de causa: interim quæro, judices, utri parti faveatis, utrum verum esse pro civitate, pro temporibus velitis. Equidem, judices, admirari me confiteor, aut constitutas esse de tantis sceleribus leges[2], aut ullos inveniri potuisse mortalium, in quos caderet ista suspicio. Fratrem suum potuit aliquis occidere? non

1. *Ultra hoc nomen. Hoc nomen* deesse posset, quum sæpius repetatur. SCHULT. — *Ut fratres vocamus.* Vide Herald. ad Tertull. Apolog. pag. 162. — *Simile amicitiæ nomen.* An, *similem amicitiæ necessitatem* (vel *naturam*) *imponere.* SCHULT. — *Judices, multum.* Alii, *judicium.* PITH.

2. *Sceleribus tantis leges. Leges esse constitutas.* Solonem, qui tam præclaras et utiles, sicut scripsit Valer. Maxim. leges Atheniensibus condidit, nullas adversus parricidium pœnas instituisse vel tironibus notum est, quod tantum nefas in mentem humanam cadere non posse arbitrabatur. LB.

Digitized by Google

obstitit tacita natura? non sanguinis jus? non sceleribus manus suas objecit, quæcunque est illa, quæ certe creditur esse, pietas? fratrem occisuro non succurrit communis uterus? non eadem causa vitæ? non una primordia? non illa, quæ alienos[1] etiam ac nulla necessitudine inter se conjunctos componere et adstringere affectibus potest, consuetudo actæ pariter infantiæ, pueritiæ studia, lusus, tristitia, joci? Membra hercule inter se citius pugnaverint, et si qua in nobis natura geminavit, diversos ceperint affectus: nam quid est aliud fraternitas, quam divisus spiritus? et quæ ad tuendos nos natura concessa sunt, multiplicata; eo quidem felicius, quod diversis etiam assistentibus locis[2], esse iidem, ac plura simul obire possimus. Huic necessitudini qui dare venenum potest, non oculos effodiet suos? non manus in viscera sua armabit? habet ergo hoc primum, ut parcissime dixerim, admirationem. Neque ego ignoro, judices, quanto me onere premam: ipse confiteor nullis suppliciis, nullis pœnis, nulla me omnium hominum ira posse pensari, si feci. Vult detrahere fraternitati au-

1. *Non illa consuetudo, quæ alienos.* Videtur vox *consuetudo* abundare, et scribendum: *non una primordia? non illa (quæ alienos etiam ac nulla necessitudine conjunctos componere et adstringere affectibus potest) consuetudo actæ pariter infantiæ, pueritiæ? Studia, lusus, tristitia, joci?* Quod autem irrepsit in Pithœanas *nulla consuetudine*, sciendum et apud Thaddæum et apud Ærodium legi *necessitudine*, ut illud operarum vitium esse videatur. Gron. Sustulit *consuetudo* Obr. — *Tristitia, joci.* Francius malebat, *lætitia, joci.* — *Geminavit.* Ut brachia, pedes, etc. quare male *germinavit* alii. — *Divisus spiritus. Divisus quidam spiritus.* Schult. *Divisus per duos spiritus*, Francius.

2. *Diversis etiam assistentibus locis.* Forsan: *diversis etiam ac dissidentibus locis.* Gron.—Al. *existentes.* Pith. An, *etiam non assistentibus?* vel, *diversis etiam absistentes*, vel, *insistentes.* Schult. *Diversis etiam exsistentes. Locis*, Obr. Forte, *diversi etiam ac distantes locis.* De voce *diversus*, vid. ad Ovid. Ep. XII, 145; vel lege, *diversis etiam ac distantibus locis.* — *Iidem.* Al. *ibidem.*

Digitized by Google

ctoritatem: discordes, inquit, fuistis. Nondum rationem hujus criminis reddo: illud interim testor, hunc bonum amicum utrique maledicere: nunc mihi, frater, in quacunque parte naturæ es, agenda causa et tua est. Aliquid ex summa fraternitatis gratia defuisse visum est aliquando, dum forsitan uterque alterius animum magis exigit fiducia sui. Bene hercule fortuna, quod uterque tunc incolumis, quod penates sine lacrymis fuerunt: nulla parricidii suspicio, tempore illo, quo minus amabamus: non tamen ista nostri animi culpa fuit, nisi quia vitium est humanæ mentis nimia cupiditas. Hi sunt, qui conjunctos separant animos, qui summæ concordiæ virus suum interponunt, qui hereditates captant, qui se testamentis parant: qui ita demum spem aliquam in posterum vitæ habent, si eos, quos amicos appellaverunt, carissimis pignoribus abduxerint: quis fecerit illud inter nos, sic quærite. Nullam iste spem hereditatis habuisset, si nunquam dissedissemus: hoc igitur primum veluti mentium animique tentati veneno sumus; sed, dii melius: neque longum istud fuit: neque quidquam ex eo secutum est, quod emendari non possit. Divisio sola [1], ut sciatis cui heres sit: sed postea (quod satis est) gratia, et rursus solida fraternitas, immo hercule major arctiorque conjunctio post pœnitentiam. Nesciunt homines, quantum boni fraternitas habeat, qui nunquam dissederunt: ut dulcius serenum post tempestates est, ita nostris animis laceratis, et domi castigatis [2], velut portus ille fraternita-

1. *Divisio sola. Divino* in edit. al. forte *divisimus solum, ut sciatis cur heres sit.* Schult. *Divisio sola (ut sciatis cui heres sit), sed,* Erod. *Ut sciatis cur hic heres factus sit,* marg. — *Major arctiorque conjunctio.* Ed. Bip. habet *altiorque conj.* vitio, ut putamus, operarum; nec ullo modo ferri potest. Ed.

2. *Castigatis. Fatigatis,* alii: non

Digitized by Google

tis occurrit: amabamus etiam in præteritum, nec caritas fuit illa, sed invicem satisfactio. Utinamque hoc non palam, non manifeste fecissemus, ut videretur frater meus nullo modo mutaturus testamentum: personæ igitur nullo modo comparantur; alienus et frater. Supervacua mentio discordiæ, quum et illo tempore constiterit innocentia, et id tempus, quod in culpam deducitur, non solum sine discordia fuerit, verum etiam major atque arctior caritas, post illam, de qua locutus sum, pœnitentiam, increverit[1]. Proximum est, ut opinor, excutere causas: et quod ad me quidem pertinet, videor de his satis locutus: nam si inimicitiæ eo tempore non fuerunt, quo frater meus accepit venenum, mihi certe hoc faciendi ratio non fuit: qui si essem malus frater, uti tamen bonitatis simulatione debebam, usque ad mutationem testamenti: nam quid obstabat, quo minus non ultionem tantum, sed etiam lucrum consequerer? Si ego non habui rationem dandi veneni fratri, videbo an hic habuerit: heres est: hoc per se potens est. Omnia, quæcunque toto orbe terrarum committuntur scelera, circumspicite, judices, pleraque ex cupiditate nascuntur: hæc latrones facit, hæc piratas, hæc intra muros etiam, atque intra domos nostras, et templa, sicas percussorum acuit: inde nata sunt venena: ut mihi videatur rerum natura omnibus in hominem collatis bonis unum metum opposuisse[2]: tolle pecu-

male; ut ita *lassæ, fessæ naves* tempestatibus passim occurrunt. Ovid. Metamorphos. VI, 519; Claud. in Ruf. I, 276. v. Passer. ad Propert. Eleg. lib. III, 21, 19, p. 530. Burm.

1. *Increverit.* Vid. ad Declamationem VIII, 1.

2. *Unum metum opposuisse.* *Unum pretium app.* Obr. Ego nihil muto; unum metum, scilicet a cupidis, propinquis, et qui se heredes fore sperant: nam *pretium*, ita simpliciter dici posse non puto. Schultingius non male legebat, *unum hunc metum*, scilicet ex cupiditate. Burm.

Digitized by Google

niam, bella sustuleris; sustuleris seditiones: hanc ergo causam habuisti. Et aliud est aliis [1]pecunia: si de cupiditate sola loquendum mihi foret, dicerem, hereditatem concupisti, homo locuples, nunc hereditatem non cupisti, id solum habiturus, quod scelere acquisisses. Quid enim jam te metiri [2] incipis, et longam domus nostræ patientiam calcas? ecquid scis, quid paullo ante fueris? nunc te circumfluens pecunia, nunc ista mancipia, et quidquid quæsisti scelere, ditabunt? Venenum dicor dedisse in cœna mea: o dii immortales! erat quidem honestius illa defensione patrocinari causæ meæ. Venenum aliquis inter lares suos, inter sacra mensæ, coronatis pariter, quos colebamus, diis immortalibus, venenum aliquis hilaris hilari dedit? non hoc ipsum obstitit conatibus meis, quod non credebatur? venenum aliquis circumstante familia, præsentibus ministeriis daret, fœdaturus continuo cadavere illud convivium suum? Ut severa nobis antiquitas tradidit, infestos animos placavere mensæ: et homines, qui inter se armis atque exercitibus conflixerant, tuti tamen jacuere media

1. *Et aliud est aliis. Et aliis aliud deest, aliis pecunia*, Ærod. *Et aliud est, aliud pecunia*, Francius. Sensum esse puto, non idem videri omnibus pecuniam; cupidi et locupletes appetunt pecuniam propter pecuniam, quia avaritia est insatiabilis. Non tamen facile ideo ad homicidium feruntur; sed pauperes, ut hic medicus, ideo ut vivere possint, sæpe scelesti sunt: nam necessitas ad scelera omnia impellit. Burm. — *Scelere adquisisses. Scelere concupisceres*, Ærod. *Scelere concupisces homo locuples*; per ironiam, marg.

2. *Jam te metiri.* Schultingius et Franc., ex hoc statu te æstimare: recte, ut puto: nunc ex ingenio et more locupletium, qui propter hereditatem alieni acquirendam non creduntur in homicidium faciles et proni esse, te vis æstimari, quum debeas æstimari ex paupertate præterita, quum scelus hoc meditatus es. Horat. Ep. I, 7, 98: « Metiri « se quemque suo modulo, ac pede, « verum est. » Vide plura apud Barth. ad Stat. Theb. XI, 347; et ad Claud. Rapt. II, 12. Burm. — *Ditabunt. Ditaverunt.* Schult. Forte, *ditarunt.*

Digitized by Google

cœnæ fide[1]. Sic defendi decebat innocentiam, sed quatenus tamquam maligni loquimur, quatenus tamquam suspecti, in præsentia seponite mentem meam, seponite fraternitatem, seponite anteactam vitam: tamquam de veneficio loquor, quo minus loco, quo minus tempore dare fratri meo debuerim venenum. Neque enim quisquam dubitat, judices, quin faciendi scelera consilium[2] non unam viam intueatur, ut ad summam cogitati inchoatique perveniat; sed illam alteram, vel magis necessariam, et quæ penitus in cogitationibus sedeat, ut scelus, quod commisit, neget. Venenum do: et unde scio, an exhausta potione statim concidat? venit ad mensam meam: inter convivas meos exspirat frater meus; in quem scelus translaturus? quem deorum hominumque invocaturus! Non fuit ergo locus idoneus, non fuit tempus: adjice, quod ego daturus venenum potui timere, ne deprehenderer, ne præsentiret, ne intelligeret, ne colore venenum deprehenderet, ne qua vis odoris se ostenderet. Nulli venenum facilius dari potest, quam qui accipit utique tamquam medicamentum: ergo nullum consilium sceleris mei est. At tui quanta occasio? quamquam de hac postea loquar: paullum enim me interpellat ordo, ut illud defendendum existimem, quod fratrem meum ait suspicatum. Ante omnia, judices, quod sit illud suspicionis genus, non intelligo: postquam biberat, fingamus cibos redundasse; fingamus aliquem sensum interiorum[3] fuisse:

1. *Media cœnæ fide.* Id est, interveniente; ut Flor. III, 1: « Medio regis capite. » SCHULT. *Jacuere: ita media cœnæ fides,* Ærod.— *Mensæ accubuere,* margo.

2. *Quin faciendi scelera consilium.* Ærodius: *quin faciendo quis scelera, consilium, non unam.* Ego malim: *quin faciendi sceleris consilium non unam viam intueatur.* GRON. — *In cogitationibus sedeat. Cogitationibus sedeat,* Ærod. *Cogitationibus insideat,* al.

3. *Interiorum. Intestinorum,*

Digitized by Google

hæc tamen omnia accidere etiam ex innocenti convivio possunt: unde ergo suspicio est? unde illæ simultates? unde illa discordia? Simul et illud vos, judices, intueri oportet, epota hujus potione, fratrem meum continuo periisse: non potest videri eo veneno periisse, in quo ante momentum mortis suspicio fuit. Verum hæc ex hujusmodi causis orta suspicio, plenissimam defendendi veneni occasionem dedit: prima illa, quod habebas, cui objiceres: altera illa, quod qualemcunque potionem [1] accepturus erat frater, etsi illam tristem visu, etsi illam gustu asperam; bibendum est tamen, quum dicas remedium. Sed quid ego diutius? si venenum a me accepisset, tu sanasses: nam et pollicitus es. Habebas medicamentum, et tale medicamentum dicebas, quod prope reducere spiritum, quo vita reponi posset, quo venena fugarentur, quo transmitterentur: potionem dedisti, aut remedii aut veneni: si remedii dedisses, viveret; non id apparet; ergo venenum dedisti. Multa sunt, judices, quæ minus clare verbis atque actione exprimi possunt: utinam quidem fortuna præstitisset, ut frater meus viveret! ostendissem vobis medicum: hoc enim ante omnia dico, judices, medicum: ostendissem [2] potionem hanc non quotidianam, et qua omnes utimur; sed medicamentis permixtam et oneratam. Dat

Francius. — *Defendendi veneni. Deferendi v.* Ærod.

1. *Quod qualemque potionem.* Scribo: *quod qualemcunque potionem accepturus erat frater, etsi illam tristem visu, etsi illam gustu asperam.* Gron. *Qualemcunque* recepit Obr. sed *si et* retinuit. — *Medicamentum et tale. Medicamentum ut dicebat, quo,* Ærod. — *Quo prope reducere spiritum.* Scribe: *quod prope reducere spiritum, quo vita reponi posset.* Gron. Francius. *Quo propere ducere,* Ærod.

2. *Judices, medicum: ostendissem. Judices, medicum ostendissem. Potionem h. n. q. e. qua omnes u., s. m. p. e. oneratam dat medicus in medicamentum,* Obr. *Med. ostendissem, ostendissem potionem,* Ær.

Digitized by Google

medicus medicamentum : qui acceptam bibit potionem, statim exspirat : qui tandem[1] hic argumentandum erat? qui tandem hic probandum? non oculis judicassetis, non continuo strictis faucibus rapiendus ad supplicium veneficus videretur, qui nunc etiam spolia occisi hominis tenet, et subito locuples, ait se tantumdem habere, quantum me[2], qui nuper divisi? Mihi quid relictum est, præter luctus et lacrymas? ultimum ergo illud nobis, frater miserrime, convivium erat? siccine digressi sumus? in has spes discessimus? Habui occasionem mœrendi : diu insidiatus essem : potui tibi venenum dare, de quo nihil suspicareris.

1. *Qui tandem. Quid tandem hic arg. e. Quid tandem*, Ærod.

2. *Tantumdem habere, quantum me.* Insolentior constructio videri potest, pro *quantum ego;* sed hæc et similia ellipsi expediri posse, *quantum me habere ait*, docet Perizon. ad Sanctii Minerv. lib. II, c. 10 in fine : sic Inst. Orat. lib. IX, cap. 2, §. 25 : « Dic te digniorem « quam Catonem, » ex Calvo. Et apud Cicer. de Nat. Deor. I, 29 : « Nonne Deum videri Ægyptiis ? « tam hercle, quam tibi illam nos- « tram Sospitam. » Et cap. 31 : « Et « Metrodorum tam aperte locutum « esse, quam paullo ante te. » Et lib. II, cap. 30 : « Et majore vi « præditum, quam Deos. » Ubi minime auscultandum illa mutantibus contra codices, et solœcismi hæc arguentibus. Cæs. de Bel. Gal. I, 44 : « Se prius venisse, quam po- « pulum romanum. » Vellei. Paterc. II, 37 : « Præfatus neminem futu- « rum fuisse, cujus se societati com- « missurus foret, quam Cn. Pom- « peium, » pro *Cn. Pompeii*. Vid. et Gifan. Ind. Luc. in *comparativis*. Burm. — *Occasionem mœrendi*. An, *mentiendi?* an, *mortem dandi?* an, *opprimendi?* an, *non habui occasionem metuendi?* Schult. — *Me vindicandi*. Ærodius.

Digitized by Google

CCCXXII.

Abdico te, nisi desinis.

Stricto gladio et cruento processit adolescens in concionem: et dixit, occisum a se patrem, quod ab eo tyrannis affectaretur. Perduxit magistratum in domum: ostendit apparatum tyrannidis. Quum excuteretur corpus, inventæ sunt tabellæ ad filium: in quibus erat hoc, ABDICO TE, NISI DESINIS: ET SI CONTRADIXERIS, INDICABO CAUSAS. Reus est juvenis affectatæ tyrannidis.

DECLAMATIO.

Quod circa probationem criminis hujusmodi difficillimum solet esse, certum est affectatam tyrannidem, certum est affectatam esse in hac domo: omnisque eo deducitur quæstio, ut dispiciatis, utrum a patre hujus, an ab hoc sit affectata. Nihil de moribus hujus adhuc dico: ætates comparate: senex ille, et ætatis exactæ, quam rationem affectandæ tyrannidis habuit? nisi forte propter filium hoc fecit. Hic adolescens est: omnes cupiditates, omnes impetus in hac ætate facilius convalescunt[1]. Est quædam præterea ratio sceleris (si hoc tamen nomen ullum accepit scelus), id tentavit, quo frui diu posset. Hæc ætatum comparatio, illa animo-

1. *Convalescunt. Coalescunt*, al. — *Si hoc tamen nomen nullum accepit.* Ærodius: *Si senex hoc tentasset, ex hoc nullum emolumentum accepisset: juvenis scelus id tentavit.* Nos mitius: *Est quædam præterea ratio sceleris (si hoc tamen nomen ullum accipit scelus): is tentavit, qui frui diu posset.* Hoc nomen, puta rationis. Si in ullo scelere est ratio. GRON. *Ullum* et Schultingius et Obrechtus receperunt, sed reliqua intacta reliquerunt. Bipont. ed. *nomen nullum*, etc. ED.

Digitized by Google

rum : pater modestus est : etiam si quid facere severius voluit, minatus est : hic contra, qualis adolescens? ut nihil aliud objiciam, quam quod ipse confessus est, quam quod gloriæ loco pro concione dixit, patrem suum occidere potuit : non quæro, an innocentem : erit hujus rei procedente oratione nobis locus : interim occidere patrem potuit. Quid non cadit in hunc animum? quid non recipiat hæc temeritas? minus est quod negat[1]. Si componendus nobis esset aliquis, qui opprimeret rempublicam, qui libertatem patriæ auferre posset, quam tandem mentem aliam existimaremus? fingamus hominem crudelem; hominem, apud quem nihil habeant jura naturæ. Est quædam scelerum ipsorum societas, adeo ut vel uno appellari nomine potuerit utrumque parricidium. Ergo ut ex ætatibus et ex moribus credibilius est affectatam ab adolescente, quam sene tyrannidem, cætera qualia sunt? ac primum te interrogo, si affectari tyrannidem a patre tuo existimabas, cur occideres, antequam criminareris? neque enim difficilis damnatio, nec longa judicii mora sequebatur : apparatus[2] tyrannidis erat in domo. Deducendus tamen ad magistratus : et hoc certe non difficile fuit adversus senem ei, qui occidit eum, quem criminaturus erat, ut

1. *Minus est, quod negat.* Ærodius : *negatur.* Quare? Quod adolescens negat, nempe tyrannidem ab sese affectatam, minus est parricidio, quod confitetur. Gron. — *Si componendus.* Id est fingendus, ut « compositæ fabulæ » Petron. Just. IV, 1. Schult. Vid. ad Petron. cap. CXVII; nam eo respicere Cl. virum puto. — *Apud quem nihil habeant jura naturæ.* Quidam apud Ærodium *valeant.* Forsan tamen scripsit auctor : *Apud quem nihil habeat juris natura.* Gron. *Valeant,* Schult. Obr. — *Ipsorum. Istorum,* Francius. — *Appellare. Appellari,* Schult. Francius et Obr. — *Utrumque. Utcunque parr.* Ærod.

2. *Apparatus.* Hæc ut objectionem, et novam periodum, ad quam respondetur sequentibus *deducendus,* etc. considerat Schultingius. — *Deducendus. Educendus,* Gron. ad Declam. CCCXLVIII.

Digitized by Google

responderet[1] sibi : non potest ergo videri reipublicæ, gratia fecisse, cui plus aliter præstitisset. Nunc excutiamus, qua causa feceris : ante omnia gratias magistratibus ago, quod non deprehendisse contenti ea, quæ ostendebantur, aliquid et ipsi viderunt : gratias ago etiam providentiæ deorum immortalium, qui nunquam ita opprimi veritatem voluerunt, ut non magnis suis vestigiis emineret[2]. Recitentur hæ tabulæ; ABDICABO TE : non lego sequentia : nego hanc esse fiduciam ejus, qui de affectanda tyrannide cogitavit. An ille in judicium vocare ausus fuisset, et ignominia afficere adolescentem omnia scientem? non enim tyrannis convincenda vestigiis erat; neque argumentis eruenda : domi arma, domi apparatus : et si hanc causam abdicandi te non habuit, dicas oportet, quam aliam habuerit. Non consentiebas consiliis ejus : hoc minus te debebat offendere : ille, si te tamquam indicem timuisset, potuit occidere : satis ergo plenum vel hoc erat argumentum innocentiæ, severitas et vindicta. Quid tamen adjectum est? SI RESPONDERIS, CAUSAS INDICABO : quærite nunc uter malæ sit conscientiæ. Ille minatur : cur taceri voluit? quoniam pater erat, quoniam nunquam hi affectus in tantum vincuntur odio, ut non ad naturam suam tamen revertantur. Causas, quas ille se dicturum minatus est, tu ostendisti : hæc arma detecturus erat, si respondisses : hos apparatus protracturus in medium. Satis apparere omnibus arbitror, affectatam ab hoc esse tyrannidem :

1. *Quem criminaturus erat, ut responderet.* Ærodius : *Erat ad judicem adducere, ut resp.* Ego vero : *Qui occidit eum, quem criminaturus erat, ne responderet sibi.* Ideo enim occidit, ne responderet, quem criminaturus erat post mortem. GRON. — *Non potest ergo. Non potes e. v. r. g. f. c. p. aliter præstitisses.* SCH. *Plus alter præstitisset*, ed. al.

2. *Ut non magnis suis vestigiis emineret.* Lege, *ut non magis.* GRON.

Digitized by Google

ne quem autem vestrum securum faciat hoc, quod oppressa, quod deprehensa est tyrannis : apparatus enim iste testatur adolescentis mentem. Num latro innocentiam accipit, si quis illi gladium extorqueat? minatus aliquis mœnibus flammas, num igitur facere securitatem civitati potest, si quis faces ejus exstinxerit? non habet nunc arma, non habet apparatum ; sed habet animum. Nec mihi hoc satis est approbare, judices, tyrannum futurum, nisi illud quoque ante oculos vestros posuero, qualis sit futurus tyrannus : ullius hic parcet corpori, qui patrem trucidavit? ullius hic criminis aget verecundiam, qui parricidium professus est in concione? qui gladium illum cruentum stillantemque sanguine[1] ostendere populo non recusavit? quid ille manibus imperabit alienis, tantum suis ausus?

1. *Stillantemque sanguine. Stillantemque patrio sanguine*, Francius malebat. — *Quid ille manibus imperabit alienis.* Francius volebat, *quid non ille manibus imperabit*, etc.

Digitized by Google

CCCXXIII.

Alexander templum dedicans.

QUI HOSTI OPEM TULERIT, CAPITE PUNIATUR. Alexander, bello Athenas quum premeret, templum extra muros positum incendit; pestilentia laborare cœpit. Responsum est non posse finiri, nisi templum restituisset. Restituto templo atheniensis sacerdos, Alexandro pollicente discessurum se ab armis, si dedicaret, dedicavit. Discessit ab obsidione Athenarum Alexander: dicitur sacerdos hosti opem tulisse.

SERMO.

Quam potest[1] maxima religione judicum implendus animus est: nam etsi sacerdos reus est; et datur ei crimini, quod dedicaverit templum; et quod utilissimum, et causæ etiam facile est, hoc tempore: nam et præsentia numinis ejus, de quo agitur, approbata est.

DECLAMATIO.

Deos immortales, omnes quidem, præcipue tamen numen et mihi maxime[2] familiare, et, sicut proxime experti sumus, præsentissimum, judices, invoco ante omnia; ut si respectu sacrorum, si pietatis, si religione sola ductus feci, quod objicitur mihi, velit impunitum

1. *Quam potest. Quam fieri potest*, Ærod. male. Vid. Heins. ad Ovid. Ep. VIII, 5; Remed. 325. — *Et si sacerdos. Si* delent Schult. et Ær. — *Præsentia. Pr. numinis, dedicatio ejus templi d. q. a.* Ærod.

2. *Numen et mihi maxime.* Forte, *numen proprium et mihi m. fam.* Ut Declamat. CCCXXVI, in fin.: « Quam illum mihi proprium « deum. » SCHULT. — *Si pietatis. Si pietate*, Ærodius et Francius. — *Velit. Velint*, Ærod. et mox, *intueri velint.*

Digitized by Google

esse sacerdotis officium. Nunc (quod[1] me aliquando sollicitum habet) ne aspere, ne irate hanc judicii faciem intueri velit, in qua capitis periculo luitur, quod templum dedicatum est: oro igitur atque obtestor, si fieri potest, ne damnari me velint; si minus, ne vindicari; tueanturque civitatem in hac, quam modo habere cœpimus, pace: immo vero hanc vestris animis voluntatem, hoc propositum mentis inspirent, ne eo tempore deos lædere velitis, quo illis jam Alexander satisfecit: qui, etiamsi bellum contra nos traditum ac relictum a patre usque suscepit; etiamsi non tam propria, quam hereditaria nobiscum constitit[2] contentione, omnia tamen alia impune faciebat, dum res intra cædem hominum stetit, dum intra vastationes agrorum (quamquam totius soli, ac venerabilis[3] soli) secunda res tamen: ac ne illa numina quidem, quæ semper excubare videntur pro nostra civitate, satis ad tuendam urbem profuerunt. Ut vero ignem sacris postibus, ut ferrum vetustissimæ religioni admovere ausus est, intellexit sibi non esse bellum nobiscum. Libenter audio, quæ ex diversa parte dicuntur; ægrum exercitum, præcipiti morte consumptas copias: quis enim non videt omnia ista facta esse, ut rursus templum esset? ita illius quoque concitati, ut auditis, ac temerarii juvenis motus est animus. Vidit non aliunde petendum esse, quam a diis immor-

1. *Nunc quod.* Potius, *tum quod me aliquando.* Gron. Ita Schult. et Obr.

2. *Nobiscum constitit. Nobiscum stetit,* Ærod.

3. *Quamquam totius soli ac venerabilis.* Thaddæus: *totius soli ac venerabilis secunda,* Ærodius: *totius sacri soli ac venerabilis.* Alios ait voluisse: *ac vetustioris soli.* Conjiciebam: *dum intra vastationes agrorum, quamquam totius soli æque venerabilis, se continuit: ac ne illa.* Gron. An, *totius nostri ac v. s.* An, *agrorum: quamquam eas toti intulit huic venerabili solo, secunda,* etc. nempe passim in agro attico simulacra deorum. Vid. Pausan. in Atticis. Schult.

Digitized by Google

talibus, præsidium : oraculum poposcit; quæ hic culpa nostra est? accepit. Videlicet, dii immortales, ut peccantibus graves, ita satisfacientibus faciles : si noluissent remedium illi pestilentiæ concedere, non indicare potuerunt : restitui jussere templa. Gratias publice privatimque agamus : dedicare ipsi non permiserunt : divisum partitumque responso est, quid Alexander facere deberet, quid nos. Ille, quod debuit, fecit templum speciosius, quam fuerat, et cultius exstruxit animo regis periclitantis : partes supererant meæ. Excuso me vobis, dii immortales, quod non statim [1] ad conditionem dedicationis accessi : hoc enim ex responso et Alexandro satis erat, quod permittebant. Ego nihilominus magna mercede suscepi hoc officium : pacem poposci, impetravi : veluti ore ipsius dei jussus promisit, præstitit : hæc est criminum meorum, judices, summa; et templum habemus et pacem. Hosti opem tulisse dicor : nondum causas facti mei reddo, nondum rationem legis ipsius excutio. Interim quid vos putatis opem ferre? neque enim id solum quæritur hac lege, an aliquis hosti profuerit : multa enim quæ utilia sunt hosti, et inviti et imprudentes facimus; ideoque hoc non complexa lex est : sed adversus eum se destrinxit, qui opem tulisset : illud, ut opinor, tale, qui auxilio [2] juvisset,

1. *Quod non statim.* Forte delenda negatio, aut legendum, *non statim absque conditione dedicationi accessi.* Schult. — *Alexandro satis erat quod permittebant.* Ærodius : *vel Alexandri.* At ego in his nihil vitii agnosco, sed in ultimo verbo leve, quod tamen omnino impediat sensum. Scribendum enim, *permittebat.* Diis jam satisfecerat Alexander, quum permittebat dedicari. Quod reliquum, nobis præstandum erat. Gron. — *Quid vos putatis. Quid vos esse p.* Ærod.

2. *Qui auxilio juvisset.* Vet. cod. *juvessit,* verbo, ut puto, legitimo, quod novari non debuit. Pith. Sic Ulpianus et Callistratus ad legem Juliam majestatis : « Qui hostibus « populi romani nuncium, litteras- « ve miserit, signumve dederit, fe- « ceritve dolo malo, quo hostes

Digitized by Google

qui armis, qui commeatu. Non sine causa[1] hæc ipsius verbi proprietas continet legem : quæri voluit an is opem tulisset, quodam loco manum deprehendit, et ferentem coarguit. Causam autem hujusce juris quis ignoret? animus, ut opinor, ejus punitur, qui hosti prodesse voluit : adversus proditorem, adversus hostem reipublicæ conscripta lex est. Quæ si talia sunt, quid simile his commisi? templum dedicavi : viderimus an hoc hosti profuerit : ad causam meam pertinet sciri, quid ego fecerim, non quid ex eo factum sit. At enim hoc hosti profuit : si ideo feci, ut hosti prodessem ; sane sim[2] legi isti obligatus : si, quum aliquid facerem pro universa republica, utile etiam hosti fuit, non, ut opinor, damnis contendendum fuit. Videamus ergo an hoc pro republica fuerit : nondum dico, quæ secutura fuerint, si non dedicassem : interim cum pietate vestra, Athenienses, loquor : templum non illud vetus, non illud præsentissimæ religionis, non illud, a quo totius civitatis nostræ petitur auctoritas ; sed novum aliquod et adhuc inexpertum[3] video : in finibus nostris est dedi-

« populi romani juventur adversus « rempublicam, cujusve opera dolo « malo hostes populi romani com- « meatu, armis, telis, equis, pecu- « nia, aliave qua re adjuti erunt, « etc. » Igitur profuisse non nocet, sed dolo malo profuisse, ut sit quis huic legi obligatus. Ærod.

1. *Non sine causa hæc ipsius. Non sine causa : hæc ipsius verbi proprietas continet : Lex enim quæri voluit, an quis opem tulisset : quo dolum malum reprehendit*, etc. Obr. *Non sine causa hæc i. v. p. continetur lege. Quæri voluit an quis opem tulisset, quodammodo manum reprehendit.* Schult. — *Quæri voluit. Quæri noluit a. i. o. t. qui quodam modo profuit, animum repreh. et ferentem opem coarg.* Ær. *Quodam loco manum deprehendit*, marg.

2. *Sane sim. Sane sum*, Ærod. *Sunt lege*, marg. Alii, *lege ista.* — *Damnis contendendum fuit.* Ut satius fuerit vel nocere reipublicæ, quo hosti noceatur, quam reipublicæ prodesse, ne per consequentias id hosti prosit : quod certe fuerit imprudentissimum. Ærod. *Comparandum.* Schult.

3. *Sed novum aliquod et inexpertum.* Corruptus fuit hic locus, si

Digitized by Google

candum. Hæc enim, priusquam dedicationis accipiant summam religionem[1], opera sunt tantum : dedicatio est illa, quæ deum inducit, quæ sede destinata locat : hoc ideo facere non cuicunque permittitur, nisi castæ manus, nisi familiaris sacris animus accesserit. Dedicatio solis, ut nunc comperimus, concessa Atheniensibus. Hoc ego fieri reor, judices, quod quum cæterarum civitatum templa, in ipsis posita urbibus, frequenter cum totis ruere atque incendi mœnibus viderimus, nulla vindicta, nulla religio, nulla eos qui fecerant, supplicia consecuta sunt : hic sacrilegium pestilentia vindicatum. Dedicationem destinabat[2], neque enim ali-

quis alius; aliquem sane sensum attulimus. In dedicatione, qua quasi dii evocantur, et domicilium mutant, videndum, ne quid vitio fiat, ne quid non rite et legitime : quo nomine multa sacra, sacrificia et ludos sæpius restauratos et restitutos esse legimus. Plinius, lib. XXVIII, c. 2. « Vidimus certis precationibus, obsecrasse summos magistratus, et ne quid verborum prætereatur, de scripto præire aliquem. » Templum, quod a tuendo dictum est, inquit Varro, locus est augurii aut auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitus, quod a magistratu pontifice præeunte dicendo dedicatur. Hoc jam, ut apud nos sunt omnia, ὀυδὲν πρὸς ἡμᾶς. Quid enim amplius tota Gallia, sacri sancti et religiosi? At una omnibus maxime religio prætenditur. Iterum igitur ἔργον ὀυδὲν πρὸς ἡμᾶς, Ærod. qui legit, *sed novum aliquid et inexpertum video : templum i. f. n. e. d. — Video.* Post hæc inserit Ærodius τὸ *templum*. Hoc non est necesse : sed totum ita legi necessarium est : *Si novum aliquod et inexpertum video in finibus nostris, est dedicandum.* Hoc mihi faciendum est tamquam sacerdoti. Gron. *Inexpertum* est, de cujus sanctitate nondum constat, ubi præsentiam numen suum nondum ostendit.

1. *Dedicationis accipiant summam religionem.* Priusquam his dedicatio, velut summa manus, imponatur. Hic locus confirmat lectionem, quam probavimus in procem. §. 4, Institutionum : « Quasi per« fectis omni alio genere doctrinæ « summam eloquentiæ manum im« ponerent. » Gronov. *Dedicationis accipiant summa religionem*, Sch. Ego mallem, *dedicatione accipiant summam religionem.* Id est, per dedicationem plane sancta et religiosa fiant. — *Concessa. Concessa est*, Ærod. — *Hoc ego.* Bip. *ergo.*

2. *Vindicatum : dedicationem destinabat.* Ærodius : *vindicatum est.* Ut hic finiatur periodus. Placet : sed non hoc solum mendosum. Forte : *Dedicatio solis, ut nunc*

Digitized by Google

ter saltem templum esse existimaverat, nisi dedicaretur. De quocunque templo loquor, hoc templum non dedicabo? Quam multa adhuc remitto? taceo quid dii voluerint, taceo quid responsa præceperint, humanis consiliis locum relinquo, non dedicabo? Procedere ultra volo : si Alexander ab obsidione tantum Athenarum recessisset, nonne ædificassemus, non restituissemus? Equidem ego omnibus nostris sacris crediderim inesse numen : debetur hoc Atheniensium civitati, debetur vetustissimo generi, debetur solo, de quo contendisse quondam deos immortales non sine causa creditum est. Cætera tamen opinione credimus, et conjectura colligimus : in hoc numine sentimus momenta bellorum, hoc pars utraque cognovit, hoc numen scit esse Alexandèr. Adjice quod dedicari voluerunt : si a quocunque voluissent, occupandum fuit mihi, quum Atheniensis sim : totum enim hunc populum, judices, puto sacerdotem [1]. At enim sic effectum est, ut laborare pestilentia exercitus Alexandri desineret : non dico desiturum alioqui fuisse : periturus sit Alexander, perituri sint milites omnes, vultis uti hoc sacrificii publici beneficio? si quis vobis hanc poneret conditionem, Athenienses, ut omnium potiremur gentium, eversis exustisque tem-

comperimus, concessa Atheniensibus. Hoc ego significari reor, judices, quod, quum cæterarum civitatum, etc. viderimus; nulla vindicta, nulla religio, nulla eos, qui fecerant, supplicia consecuta sint; hoc sacrilegium pestilentia vindicatum. Dedicationem desiderabat (intellige Alexander, et merito): *neque enim aliter salvum templum esse existimaverat, nisi dedicaretur.* Gron.

1. *Totum enim ego hunc populum, judices, puto sacerdotem.* Athenienses αὐτόχθονας se appellarunt, et ideo noctuam insigne ferunt. Contentio Neptuni et Minervæ omnibus nota est. Quod omnem populum Atheniensem sacerdotem esse ait, sumptum est ex Homeri Catalogo Iliad. B. 57. Æmod. Francius adnotavit hoc in Homeri Bœotia, v. 56, non dici. — *Sacrificii publici. Sacrilegii pub.* Schult. — *Si quis vobis. Si quis nobis.* Schult.

Digitized by Google

plis; non profecto acciperemus : pluris nobis pietas, pluris nobis opinio, pluris disciplina civitatis fuisset. Moritur miles Alexandri : sed templum sine numine, sine religione : sed templum adhuc est inter præsidia hostium : sed non ire mihi, non colere, non agnoscere, non agere gratias licet. Vos porro cur perire exercitum Alexandri, cur perseverare istam pestilentiam vultis? nempe ne bellum haberetis : habetis pacem. Beneficium dedistis; ex illo, quem gravissimum hostem timebamus, habemus potentissimum amicum. Sint sane pertinacia odia. Alexander responso satisfecerat : quod ad ipsum pertinuit, templum restituerat : quod ad secundam quoque partem responsi pertinebat, fecerat potestatem dedicandi, mercedem quantam maxime dari[1] poterat, reipublicæ dedit. Tam injustos vos creditis deos immortales, ut non fuerint cogitaturi, cujus culpa templum vacaret? nam, ut dixi, si pestilentiam finiri dii immortales noluissent, aut nullum responsum, aut aliud certe dedissent : demonstrata satisfactio et in hoc valet, ut accipienda sit. Vereor, judices, ne quid fingere ex necessitate periculi videar, verumtamen me religionis meæ dissimulare, quæ acciderunt non sinit ratio. Alexandrum apud me valuisse solum putatis, aut ullam mercedem? ego illum recessurum putabam, etiamsi non pacisceretur : deus, deus ille (testor ipsum et præsentissimi conscientiam numinis) ille adegit, ille jussit, ille in has preces[2] misit : secundum hoc quodammodo fuit responsum.

1. *Quantam maxime dari.* Scribend. *quantam maximam dare poterat.* Gron. Vid. ad Liv. IX, 24. *Quanta maxima dari*, Schulting. et Obr.

2. *In has preces.* An, *partes*, an, *preces*, quæ in dedicatione fiebant. Schult. Hinc aliquis vulgatam apud Ovid. Epist. IV, 37 : « Ignotas mit- « tor in artes, » defenderet.

Digitized by Google

CCCXXIV.

Bona sacrilegi.

QUI REUM CÆDIS DAMNAVERIT, BONA EJUS POSSIDEAT. SACRILEGI BONA TEMPLO CONSECRENTUR. Damnatus cædis quum torqueretur, dixit et sacrilegium a se commissum. Ambigitur de bonis. Sacerdos templo vindicat: accusator sibi.

DECLAMATIO.

Antequam leges comparamus, intueri personas libet: nos nullam habemus in litigando propriam cupiditatem : non acquirimus nobis : petimus bona templo, petimus honorem deo : adversarius sibi vindicat, et in præmium operæ suæ deposcit : ostendit[1], quare accusaverit. Quemadmodum personas comparavimus, ita comparemus et leges : idem demus utrique tempus, eamdem utrique legi causam : ipsæ tamen etiam citra defensiones, non parem rationem habent : scripta est altera deo, altera homini : æquum est priorem esse rationem religionis.

SERMO.

Hic subjici poterat et locus, in quo laudemus hanc legem.

DECLAMATIO.

Præterea et alioqui justius est sacrilegi bona pertinere ad templum, quam damnati ad accusatorem : quare?

1. *Ostendit. Et ostendit*, Ærod. — *Citra defensiones.* Francius malebat, *defensionem.* — *Subjici poterat. Subj. poterit*, Ærod.

Digitized by Google

quoniam in sacrilegio, propria templi injuria est; in damnatione rei, alienum crimen. Ita illic præmium est; hic solatium: illic datur ista pecunia; hic quodammodo redditur. Hæc comparatio esset, si ipsas leges committeremus: nunc nostra et tempore prior est: ante enim commisit sacrilegium, quam cædem. Accusator hoc nititur, quod ante damnatus sit cædis, quam sacrilegium confessus sit: non est autem intuendum, quo tempore aperuerit se culpa, sed quo tempore commissa sit, quo tempore hanc pœnam, de qua quæritur, ille meruerit: id quum ipsa natura justum est, tum etiam legibus apertum: in cæde enim spectanda sit damnatio, in sacrilegio tempus ipsum intuendum: quare? quoniam lex tua ita scripta est, ut qui damnaverit, bona possideat · possidere non potes [1]; lex mea ita scripta est, ut bona sacrilegi ad deum pertineant. Statim ergo, ut fecit sacrilegium, devotus huic pœnæ est: et ante ista bona ad deum pertinere cœperunt, quam lex damnaret. Vide quantum recedas ab intellectu juris hujusce: si cædem ante sacrilegium commisisset, tamen quoniam postea cædis damnatus esset, ad deum potius pertinerent: non enim prodesset tibi, quod prius cædis tempus esset; quoniam lex tua non ad cædem, sed ad damnationem pertinet: nunc vero quum sacrilegium ante commissum sit, quam cædes: non est dubium, quin bona ista templi sint. At enim præmium mihi debetur: meo enim beneficio et sacrilegium illud inventum est: immo hercule etiam illa cædes [2], bene-

1. *Possidere non potes. Quæ possidere non potes*, Francius. *Possidere autem n. p.* Ærod.

2. *Etiam illa cædes beneficio suo.* Scribe, *beneficio sacrilegii.* Gron. Malo, *beneficio hujus*, Schult. *Beneficio quo?* Obr. *Beneficio divino*, ante conjecerat Cl. Schultingius, sed iterum induxerat. Forte, *beneficio dei*, vel, *beneficio numinis.*

Digitized by Google

ficio suo : ex quo semel manus inquinavit, insecutæ sunt illæ protinus furiæ, ut hunc hominem palam occideret, ut reus deferretur, ut damnaretur, torqueretur, ut confiteretur. An vero tu illum, quod sacrilegium a se commissum esse dixit, præstitisse ignibus, quos nos subjecimus, aut flagellis putas? nihil illa tormenta ad confessionem sacrilegii pertinebant; non de hoc torquebatur : numen erat profecto, numen illud, quod subjiceret faces, quod acrioribus stimulis agitaret : vos de cæde torquebatis : ille de sacrilegio confitebatur.

CCCXXV.

Hereditas fidei commissa.

Pauper et dives vicini erant. Pauperi uxor speciosa : rumor erat adulterari pauperis uxorem a divite, conscio viro : delatus lenocinii[1] reus pauper, et absolutus est. Dives decessit herede instituto bonorum omnium paupere, et elogio tali. PETO UT HANC HEREDITATEM RESTITUAS EI, CUI ROGAVI. Petit a paupere uxor hereditatem, tamquam fidei commissam.

SERMO.

Quid dicimus, quomodo hæc uxor et heres erit, et adul-

1. *Delatus lenocinii.* Vide Juven. Sat. I, 55, ibi Schol. unde patet hic argumentum ex vero sumptum. SCHULT. — *Elogio tali.* De elogiis, seu clausulis testamentorum vid. l. 20, C. de jure delib. Cicer. Tuscul. I, 33 et 35; C. de inoffic. testamentis. ED. — *Tamquam fideicommissam petit.* Videbitur fortasse prima fronte tale quid hic deesse, *uxori tuæ restituas.* Sed revera nihil deest, præterquam quod virgulis inclusum (ut quidquid aliud simile) adjecimus. Nam si dives ita specialiter pronunciasset, *uxori tuæ restituas*, semota esset omnis controversia inter virum et uxorem : omnique modo restituenda esset

Digitized by Google

tera non erit? quomodo si conscius nullius flagitii fuit maritus, illius potissimum fidei hæc hereditas mandata est? invenienda est enim aliqua causa, propter quam heres sit. Numquid hic dives hanc speciosam adamavit; cum ipsa loqui nihil ausus est, locutus est cum viro, et inde opinio? dum captat, fecit testamentum. Quædam etiamsi themate non continentur, natura tamen ipsa manifesta sunt. Matrimonium inter hos non esse, qui litigant[1], videatur mihi luce clarius: non enim ego intelligo litem fidei tacite commissam, nisi conscio. Hoc eo pertinet, ne quis judicum

hereditas mulieri ex testamento divitis. Hoc ergo facit quæstionem, quod dives expresse quidem a paupere petiit, fidem ejus secutus, hereditatem restitueret, penes se non haberet: sed cui restitueret, de eo nihil dictum est nominatim. In hoc ambiguo certat uxor conjectura, et ex tacita fide et voluntate fideicommissum petit: ejus enim in eo probatio est, ut l. quidam quum filium familias ff. de hered. institut. ubi apud Africanum nihil testator quidquam verbo ab herede petierat: hic minor dubitatio, quia restitui quidem, sed indefinite postulavit. Illud notandum est, uxorem hanc adulterii tantum suspectam fuisse, non damnatam, absolutumque pauperem lenocinii. Alias turpi personæ fides tacita in fraudem legis accommodata diceretur, essetque fisci, non uxoris actio. Habet hæc Declamatio aliquid commune cum ea apud Senecam Controv. III, 16. Ærod. Qui legit, *hereditatem restituas tamquam fideicommissam: uxor ex fideicommisso hereditatem petit.*

1. *Matrimonium inter hos non esse qui litigant.* Immo erat, et id meminisse ac præferre per totam orationem oportebat declamatorem. Hoc est, quod vult Fabius, et sic expressit: *Matrimonium inter hos esse, qui litigant, videatur luce clarius.* Hoc scilicet pudore abstineri a quibusdam, quæ alioquin utiliter in causam possent dici. Ærodius, *videtur mihi luce.* Gron. *Videtur mihi,* Schult. — *Non enim ego intelligo litem.* Thaddæus ignorat τὸ *ego.* Ærodius: *Neque intelligo hereditatem.* Scribe: *Neque item intelligatur hereditatem fidei tacite commissam, nisi conscii.* Hoc est, illud quoque, etsi non palam dictum et expressum, appareat tamen et intelligatur judicibus, non facturum fuisse divitem, ut pauperis fidei committeret hereditatem sine nomine ejus, cui restitui debeat, nisi hic pauper amoris erga uxorem conscius diviti fuisset. Talis est actio, de qua Quintil. Inst. lib. IX, cap. 2, §. 74: « Ita ergo fuit nobis « agendum, ut judices illud intelli- « gerent factum, delatores non pos- « sent apprehendere, ut dictum: et « contigit utrumque. » Gron. *Non autem ego intelligo hereditatem fidei commissam, nisi consciorum.* Aut *rem fidei c.* ut *li* in *litem* ex *intelligo* sit repetitum. Schult.

Digitized by Google

manifestas exigat probationes. Non est causa, quæ recipiat testem, non est causa, quæ recipiat consignationem: scrutamur conscientiam ejus, qui adversarius est. Totum ergo hoc judicum opus est, ut inveniant veritatem: quæ ita demum poterit esse manifesta in causis latentibus, et natura conditis, si nihil existimaverint exiguum, quo inveniri veritas possit. Sic ergo præparandus est animus judicum, ut etiam levioribus argumentis commoveri possit. Difficile est quidem natura probare tacitum fidei commissum: quomodo tamen probamus? Quædam, etiamsi per se firma non sunt, comparatione vincunt[1]. Hereditas aut ad pauperem pertinet, aut ad uxorem pauperis: si ad pauperem non pertinet, ad uxorem pertinet. Elogium scriptum est palam, certe, et manifeste: electus hic est ad transitum hereditatis: hujus silentium et fides est utique de restituenda hereditate: ergo debet restituere alicui: si non huic, statim interrogo cui? Habent hoc incommodi controversiæ scholasticæ, quod quibusdam respondere non possunt: et quædam incommoda hujus generis, etiam in foro aliquando descendunt: et ideo difficultatibus quoque utendum est.

DECLAMATIO.

Ergo tibi non debetur[2]: superest, ut alicui debeatur.

1. *Comparatione vincunt. Evincunt.* Schult. Vid. ad Decl. XVI, 10. — *Et fides.* Fides pro taciturnitate Senec. Thyeste. Schult. — *In foro.* Lege, *in forum.* Gron. — *Et ideo difficultatibus quoque utendum est.* Quintil. lib. X, c. 5, §. 8: « Sua brevitati gratia, sua copiæ: « alia translatis virtus, alia pro« priis. Hoc oratio recta, illud figu« ra declinata commendat. Ipsa de« nique utilissima est exercitationi « difficultas. » Ut illa, quam τῶν ἀπόρων quæstionem vocat Africanus, l. qui quadringenta. ff. ad leg. Falc. Ex illo capite Quintiliani, ut ex aliis locis supra Decll. CCLXI et CCLXXI, et CCCXVI, facile est judicare, cur ex Declamationibus, quæ omnes Coloratæ dici possunt, quasdam specialiter Tractatas appellet. Ærod.

2. *Ergo tibi non debetur.* Mariti argumentatio est: in qua supplere id oportet, Si me non rogavit, ut tibi uxori meæ (quamvis parum ea sit uxor, cum qua non modo jurgium est, sed lis) hereditatem re-

Digitized by Google

Non dicis; superest, ut huic debeatur. Fidei tuæ commissa hereditas est: quam committendi causam putamus? necesse est infirmam esse personam, cui restitui oportet: quum infirmam dico, non statim infirmiorem dico [1], quam te: non est: vitavimus per te [2], ipsam fortunæ imbecillitatem. Pauperem fecit heredem: ergo oportet inveniri personam, quæ possit esse sub tutela tua, cui minus tuto relicturus fuerit hereditatem, quam tibi: ergo infirmam personam oportet esse feminæ; et si quid ad hanc infirmitatem adjici potest, pauperis

stituerem: ergo tibi fideicommissum non debetur. Quia tamen me restituere voluit, superest, ut alicui jure debeatur: sed si quemcunque alium, te multo magis deficiet probatio. Quæ sequuntur, sunt uxoris, aut ejus advocati, argumentum illud mariti refellentis, et incumbentis in hoc maxime, ut probet divitem sui contemplatione, pauperem rogasse, non ullius alterius causa. Ærod.

1. *Non te statim infirmiorem dico.* Qui tacite nobis fidem accommodant (unde fiduciarii, et fiducia dicuntur) ob id facere necesse est, quod minus tuto iis nominatim relinquere, aut restitui jubere possumus, quibus maxime volumus, vetante aut lege, ut Julia Papia, Voconia, aut alia quavis honesta ratione, puta, ne liberalitas nostra eum, in quem benefici esse cupimus, in invidiam trahat, aut parum honestam suspicionem. Sit igitur infirma oportet ea persona, cui relictum volumus: et utique generaliter infirmior eo, per quem hereditatis nostræ transitum et transmissionem destinamus: sed sane in hac causa non infirmior. Nam quicunque is fit, non potest infirmior esse paupere. Restat ergo ut aliquis sit eorum, qui sub tutela et manu sint pauperis: cujus generis certum est antiquis Romanorum legibus, et hodie nostris, uxorem fuisse. De personis, quæ infirmæ dicuntur Paulus l. civitatibus. ff. de leg. lib. I: « Hoc amplius, inquit, « quod in alimenta ætatis infirmæ « (puta senioribus, vel pueris puel- « lisque) relictum fuerit: ad hono- « rem civitatis pertinere respondetur. » Et Ulp. l. 3, §. item si is, de lib. exhib. Ærodius.

2. *Non est: vitavimus per te.* Thadd. *non evitavimus.* Ærodius: *non te statim infirmiorem dico: quia in te non evitabimus hanc ipsam.* Immo tollendum illud prius *non*, quod contra mentem et artem declamatoris est. Sic enim ille voluit: *Quum infirmam dico, statim infirmiorem dico, quam te: non enim vitavit per te, ipsam fortunæ imbecillitatem.* Testator nimirum. Gron. Tollit et *non* Schultingius, vel legit per interrogationem. Deinde, *non enim vitavimus*, vel, *nos enim vitabimus.* — *Pauperis feminæ. Pauperi feminæ*, Ærod.

Digitized by Google

feminæ. Adsum huic feminæ: duxi ex tua persona argumentum, ducere ex nostra volo. Dico hunc animum fuisse divitis, ut hanc faceret heredem. Cujus fidei committit[1]? maritum scripsit heredem: ergo si neque inveniri persona infirmior potest altera, quæ tibi subjiciatur, quam hæc; neque familiarior huic, quam tua; credibile est, idcirco sic scriptum esse testamentum. Quædam argumenta etiam ex incommodis petenda sunt[2]: fuerit necesse est ratio aliqua et causa, propter quam dives non ipsam, ad quam pervenire volebat hereditatem, scripsit heredem: obstiterit oportet pudor; non ille prætereundi aliquem propinquorum; præteriit enim: non ille scribendi aliquem extrarium; heredem enim scripsit extrarium: non ille bona sua in aliquem humilem demittendi; demisit enim: obstiterit oportet familiarior aliqua causa: non poterat salvo pudore hanc scribere heredem. Postea vobis causam verecundiæ hujus approbabo, postea scribentis animum: interim fuit aliquid, quod obstaret diviti, quo minus hanc scriberet heredem. Quo merito, inquit, tuo te scripsit heredem? vox communis est: iisdem verbis interrogare te possum: quid merueras, ut te scriberet heredem? quamdiu etiam tertium non exhibes, cui debeatur hereditas, inter nos quæstio est. Si nominasses, fortasse et illi dicerem, quo merito? sed neque nominas ullum extrarium, neque vindicare tibi potes hereditatem: proinde nobis res-

1. *Cujus fidei committit. Heredem cujus mariti fidei committit, cujus maritum s. h.* marg. Ærod. — *Quam tua. Quam uxor tua*, Ærod. — *Sic scriptum esse. Huic scriptum esse.* Schult.

2. *Quædam argumenta e. e. i. p. s.* Videntur hæc potius Sermonis. Pith. Ita et Cl. Schultingius censet. — *Non ille reperiundi aliquem.* Lege, *prætereundi.* Æmon. Ita et Schult. et Obr. — *Aliquem extrarium. Al. ex. heredem: scripsit enim extr.* Ærod. — *Tertium. Extrarium*, marg. Ærod. — *Quamdiu etiam. Quamdiu enim.* Schult.

Digitized by Google

ponde: quo merito? nullo. Quis ignorat testamentorum fortunam? et esset fortasse in totum iniquum, requiri a nobis mentis alienæ rationem. Sunt quidam irrationabiles impetus animorum, quædam gratuita, ut vulgo vocantur, odia[1]. Quoties audivimus filium dicentem, quo meo merito pater me exheredavit? nullam rem frequentior admiratio sequitur. Sed tolerabile erat, si interrogaremur hic tantum de hereditate: altius convicium quæstio ista habet: quid? si non communis ista infamia fuisset? quid ergo? negem fuisse rumorem, qui adspergeret hanc feminam? tu scis, an vera sint: et præsenti fortasse liti vel expediebat confiteri: nam si istud, quod intelligi vis[2], verum est; utique hereditas nostra est: sed pecunia potius periclitemur. Nullum meritum uxoris tuæ adversus divitem fuit: quasi vero meritis tantum hereditates contingant. Interest, an ametur, qui amat? potuit hanc amasse feminam dives, salva hujus conscientia: erat speciosa; erat: potuit in hunc affectum incidisse. Multi sunt, qui testamenta sic scribant, tamquam illud ad vitam eorum pertineat: sic quidam heredes scribunt eos, quos captant, tamquam intellecturos, quamquam secreto scriptos[3]. Potuit ergo amor in causa esse, potuit ipsa pudicitiæ admiratio[4] in causa

1. *Gratuita odia.* Id est, sine ulla causa suscepta, quæ digna videri potest. Vide Cl. Wass. ad Sallust. Catilin. cap. XVI.

2. *Si istud, quod intelligi vis.* Immo, *quod intelligi non vis.* Patronus mulieris volebat intelligi, divitem amoris conscium fuisse: idque ex præscripto Fabii: dives aut ejus patronus id intelligi nolebant. Gr.

3. *Tamquam intellecturos, tamquam secreto scriptos.* Non nemo apud Ærod. *tamquam in amicitiam allecturos, tamquam ad se attracturos secreto scriptos.* Auctoris fuit: *Sic quidam heredes scribunt eos, quos captant, tamquam intellecturos, quamquam secreto scriptos.* Sperant enim quocunque indicio, quacunque occasione, id aliquando ad eos emanaturum, utcunque, quum scriberent, eos celaverint. Gron. Ita et Schultingius et Obr.

4. *Potuit ipsa pudicitiæ admiratio.*

Digitized by Google

fuisse : serit virtutum intellectum rerum natura : nulla tanta vitia sunt, quæ non meliora mirentur. Sed quatenus suspicamur[1], videor perspicere rationem, quare hoc tibi mandaverit : nondum illa opinio, nondum accusator videt : hæc tamquam ab advocatis audies ; ego de te suspicer : pauper eras ; vicinus eras : hujus noti mores, certa sanctitas. Argumento probavimus : quum rumor utrumque infamaret, tu reus factus es : a te lenocinium committi, dixit accusator, non ab hac adulterium : non ergo nova hæc erit suspicio mea, neque ex me nata. Id quod accusator tibi objecit, hodie credo ; locutum esse tecum divitem, egisse tecum, promisisse tibi multa ; novissime etiam jactasse testamentum.

Latro in illa Controv. apud Senec.: « Sic etiam qui impudicas quærunt, « pudicas honorant. » Ærod. — *Nulla tanta vitia sunt, quæ non.* Forte : *Nulli tam vitiosi sunt, ut non meliora mirentur.* Gron. Cur non, *nulli tanta vitia sunt, ut n. m. miretur?* licet et *mirentur* defendi possit. Burm. — Pervulgata est hæc sententia brevissime ab Ovidio et verissime expressa, Metam. VII, 19 : « Aliudque cupido, Mens aliud « suadet ; video meliora, proboque ; Deteriora sequor. » Quæ autem Ciofanus monet ducta ex illis Eurip. Hippol. vs. 380 : τὰ χρέοθ' ἱπιστάμιθα, καὶ γιγνώσκομιν· οὐκ ἱπιτοῦμιν δέ. Vid. et Hor. Epist. I, 8, 11. Ed.

1. *Suspicamur.* Id est, suspicionibus agamus, et secundum eas loquamur. Vide Cl. Schulting. ad Senec. Controv. II, pag. 91. — *Quare hoc. Propter quam h. t. m. n. illa (opinor) nondum accusator vidit : hæc tamquam adhuc vocatus audies, quid ego de te suspicer.* Ærod. — *Ego de te. Quæ ego de te,* Schult. Obrecht. — *Pauper eras. Pauper es,* Ærod.

Digitized by Google

CCCXXVI.

Legati filius victima pestilentiæ.

Qui pestilentia laborabant, miserunt legatum ad oraculum petendum: responsum est ei, filium ipsius immolandum esse. Ille nunciavit civitati sacra desiderari, filio verum confessus est. Sacris finitis pestilentia non est finita: filius processit in concionem, et se ipse interfecit. Finita pestilentia reus est legatus læsæ reipublicæ.

DECLAMATIO.

Æstimaveram, judices, consecutum esse me hoc saltem, ut sanguine meo servata civitas, datæ salutis grata meminisset[1]: atque eo magis, quod filius meus non necessitate immolatus erat, sed voluntate. Verum hoc adeo in contrarium cessit, ut inventi sint in hoc populo, qui, rem nescio indignatione magis dolendam, an vanitate ridendam, objiciant homini pestilentiam; et remedium deberi diis immortalibus, putent. Si quid vero passi sumus tali remedio dignum, nostræ infirmitati assignabitur.

SERMO[2].

Fere commendatio per hæc petenda erit: quæ illi diffi-

1. *Datæ salutis gratia meminisset.* Ærodius: *data salutis gratia meminisset.* Scribendum: *datæ salutis grata meminisset.* Gronov. — *Nescio indignatione magis dolendam, an vanitate ridendam.* Rei ipsius affectionem significat *vanitas;* non hominum. Talem igitur quoque vocem citerius positam credibile est. Ergo, *nescio indignitate magis dolendam, vanitate ridendam.* Gron. — *Tali remedio dignum. Tali remedio, dignum nostra infirmitate affirmatur,* Schult. *Affirmabitur,* edit. aliæ.

2. *Sermo.* Præmittit hunc Æro-

Digitized by Google

cillima est. Quod ad quæstiones pertinet, primæ communes sunt fere omnibus controversiis, quæ hac lege continentur. Quærendum est enim, quid sit lædere rempublicam; et paullo fortius in hac controversia, in qua tractatum esse pestilentiæ malum, hoc nuncio manifestum est.

DECLAMATIO.

Postea ergo causam ipsam defendemus, postea factum commendabimus: interim satis est, non esse me hac lege, qua deferor, nocentem. Sane credatis imputari mihi posse civium mortes? sunt jura, quæ istud defendant. Non esse explicitam legationis fidem dicitis: habet hæc quoque lex actionem suam. Neque est quærendum apud vos, an alio judicii genere damnari possim, interim hoc jus[1] ad me non pertinet: aut si reipublicæ lex est, hæc nihil ad hominum mortes, nihil ad ea, quæ privatim quoque vindicari possent. Objicias oportet aliquid, quo publicum fuerit per me læsum: in hoc nihil objicis mihi, præter mortes hominum: quod crimen an verum sit, postea viderimus: interim, ut dixi, legi et juri conjunctum non est[2]. Mora tamen mea aliquid de-

dius Declamationis initio, *Æstimaveram.* — *In qua tractatum esse pestilentiæ.* Ærodius: *controversia, quia contractum.* Forte: *in qua tractum esse pestilentiæ malum ab initio, manifestum est.* Vel, *hoc silentio.* Tractum, id est, diutius dilatum. Gron. *Tractandum esse.* Sch. *In qua tractum esse p. m., hoc initio manifestum est,* Obr.

1. *Interim hoc jus.* Francius legebat, *dum interim alio judicii genere.* Actionem male obitæ legationis intelligit Ærodius. — *Aut si reipublicæ lex est. Nam si reipub. lex est;* dictum autem pro *reipub. læsæ lex,* ut lex majestatis, pudicitiæ, etc. in quibus *læsæ* subintelligitur. Schult. *Aut si reip. læsæ lex,* Obr.

2. *Legi et juri conjunctum.* Ærodius: *Lex huic juri.* Scribe: *Quod crimen an verum sit postea videbimus: interim (ut dixi) legi huic conjunctum non est.* Gron. *Legi: isti conj. n. est,* Obr. Nescio cur displiceat *legi et juri*: quæ sæpe conjungi docuimus, ad Decl. XV, 3: ita supra dixerat: « Non esse « me hac lege nocentem; » et deinde: « Sunt jura quæ istud defen-

Digitized by Google

trimenti civitas accepit: si hoc defenderem infirmitatem animi mei, satis defensionis esset, non odio me civitatis fecisse. Filium meum immolandum esse dixerat deus: putate egisse me, ne immolaretur: hostias cædi[1] mirabamini? quid? vos non maluistis? Exorare posse solemnibus sacris existimabamus deos: quid? vos hæc remedia non tentastis? Secum quisque cogitet, quantum mihi impositum onus, qualis exacta vox: sed ne mentitus quidem sum; sacra exigi a diis immortalibus dixi: non sacra exigebantur? non sacris placati sunt? alioqui nihil me fecisse surripiendæ hostiæ gratia, cui non manifestum est? indicavi filio maximi animi. Ergo ne hac quidem venia dignus est pater, si hoc filio voluit deberi, quod moriebatur? quod quidem neque consilii mei, neque voluntatis primum fuit. Credite eum, qui legatus missus sit, credite eum, qui responsum acceperit, renunciaverit, nihil animo suo, nihil propria mente fecisse: hoc profecto quærebatur exemplum, ut narraretur juveni[2], qui pro republica mortem non recusavit, qui in conspectu civium visceribus suis ferrum immersit. Non potuisse aliter finiri pestilentiam, quomodo vultis approbem? sic finita est: non enim profecto dii immortales pœnam petebant, nec in suppli-

« dant. » Alios legere, *lex læsæ reip. huic crimini conjuncta*, notat Ærod. Burm. — *Si hoc defenderem infirmitatem.* Ærodius, *hic.* Lege: *si hoc defenderem infirmitate animi me, non odio civitatis fecisse, satis defensionis erat.* Gron. *Infirmitate animi mei, non odio me civitatis fecisse, satis defensionis esset*, Sch. At Obr. vulgatam servat, nisi quod *infirmitate* legit.

1. *Hostias cædi.* An, *hostiarum cædes indignabimini. Quid? vos.* Sch. —Alii; *Num verberamini?—Existimabamus. Existimabam.* Schult. — *Non sacra. Nonne sacra*, Ærod. — *Non sacris. At non satis pl. s. sed alioqui*, Ærod.

2. *Narraretur juveni. Juvenis*, Ærod. Schult. ad Senec. Controv. lib. IV, Controv. 28, pag. 283. — *Magna anima.* Horat. Od. I, 12, 37: « Animæque magnæ prodigum « Paullum. »

Digitized by Google

cium filii hoc responsum dederant civitati: magna arcessebatur anima: debuit duci[1] honesta via: quem igitur potius in fine actionis meæ invocem, quam illum mihi proprium deum?

CCCXXVII.

Sterilis trium noverca.

Introducta tribus privignis[1], sterilitatis medicamentum bibit: repudiata, injusti repudii agit.

DECLAMATIO.

Quod primum pertinet ad pudorem hujus feminæ, non adulterium objicitur, non aliqua adversus maritum licentia: necesse est plurimum ejus moribus tribuat, ex qua liberos quærit. Omnis repudii causa in crimine uno consistit: hoc quale sit, postea videbimus: interim unum est, in quo mortalium tanta facilitas, nec de femina loquor, cujus infirmior sexus est, sed in ipsis etiam, qui prudentia, sapientiaque gloriari solent, habet locum pœnitentiæ. Sed unum sit sane grave, sit scelestum, et hercule, credibile erit, in ea, quæ tres privignos habuit: exspecto ex his aliquid novercalibus

1. *Duci.* Ad supplicium, voc. solemni et proprio. Vid. Decl. CCCXV.

2. *Introducta tribus privignis.* Lege: *inducta.* Gron. Ita Val. Flac. II, 132: « Carasque toris inducere « Thressas. » Tacitus XII, 2: « Longe rectius Lolliam induci. » Et infr. Decl. CCCXLVII: « Qui ad « domum meam inductus est, » et passim in his Declamation. Recte etiam *inducta privignis*, ut Plin. Epist. VI, 33: « Femina splendide « nata exheredata ab octogenario « patre, intra undecim dies, quam « ille novercam ei, amore captus, « induxerat. » Burm.

Digitized by Google

factis. Venenum paravit? insidiata est liberis tuis? vel, quod levissimum est, expugnare animum tuum voluit? nihil horum: novum et inauditum antea crimen[1], noverca nimium dicitur amare privignos, sterilitatis medicamentum bibit. Si tu liberos non haberes, poteram tamen illa dicere, periculum timuit, documentis quarumdam infeliciter parientium mota est, fortasse male sensit de temporibus ipsis: vidit eam luxuriam, ea vitia, ut pæne educare liberos amentis esset. Tu porro in uxore nihil aliud exspectas[2], quam fecunditatem? non parit; sed obsequium, sed fidem præstat. Sed jam tempus est propriis eam rationibus defendi. Bibit illud, quum tres liberos haberes: nec statim hoc amore et affectu defendo: interim tamquam ambitiosam tuebor: voluit effugere fabulas novercarum, voluit adversus casus etiam præparare: illam nihil in domo habere[3], propter quod privignis invideret. Quid? si fecit hoc non modo novercæ, sed etiam uxoris optimæ animo? plenam invenerat domum, plenum testamentum. Quid mihi, inquit, cum partu erat? dederat mihi fortuna juvenes: neque mari-

1. *Novum crimen.* Ironia, et imitatio Ciceronis pro Ligar. cap. 1: « Novum crimen, C. Cæsar, et ante « hunc diem inauditum. » Vid. ad Inst. Orat. IV, 1, §. 38. Burm.

2. *In uxore nihil aliud exspectas.* Potius, *nihil aliud spectas.* Gron. Ita Obrechtus, et millies ita peccatum fuit.

3. *Illam nihil in domo habere.* Ærodius: *Item in domo.* Scribe: *Voluit effugere fabulas novercarum: voluit adversus casus se jam præparare: voluit nihil in domo habere, propter quod privignis invideret.* Gron. *Præparari illa. Nihil in domo,* Schult. *Præparare illam: nihil in domo,* Obr. *Voluit se adversus casus etiam præparare. Item nihil,* Ærod. *Adversus casus se etiam præparare. Illa nihil in domo,* vel *præparare illa. Nihil,* etc. Rest. de rat. emend. leges, c. XIV, §. 9. — *Sed etiam uxoris optimo animo.* Potius, *optimæ.* Gron. — *Plenum testamentum.* Id est, cui satis esset heredum, quibus legata sint universa testantis bona: vid. Cl. Schult. ad Senec. Contr. II, 15, p. 203. Vid. ad Decl. 1, 3. Aliter *plena domus* etiam est dives, Horat. Od. IV, 12. Burm.

Digitized by Google

tus ejus ætatis est, ut concupiscere novos liberos possit: ne fraternitatis quidem eadem jura futura erant, inter tam dissonantes tamque discordes. At nunc expellitur: et quoniam bona fuit noverca, nec liberos habitura est, nec virum.

CCCXXVIII.

Discordes fratres.

Filii familiæ duo adolescentes fratres dissidebant: juncta erant eorum cubicula. Quodam tempore audito tumultu in interiore parte domus, venit pater in eum locum, in quo clamor erat, invenit alterum ex filiis occisum. Cubicularium ejus torsit, et occidit in tormentis: quid compererit, incertum est. Interrogavit illum filius quid comperisset: non indicantem accusavit dementiæ. Absolutus est pater: juvenis parricidii accusatur: adest illi et pater.

SERMO[1].

Rei persona ante omnia infirmatur, et necesse est nos ab ea incipere. Prius ergo sumimus id, quod prius videtur esse in persona. Occidisse dicitur fratrem, hoc etiamsi non possumus efficere, ut in rerum natura non esse videatur, eo tamen perducemus, ut non facile credatur.

DECLAMATIO.

Objicitur reo discordia cum fratre, et hoc priusquam ad causas pertineat occidendi, ad crimina personæ admittimus: discordia cum fratre. Ante omnia[2], com-

1. *Sermo.* Hunc omisit Ærodius.
2. *Discordia cum patre. Ante omnia.* Ærodius: *cum fratre.* Haud dubie recte. Dein, *commune male-*

Digitized by Google

mune maledictum est cum eo, qui vindicatur, et penes quem culpa fuerit, magis potest pater scire, quam accusator. Asperiorem esse autem adversus suos, interim et fiduciæ argumentum est: et hoc adeo non valet ad probationem tanti criminis, ut contra sit; jam enim transimus ad causas. Dicitur occidisse fratrem inimicum, non dico illa, Non protinus, si causæ sceleris sint, scelus quoque constat: utinam enim ita composita esset natura rerum, ut omnia facta causas superarent. Plures erant, propter quas non occideret; nam erat occidendi, quod inimicus est: non occidendi, quod frater est: non occidendi, quod periclitaturus: non occidendi, quod ipsa per se innocentia satis justas rationes habeat. Ergo non continuo sequitur, ut si quis odio aliquo concitatus est adversus alium, hunc etiam ferro exstincturus sit: an vero innocenter inimicitias geri vel inter alienos, vel inter extrarios fas non est? quotidianis jurgiis forum strepere, assiduas lites videmus: quis non dies convicia, quis non maledicta affert? scelus ex natura [1]mentis oritur. Huic vero etiam ad causas metuendi sceleris accessit, quod jurgium ei cum fratre palam fuerat. Cauta sunt hujusmodi scelera et circumspecta: neque enim est quisquam tam perditus, tam inutilis sibi, ut non ista committat proposito negandi. Et mehercule quam

dictum est omnibus qui accusantur. Sed penes. Hoc probare non possum. Discordia, inquit, est commune maledictum: hoc est, quo tam læditur mortuus, quam vivus, quando non constat, penes utrum fuerit culpa. Sic supra Declamat. CCCXXI: « Discordes, inquit, fuis- « tis. Nondum rationem hujus cri- « minis reddo: illud interim testor, « hunc bonum amicum utrique ma- « ledicere. » Gron. *Admittimus discordiam*, etc. Sch. *Discordia cum fratre?* Obrecht. — *Causæ sceleris.* Sic maluimus ex Bip. et Hack. pro *causa sceleris.* Ed.

1. *Ex natura mentis.* An, *ex natura meriti?* id est, admissi, ut Just. I, 6, 8: « Meriti sui in Harpagum « oblitus. » Hic erat meritum, vel admissum in fratrem, quod non facile vindicatur cæde. Schult.

Digitized by Google

hoc ipsum repugnat, quod ab accusatore pro potentissimo ponitur, quod in cubiculo suo occisus est, quod in lecto suo? nihil minus commisisset percussurus, quam ut hoc ei objiceretur. Latrones longe a receptaculis suis spoliant: ferarum quarumdam dicitur hæc esse natura, ut procul a cubilibus rapiant. Fratrem discordem in domo, in cubiculo occidit, ut qui neget[1]? Sed ne apud ipsum quidem accusatorem hæ causæ satis valuerunt: neque enim servi torquendi ratio erat, si fecisse filium existimarem: desinite ergo hoc uti argumento, et me testem citare contra eum, qui defenditur. Servum torsi: quis nescit hoc accidere nihil indicanti? servum torsi, cubicularium ejus, qui occisus est: nihil in servo suspicatus sum alterius filii. Nec potest mihi objici negligentia quæstionis; quæsivi enim: nec in hac diligentia[2], suspicio adversus filium alia: ipse demum, qui erat percussus, quæsivi. Quid ergo, inquit, in tormentis confessus est? dura est conditio interrogationis hujus, quum id quæritur, quod si respondeas, non creditur. Vis enim, accusator, voce mea stari? vis credere judices, quidquid respondero? das etiam mihi fingendi libertatem: propter hoc ipsum perdam necesse est fidem, quod mihi dicere licet, quidquid voluero. In alia[3], inquam,

1. *Ut qui neget.* Ærodius: *ut nihil neget.* Idem sensus in altero exquisitiore genere loquendi. Sic Liv. lib. XL, 13: «Venena, gladios, « voluptabam in animo: ut quibus « aliis deinde sacris contaminatam « omni scelere mentem expiarem? » Lib. XLIV, 39: « Sine ulla sede vagi « dimicassemus, ut quo victores « nos reciperemus? Gron. *Occidit, ita quis neget?* Schult. — *Valuerunt. Valere poterunt*, Ærod. — *Qui defenditur. Qui a me def.* Ær.

2. *Nec in hac diligentia.* An, *sed nec in hac indiligentia*, Schult. — *Adversus filium alia. Adversum filium alium, ipsum enim, qui erat percussor, quæsivi*, vel, *ex ipso enim q. e. percussoris, q.* Schult. *Ipse demum quomodo erat percussus quæsivi*, Francius. — *In tormentis.* Desunt Ærod.

3. *In alia. In aliam, inquam, partem.* Schult.

Digitized by Google

parte filio meo conferam, si qua potero: advocatus[1] pro testimonio mihi remittet. At ne sic quidem filio indicasti: qui hoc colligis, noluisse me dicere, quod contra ipsum erat: quæ ratio tacendi fuit? si filium meum fecisse credebam, quæ ratio tacendi apud ipsum? nam sive irascor, vindicari possum hac voce, quam contra illum habeo: sive imputare indulgentiam volo, plus illi præstitero, si scierit se fecisse. Cur ergo non respondi? jam videor judicibus reddidisse rationem: sic enim causam agebam, Non respondeo filio nimium curioso: quid est enim utique, cur indicare necesse sit? Non respondeo nunc, quoniam sic instat: adjiciebam huic: nihil respondeo, quoniam nihil certi scio: non respondeo, quoniam non credo aliquid dicenti[2]: non respondeo, quoniam adhuc quæro: non respondeo, quoniam hoc inquisitioni meæ non expedit: non respondeo, quoniam illum, ut interrogarem, torsi. An vero parum justas sæviendi causas habebam adversus cubicularium? dominum suum non defenderat, non servaverat; nesciebat, quis dominum suum occidisset. Sed si argumentum ex his trahimus, non est majus contra filium meum silentium, quam pro ipso, quod accusavit, quod detulit. Irascor quidem huic ejus pertinaciæ: sed quandoque[3] vindicabo, quomodo fas est, quomodo oportet? Verumtamen qua fiducia fecit, quod me non timuit offendere? Judices, inquit, quum te absolverunt dementiæ, hoc judicaverunt, a filio fratrem videri occi-

1. *Advocatus. Et* (vel *ut*) *advocatus: porro testimonium mihi remittetur.* Schult.

2. *Dicenti. Indicanti*, Ærod. — *Illum ut interrogarem, torsi.* Vet. Cod. *illum interrogatum torsi.* Pith. Ita Ærod. et Obrecht. Sed Schultingius vulgatam ita explicat, torsi, ut interrogarem, non ut alii dicerem.

3. *Sed quandoque.* Scribe: *Irascor quidem huic ejus pertinaciæ: et quandoque vindicabo.* Gronov.

Digitized by Google

sum: nihil minus: nam si filius meus fratrem occidisset, patrem impie accusaret: demens eram, quod respondere[1] tam furiose poteram, quam si vivere cum eo, quem cruentas manus habere sciebam? erit ergo adeo non damnatio ista filii mei, ut possit videri etiam absolutio. Hæc ego de causa dico ipsius: permittetis mihi in summa parte causæ uti etiam persona mea. Ego istum, si filium meum occidisset, defenderem? qualem me patrem judicatis? asperum; et ego pro filio mentiar? mitem, indulgentem; et ego non vindicabo illum, qui occisus est? inter liberos hæc una differentia est apud animum patris, quod semper majorem locum habet is, cujus miseremur. Neque hic sane meruerat, ut a me nisi innocens defenderetur. Reum me detulit, sordes mihi induit, ad judicem vocavit, sentiet hoc quale sit, quum testamentum scribam: sentiet, quum tristitia indulgentiam meam requiret. Quid est ergo? mentiri, ne iratus quidem possum: est filius contumax, est patris sui accusator? sed fratrem non occidit. Neque ego istum in ulla alia parte absolvendum puto: nec hodie veni in hoc judicium tamquam advocatus: nihil rogabo, nihil precabor[2]: illud tantum meæ pietatis gratia, meæ tantum conscientiæ causa faciam, ne videar istum silentio pressisse.

SERMO.

Ne quem vestrum ducat illa species, ut videatur hic esse aliquid momenti habiturus apud judices, si miserabilem se fecerit: si amisso altero filio deprecatus fuerit pro juvene.

1. *Quod respondere. Tam quod respondere*, Obr. — *Tam furiose. Tam furioso*, Schult. *Tam curioso*, Obrecht.

2. *Nihil precabor. Nihil deprecabor*, ut mox in sermone, Francius; et ita Ærod. — *Silentio pressisse.* Ærod. *perdidisse.*

Digitized by Google

Sunt ista in aliis causis potentiora: hic pater, nisi prior securus est in hoc judicio: mentitur pro filio: non tam illi opus est opera advocati, quam fide testis.

CCCXXIX.

Sepultura tyranni, qui se occidit.

QUI TYRANNUM OCCIDERIT, IN FORO SEPELIATUR. In pestilentia responsum est tyrannum occidendum. Ipse sese occidit: petunt propinqui, ut in foro sepeliatur.

DECLAMATIO.

Ingens calumnia! pudet mehercule me [1] actionis: nunc ego negabo. Quid, si ostendero eum, qui civitati libertatem abstulerit, qui leges sustulerit, qui templa violaverit, qui injuriis nostris iram deorum immortalium commoverit, tyrannicidam non fuisse? Multum alioqui effecisse oratione mea videbor: interpretanda nobis legis ipsius voluntas est: quid spectaverit ille, qui constituebat, diligenter, ut res est, et alte exquirendum atque eruendum [2]. Ego mihi arbitror, judices, pauca pro legumlatore esse dicenda, ne tam obscure hoc occulteque scripsisse videatur. An non est hoc omnibus, qui modo ad intellectum sermonis pervenire possunt, lucidum atque manifestum, eum, qui legem ita composuerit, ut si qui tyrannum occidisset, in foro sepeli-

1. *Me actionis. Me hercule meæ actionis: num ego negabo? Ærod. — Novæ actionis*, marg. — *Nunc ego negabo. Quid nunc ego negabo?* SCHULT. *Nunc ego negabo* (*quid si ostendero*) *eum, qui*, etc. Obr.

2. *Et alte exquirendum atque eruendum.* Vet. Cod. *erudiendum*, et paullo post, *si ad deos existimemus pertinere præmia.* PITH.

Digitized by Google

retur, locutum de duobus? non intelligit aliquis[1] alium esse eum, qui occidat, alium, qui occidatur? Argumentis scilicet agendum est, et in exemplum afferendæ aliæ quoque leges. Dicam nunc ego, QUI PULSAVERIT ALIQUEM, INJURIARUM TENEATUR: nemo tamen tenebitur, qui se ipse pulsaverit: nam illud quidem ridiculum, ut opinor, omnibus vobis futurum est, si in exemplum proximam similitudinem adduxero, ac negavero teneri lege ulla eum, qui se occiderit. Est porro hoc manifeste reprehendendum, si ad eos existimemus pertinere præmia, ad quos pœnæ pertinent. Bene scilicet de republica meruit, quod aliquando finem imposuit harum calamitatum: illi scripta lex est. Non ille, qui componebat hæc jura, sic locutus est[2]? Non est satis ei, qui servitutem reipublicæ detraxerit, qui monstra hæc, quibus libertas laborat, qui homines adversus deorum hominumque injuriam natos, et in exemplum scelerum constitutos, quo magis ea odissemus, occiderit, dum vivit, tantum honorari: non sufficiunt magistratus, nec satis sunt tituli? habeatur aliquis etiam morti honor, et ad

1. *Non intelligit aliquis. Non intelligimus aliquem.* Sch. — *Proximam.* Vid. ad Decl. XIII, 10. — *Lege ulla. Lege illa,* scilicet injuriarum. Sch. — *Existimemus. Existimamus,* Ærod.

2. *Non ille qui componebat hæc jura, sic locutus est.* Post hæc verba inserit Ærodius: *Qui sese tyrannum occiderit:* quasi consilium fuerit auctori ponere aliquid, quod negare posset, in formula legis haberi. At τὸ *Non* per interrogationem accipiendum, quasi esset *Nonne.* Quod autem locutum legislatorem vult, id statim explicatur ab his, *Non est satis,* usque ad ista, *tyrannicidæ armentur.* Locutus est autem ista vel apud sese, hoc est, cogitavit, quum conderet legem: vel in concione ad populum, quum eam suasit. Gron. — *Non est satis. Non est satis, inquit, ei.* Schult. — *Adversus deorum.* An non, *ad deorum hom. injuriam natos:* ita enim amant loqui veteres. Florus de Gallis I, 13, 4: « Gens nata ad interitum « hominum. » Et supra Declamat. CCXCVI: « Homo in adulationem « natus. » Et ita passim alii. Burm. — *Morti honor. Morti* non habet Ærodius.

Digitized by Google

exemplum posteritatis ostendatur in foro sepulcrum, ne quis audeat tyrannus esse: ut omnes homines monumentis hujus sciant, quibus præmiis adversus tyrannos tyrannicidæ armentur[1]. Ita nunc hic tamquam bonus civis, ita tamquam liberator hujus civitatis honorabitur? sic est hercule[2], judices, sic est: si hunc civitas non habuisset, serviremus etiam nunc, et gravissima illa tempora, quæ diu passi sumus, sustineremus. Exspecto mehercule, ut cujuslibet impudentiæ accusatores, sic quoque opus ejus augere atque exaggerare conentur. Occidit tyrannum non hunc vulgarem, et usque ad nomen tantum nocentem: plus aliquid, quam cæteris constituamus. Occidit tyrannum crudelissimum, sævissimum, expugnatorem non pudicitiæ modo et patrimoniorum nostrorum, et principum hujus civitatis, sed templorum omnium et cerimoniarum, nec hominibus magis, quam diis immortalibus invisum. Vera sunt quidem ista, judices: sed si velimus suum titulum reddere liberatoribus nostræ civitatis, illum dii occiderunt. Non enim contenti advocati partis adversæ hac legis calumnia, etiam bene meruisse eum de republica nostra dicunt: quod audito responso ipse se percussit. Ego porro etiamsi confiterer, plurimum eum reipublicæ morte sua præstitisse, non tamen inter beneficia ducerem injuriæ finem. Nunc vero quis ignorat, quam multæ eum necessitates ad exigendas a seipso pœnas impulerint? Si tantum hoc dicerem, Quum salus esset proposita civitati hoc silentio[3], ut tyrannus occideretur, quis non nos-

1. *Armentur. Ornentur*, Ærod.

2. *Sic est hercule. Siccine est h. j. sic est. Sic* interrogative. Schult. — *Sustineremus.* Vide ad Calpurn. Declamat. XV.

3. *Quum salus esset proposita civitati hoc silentio.* Forte, *hac conditione.* Alii apud Ærodium, *hac consideratione.* Gron. *Hoc scilicet pretio*, Obr. *Hac pestilentia.* Scu.

Digitized by Google

trum in arcem rueret? quis non subderet faces? quis non concremare pestem illam reipublicæ vellet? Vidit animos nostros, vidit impetum: non enim vulgaria sacramenta ducebant[1]: nec sicut adversus alios tyrannos tenebant, injuriæ tantum dolore urgebamur. Incredibile est, quid non ausura fuerit libertatis et salutis necessitas: quid enim dicam, quam invisus ille diis immortalibus fuerit? nos non ferebant, et patientiæ nostræ irascebantur. Si hunc tantum vitasset impetum, nihil tamen ipsi deberemus. Age illud, quamquam demens et sceleratus, et furiosus, non vidit effugere se non posse, quando eum dii immortales mori vellent? Pestilentia innocentes rapiebantur: non mehercule aliam fuisse causam, judices, existimo, quod huc deducti sumus. Quid? in illa labe totius civitatis, dii immortales non tam tacite intelligi, quam publicare pœnam tyranni voluerunt: parum existimaverunt, si illum alius occidisset: ne quis itaque existimet, ultionem tantum nostram ad animos hominum pertinere. Illam, illam ego, judices, jam nunc video pestilentiam. Nam si fuit causa morborum, quod homo in civitate nostra, sua tamen mente, suoque proposito arcem occupasset, quod libertatem abstulisset; quo tandem modo ulciscentur dii immortales id, quod nos fecerimus? Corpus illud om-

1. *Non enim vulgaria sacramenta ducebant.* Perperam vir doctus: *non enim tanti vulgaria sacramenta ducebantur.* Sacramentum ducit et adigit militem ad invadendum hostem. Ita, inquit, non tralaticiæ et vulgares causæ nos invitabant ad tyrannum oppugnandum. Sic Decl. CCCV: « Qui paullo ante arma « minore sacramento tuli; » id est, non tam gravi causa bellandi. Decl. CCCLVII: « Accessisse novum amo- « ri suo sacramentum. » Seneca, de Brevit. vitæ, c. 5: « Tot nobiles « juvenes adulterio velut sacramen- « to adacti. » Habes et apud Florum, lib. III, 10, 3, et 18, 9. Gron.— *Sicut adversus alios.* Vet. cod. *adversos.* Pith. — *Tenebant. Tenebamur, quia inj.* etc. Schult. Delet vero Obr. *tenebant.* — *Si hunc tantum.* Intrudit Ærod. *igitur si hunc.*

Digitized by Google

nibus, sibique ipsi damnatum, publicis scilicet exsequiis efferemus? Hoc agite, ducatur ingens funeris pompa; eat primus senatus, et ordo ille sanctissimus, quamquam recepta modo libertate lætus, vultus tamen habitusque ad mœstitiam transferat: dum maxima multitudo quæque[1], dum universus denique populus lustret atque ambiat rogum; adjiciamus et lacrymas. Perdidimus tyrannicidam, et vindicem reipublicæ et libertatis auctorem! tum domum reversi narremus liberis nostris; Hæc virtus habet præmia. An aliquis etiam rostra conscendet, et (qui supremus claris civibus honor habetur) advocata populi concione, laudes ejus, quem in foro sepulturi sumus, concinet? Audient dii immortales, qui nos pestilentia liberaverunt, qui gravissimos morbos propitii miserunt[2]? Si ulla est dicenti fides, jam nunc in hac cogitatione, atque in hac rerum imagine versatur mens mea. Ex illo succenso tyranni rogo surrecturi mihi protinus morbi videntur: et quacunque feralis ille ignis in civitatem diros illos atque exsecrabiles diffuderit fumos, gravem quamdam pestilentem nubem supra domos nostras ac tecta sessuram.

1. *Dum maxima multitudo quæque.* Fortasse: *tum maxima multitudo equites, tum universus denique populus.* Gron. *Tum m. m. q., tum universus*, Schulting. *Tum m. m. eques, tum un.* Obr. Forte, *proxima multitudo eques.* Nam *proximus* et *maximus* confundi vidimus ad Vellei. Paterc. II, 36. *Proxima*, secunda a senatu. Burm.

2 *Miserunt. Emiserunt*, Ærod. Malim, *remiserunt.* — *In hac rerum imagine.* Virg. VIII, 730; et XII, 665; sup. Decl. CCLXXX; infr. Decl. CCCXXXVII: « Penates, qui « mihi quotidiana imagine adhuc « versantur ante oculos. » — *Succenso tyranni rogo.* Flor. III, 23, 1: « Fax illius motus ab ipso Syllæ « rogo exarsit. » — *Quamdam pestilentem. Quamdam ac pestilentem*, Schult. Franc. Mallem, *pestilentemque*, vel *pestilentiæ.* — *Sessuram.* Hinc confirmatur lectio scripta apud Livium XXII, 30: « Tan« dem eam nubem, quæ *sedere* in « jugis montium solita est, cum « procella imbrem dedisse. » Ovid. Met. I, 267: « Fronte *sedent* ne« bulæ. » Burm.

Digitized by Google

Quæ tunc responsa petituri sumus? quod [1] auxilium homines, qui hanc quoque diis immortalibus injuriam facimus, ut videantur salutare illud reipublicæ responsum pro tyranno dedisse?

CCCXXX.

Abdicandus qui alit adulteram matrem.

Crimine adulterii repudiavit quidam uxorem, ex qua juvenem habebat filium: adolescens accessit ad patrem, et ait, amari a se meretricem. Dedit pecuniam illi pater: ille matrem egentem alere cœpit, patre ignorante: comperit pater, et ob hoc abdicat filium.

DECLAMATIO.

Non ignoro, exspectatione criminis me onerari, ex hoc præcipue, quod abdicans indulgens pater [2]: itaque ne illa quidem dicere, quæ initio defensionis solemnia cæteri habent, possum. Ecquid peccavi [3]? numquid luxuriatus sum? numquid bona paterna consumpsi? numquid meretricem amavi? cum eo mihi patre res est, qui remissurus hæc fuit. Utinam profutura ista frugalitas esset apud patrem! nunc omnis judicii scena [4], omne periculum meæ dignitatis ex hoc oritur, quod pecuniam

1. *Quod auxilium.* Potest quidem repeti *petituri*: sed puto tamen commodius fore, si verbum intercidisse credamus, et legamus: *quod auxilium speraturi.* Burm.

2. *Quod abdicans indulgens pater.* Ærodius: *quod abdicans indulgens pater est.* Cur non, *quod abdicat.* Gron. An, *abdicavit?* Sch. *Abdicat*, Obrecht. *Abdicans i. p. est. Ita ne illa*, Ærod.

3. *Ecquid. Et quid.* Ærod.

4. *Scena.* An, *pœna?* Francius. Nihil muta. Vid. Decl. IX, 10.

Digitized by Google

non meretrici dedi: in hoc enim, ut opinor, omnis criminatio divisa est patris, quod matrem aluerim, quod talem, quod patre ignorante. Quod sic matrem alui (blandior mihi adhuc, pater), erat quod in me laudari posset, si aliquid objiceres[1]: itaque defensionem hujus partis jucundam præteribo, ne quam quæsisse videar occasionem, qua de meis laudibus loquerer. Sed repudiatam tamen crimine adulterii alui: satis erat mihi respondere, judices; Istud qualecunque est, ad filium non pertinet: mariti mores excutiant, mariti severitatem desiderent: liberis satis est, quod nati sunt. Et hercule[2] facilius mihi vindicandi potestas ab ipso crimine est, quod non est litigatum, non est quæsitum, non est pronunciatum, maledictum fuerit, an crimen; constantia mater discesserit, an verecundia; una te suspicio, an certa aliqua probatio ad hoc duxerit: in utrumque me ratio ducit: aliquid audisse te credo: repu-

1. *Si aliquid objiceres. Si alius objiceret.* Schult. *Ni aliquid aliud objiceres*, Ærod. — *Mores excutiant. Mores uxorum excutiant*, Er.

2. *Et hercule. At hercule, facilior mihi judicandi*, etc. Schult. — *Non est pronunciatum.* An mater mea adultera fuerit, sed simpliciter, et quasi domestico judicio hoc nomine repudiata est, tamquam adultera, et causa adjecta impudicitiæ: propter mores graviores, ut inquit Ulpianus tit. de dotibus. Ærod. — *Constantia mater discesserit, an verecundia.* Scribe: *conscientia mater discesserit.* Quod culpæ sibi conscia esset. Gron. Permutantur certe hæc duo vocabula etiam in Declam. XVII, 9, et hic optimum sensum habet *conscientia*, quare et Obrechtus recepit. Vid. ad Decl. I, 7. — *Una te suspicio.* Vox *certa* quæ sequitur requirit contrariam, quæ est *vana*, ut legendum puto: nam *unus* et *vanus* passim permutantur. Vide Drakenborchium nostrum ad Sil. V, 126: sic puto et apud Livium, lib. XXII, 39, legendum: « Nec « gloriandi tempus adversus va- « num est. » Ubi nunc *unum* circumfertur; apud Curtium quoque, lib. IV, 14, scribo: « Nam Alexan- « der, quantuscunque ignavis et ti- « midis videri potest, vanum ani- « mal est, et si quid mihi creditis, te- « merarium et vecors: » non *unum animal*. Contra in Declam. X, 11, Obrechtus pro *vana ratio*, rescripsit, *una*. Burm.

Digitized by Google

diasti : nihil certum manifestumque cognovisse te credo ; tantum repudiasti. Qualecunque tamen istud est, non mediocrem habet morum suorum defensionem, vel ipsam egestatem : illa prostituta, quæ se omnium amoribus permisit, fame jam periisset, nisi filium habuisset. Neque ignoro mea vel tarditate, vel verecundia factum, quod mihi causa matris meæ hic agenda est, quod tam sero, quod nunc demum, postquam ipse, dum misereor, offendi. Utinam adjicere[1] apud te voluisset illa, quæ mihi quotidie ait : Ita, ego adultera hoc tempore, in hac potissimum ætate, post filium, et post filium juvenem : affirmat ideo se cibos accipere, ideo protrahere vitam, ut tibi de pudicitia sua liqueat : sunt ista, quæ movere te quoque potuerint. Ego tamen in præsentia, omissa omni defensione, illud respondere contentus sum ; Qualemcunque alui : quantulum est enim, quod præstiterim ego illi, etiam invidiosæ pietatis filius? non plus in matrem contuli, quam quod patereris datum esse meretrici. Sed clam et ignorante te : unde mihi tantam felicitatem, ut hoc crimen sit? Volo itaque interrogare præsentibus his, quos habemus judices, quid fieri oportuerit : rogare te debui? exoratus igitur fuisses, si petiissem? hoc responde, hoc annue, et crimen confitebor[2]. Aluisses ergo, si scisses?

1. *Adjicere. Id dicere.* Schult. — *Præstiterim ego illi. Præstiterim? Ego ille etiam i. p. f. non plus*, etc. — *Ut hoc crimen. Et hoc crimen.* — *Oportuerit. Oportuit.* — *Hoc responde. Hic responde.* Ærod.

2. *Hoc ad necem, crimen confitebor.* Fortasse ita restitui potest, *hoc annue, et crimen confitebor.* Sed cujusdam hæc verba esse potuerunt adnotantis in margine, hoc firmissimum esse argumentum, et necem ac jugulum afferre adversario. Nam pater in quamcunque partem respondeat, se exoratum iri vel non, factum filii non arguatur necesse est. Si exoratum iri, ergo voluntate patris factum est, quod a filio factum est : sin contra, recte et pie fecit, et eo magis

Digitized by Google

credo: quantulum enim erat quotidianam stipem, et hoc exiguum, quo anima in posterum diem prorogaretur, præstare filii tui matri? et si hoc animo fuisti, tu voluisti, tu dedisti. Nec enim cuiquam credibile videri potest, ignorasse te, an ego vere amarem. Me sine dubio et verecundia, et metus inhibuit aliquatenus, verum statim dicere: sed ut pecuniam acciperem, illæ me subierunt cogitationes, quam indulgenter, quam prudenter faceres, ut infelicem feminam aleres, nec videreris in gratiam rediisse. Tu tamen, inquit, mentitus es patri, et amorem meretricis finxisti[1]: ita innocentior eram, si verum dixissem? Plena est hujusmodi artibus vita, plena sunt etiam theatra: circumscribuntur et servorum artibus patres, et mendaciis filiorum: et ignoscunt, quum meretricibus pecunia datur, quum aliqua a lenone redimitur ancilla. Dixi amorem esse meretricis: acceptam pecuniam matri dedi: innocentior ergo eram, si pecuniam matri petitam meretrici dedissem? Possit videri sine dubio durum et asperum, me, quum ipse sim in periculo, etiam pro alio rogare: quæcunque tamen occasio, quæcunque tamen necessitas est, si jam ego offendi, si quid, quod parum simpliciter rogaverim, irasceris, illam commendo miseram; non ut reducas: fuit ista spes aliquando, et forsitan, si felicior essem, maneret: illud adhuc, quod egens[2] et abdicatus necesse habeo deprecari, ut alas, etiamsi irasceris: qualem enim

quod patre inscio et ignorante, veritus ejus offensam vel indignationem. Ærodius.

1. *Finxisti. Confinxisti*, Ærod. *Infinxisti*, marg. Forte, *mihi finxisti*: nam ex *mihi* sæpe *in* factum vidimus ad Decl. XIX, 6. — *Necessitas. Necessitas est*, Ærod. et nos cum Bip. Ed.

2. *Illud adhuc, quod egens.* Scribe: *Illud adhuc, quamvis egens et abdicatus, necesse habeo deprecari.* Gron. An, *illud adhuc est, quod egens?* Schult.

Digitized by Google

miseræ illius existimas vitam, quum cibos quotidianos petit, et semper in posterum egens est? Equidem vereor, judices, ne post hanc meam calamitatem, quam præsertim excepisse[1] me propter misericordiam sui credit, finiat invisam diu vitam, et cibos accipere desinat, etiamsi dabis: nam si perseverabit (rogo, ignoscatis, etiamsi hoc forsitan apud animum patris mei asperum videri possit), hærebo miseræ comes quotidiano labori.

CCCXXXI.

Bis damnatus injuriarum, tertio absolutus.

QUI CAPITIS REUM NON DAMNAVERIT, IPSE PUNIATUR. QUI TER INJURIARUM DAMNATUS FUERIT[2], CAPITE PUNIATUR. Bis damnatus injuriarum, tertio a quodam postulatus, absolutus est: agit cum accusatore tamquam capitis accusatus.

SERMO.

Bis damnato huic, demus oportet patronum[3]: nam etiamsi proxime absolutus est, bis tamen damnatus est.

1. *Quam præsertim excepisse.* Ita loquitur et Florus, lib. IV, 8, 10: « Non minor ex aqua post-« ea, quam ab hostibus excepta « clades. » Et supra Declamatio CCLXXIV: « Pœnas excipere in « vita. » Ut et JCtus loquitur lib. XXXVIII, §. 8, ff. ad L. Jul. de Adult. in quibus est pro *accipere.* BURM. — *Nam si perseverabit.* An, *etiam si pater perseverabit?* vel, *utinam perseveraret! rogo tamen ignoscatis!* vel, *si tamen persevera-verit.* SCHULT.

2. *Ter injuriarum fuerit. Ter injuriarum damnatus fuerit,* edit. al. et nos recepimus cum Bipont. Sed Ærodius totum omisit.

3. *Bis damnato huic demus oportet patronum.* Qui edicto prætoris infamia notantur, licet pro se et certis quibusdam personis postulare non prohibeantur, melius tamen est huic patronum dari, qui jam bis injuriarum damnatus est: quia non tam pro se agere, quam publicam videtur injuriam exsequi. ÆRODIUS.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

QUI CAPITIS ACCUSAVERIT [1], NEQUE DAMNAVERIT, IPSE CAPITE PUNIATUR. Lex hæc est, qua judicium continetur: hæc est, qua ego istum accusem: hæc est, quæ utrumlibet horum occisura sit: ergo hac lege sola ac-

1. QUI CAPITIS ACCUSAVERIT. Ex hac Declamatione, si ex ullo alio loco, ita manifeste ostenditur, quid sit capitale judicium, quid non (de quo inter viros doctissimos hactenus contentio fuit), ut nullus jam sit dubitandi locus. Et quamquam certum sit, capitis quoque ea judicia appellari, quæ lædunt famam et existimationem, Cic. pro Quintio. l. Licet. ff. de verb. et rer. significat. proprie tamen ea dicuntur, quæ mortis vel servitutis pœnam habent, l. 2, ff. de public. jud. l. 2, l. capitalium, ff. de pœnis. Nec quidem omnia rursus, sed ea quæ, cum legibus publicorum judiciorum contineantur, capitalia sunt. Macer de Prævaricat. l. 3, §. 1: « Si ideo quis accusetur, quod « dicatur crimen judicii publici de« stituisse, judicium publicum non « est: quia neque lege aliqua de « hac re cautum est, neque per se« natusconsultum, quo pœna quin« que librarum auri in desistentem « statuitur, publica accusatio in« ducta est. » Ea publica judicia, quæ ex legibus publicorum judiciorum veniunt, jurisconsultus enumerat, l. 1, ff. de publ. judic. inst. eod. tit. Quæ quum ideo suam habeant formam, suum judicium, numerum suum, quæsitorem suum, sua tempora, sua nomina, ut Quintilianus ait, suumque ordinem, qui durante pœna legum in usu esse desiit, l. ordo ff. de publ. jud. si quoddam aliud reperiatur, cujus quidem pœna sit mors, sed alia forma: non tamen capitale appellabitur, ad hoc, ut quod nominatim de capitalibus indiciis cautum est, in eo locum habeat. Odiosa est enim in criminibus extensio, et ultra verba legis interpretatio: qua de re hic exemplum est. Nam injuriæ judicium privatum est, licet infamiam irroget, l. infamem. ff. de publ. jud. Patet ex lege duodecim tabularum, in qua modo injuriæ pœna fuit pecuniaria: « Si « quis injuriam alteri faxit, XXV « æris pœna sunto. » Licet quoque tandem pro qualitate delicti, extra ordinem puniri cœperit. Paulus, lib. V, sent. tit. 4: « Injuriarum « actio aut lege, aut more, aut mixto « jure introducta est, etc. » l. ult. ff. de injuriis. Cæterum eum gravius puniri, qui jam bis damnatus sit, et ideo ob infamiam suam vel egestatem injuriarum judicium contemnat, æquissimum est, l. si quis injuriam ff. eod. tit. Tanta enim petulantia, quæ ne infamia quidem, qua *quis quasi civitati perit* (ut ait Quintilian. in fine hujus Declam.) coerceri potest, non jam ad privatorum, sed ad legum, quarum contemnitur auctoritas, ultionem et animadversionem pertinet. Τὴν μὲν γὰρ ὕβριν ὀλίγων, τοὺς δὲ νόμους ἁπάντων εἶναι, inquit Demosthenes. Æn.

Digitized by Google

cuso. Nemo dubitaverit hanc legem esse justissimam: sed quas causas habeat, postea dicam. Non accusavi te, inquit, capitis, sed injuriarum: primum igitur hoc intueri vos oportet, si quid damnatione, si quid ultione dignum non habet, justum[1] debet judex sequi, debet sequi proximum. Nulla tanta providentia potuit esse eorum, qui leges componebant, ut species criminum complecterentur: nam et semper caventes nequitia vicisset; et jus ita multiplex atque diffusum esset, ut pro incerto haberetur ignotum: fecerunt ergo, ut rerum genera complecterentur, et spectarent ipsam æquitatem. Multa ergo invenientur frequenter, quæ legum verbis non teneantur, sed ipsa vi et potestate teneantur: quale hoc est. Sane enim concedam in præsentia tibi, non fuisse illud judicium capitis: si tamen eamdem vim habuit, quam judicium capitis, eamdem pœnam habere debet. Fingamus enim plura esse scelera, sicuti sunt, quæ morte punienda sint: nam quum lex[2] etiam eum, qui falso accusaverit, occidi velit: manifestum est occidendum esse eum, qui templa incenderit; occidendum esse eum, qui patriam prodiderit. Quo modo

1. *Justum.* An, *debet sequi optimum*, quomodo *æquum* et *bonum* junguntur: vel, *justo proximum.* Schult. — *Debet judex sequi proximum.* Julianus, lib. LXXIV Digestorum: « De quibus causis scriptis « legibus non utimur, id custodiri « oportet, quod moribus et con- « suetudine inductum est: et si qua « in re hoc defecerit, tunc quod « proximum et consequens ei est, « etc. » Hæc nostris vulgaria sunt. Hic vero locus *ratiocinativus* appellatur, de quo vide hunc ipsum Quintil. lib. VII, cap. 8, §. 7: « In hoc « genere, inquit, hæc quæruntur, « An quoties propria lex non est, « simili sit utendum: an id de quo « agitur, ei de quo scriptum est, « simile sit. Simile autem et majus « est, et par, et minus, etc. » In eamdem fere sententiam et iisdem fere verbis infra, Declam. CCCL. Æbod. — *Ignotum. Ignorantia.* Id est, propter ignorantiam. Vide ad Declamm. I, 2. Schult.

2. *Nam quum lex. Numquid lex;* vel, *numquam lex, etc. volet: manifestum*, etc. Sch. — *Occidendum esse eum, q. t. i.* Hæc omittit Bip. Ed.

Digitized by Google

non interest, qua lege harum accusaveris : quoniam id demum jure, de quo quæritur, comprehensum est, ut qui capitis accusaverit, pœnam patiatur : ita nihil interest, quod genus judicii fuerit, si eventus eodem rediturus fuerat. Num igitur dubium est, quin hic, pro quo loquor, si esset injuriarum tertio damnatus, periturus fuerit? extra quæstionem est. Quid ergo? damnatum eum existimari oportet? cui damnato capitis pœna imminet, non pecunia multabitur, non ignominia, non damno juris alicujus : quid ergo? futurum erat, ut occideretur : quid interest hoc qua lege? quid interest quo genere judicii? Fieri non potest, ut hic capite periclitatus sit, et tu non capitis accusaveris. Præterea quam putamus fuisse causam conscribendæ legis hujusce? Hanc enim quum excusserimus, apparebit, in istam quoque partem satis esse cautum. SI QUIS CAPITIS ACCUSAVERIT, ET NON DAMNAVERIT, IPSE CAPITE PUNIATUR. Hoc, opinor, illi justissimi legis hujusce latores spectaverunt, ne quis impune alteri periculum afferret : homicidii genus putaverunt, petere spiritum hominis, quem occidi non oporteret. Tu hoc fecisti : accusasti innocentem, si tibi creditum esset, periturus erat is, quem accusasti. Judices eodem tempore de te pronunciaverunt : non potest omnino ista circumscribi religio et severitas judicii, ut non pœnam det pars utralibet. Hoc absoluto, qui periturus fuit, continuo id quoque consecutum est, ut tibi esset pœna patienda. At enim tertio tantum injuriarum accusavi, et tu bis damnatus eras injuriarum. Quid interest, quæ res fecerit istud capitis judicium? nam et tu crimen gravius objecisti, quam priores objecerunt : vis scire, quam hoc verum sit? semel injuriarum damnato ignoscitur : illud morte

Digitized by Google

dignum videtur, si is, qui bis jam damnatus est injuriarum, fecit[1]: jam hoc tale videtur quale hominem occidere: ergo tu id objecisti, quod lex morte dignum putavit, quod lex capite taxavit: capitis ergo accusasti. Hoc loco jure depulsi, ad convicia confugiunt: bis tamen injuriarum damnatus est. Poterat mihi satis esse, quod tertio absolutus est: sed animadvertitis quales inimicitias sortitus sit: scitis, illum non innocentem accusari solere[2]. Sed facilius fuit, ut traheret aliquid gratiæ, dum id fieri sine periculo videbatur. Ideo intentius judices pronunciaverunt, posteaquam talis pugna commissa est, in qua perire alteri necesse sit. Omnia igitur ejus tulit, qui reus capitis accusatur, periculum, sollicitudinem: debet consentire iis etiam ultio.

SERMO.

Hæc ab accusatore existimo satis dicta: contra illa.

1. *Injuriarum fecit. Injuriarum iterum* (vel *tertium*) *fecit:* latet hoc in fine vocis præcedentis. Schult.

2. *Scitis illum non innocentem accusari solere.* Sic Pithœus, quum Thaddæus et Ærodius, *illum jam innocentem.* Si hæc dicerentur pro illo, qui tertio postulavit, probarem Pithœanum. Sed dicuntur pro absoluto: eoque legendum est: *Scitis illum etiam innocentem accusari solere.* Ut convicia adversarii diluat, et auctoritatem demat prioribus duobus judiciis, nolite, inquit, ex duplici damnatione judicare de moribus hujus: videtis, quam graves habeat inimicos; ex tertio judicio intelligitis periculum etiam innocenti ei solere inferri. Gron. — *Ut traheret aliquid gratiæ.* Scio Justini vel Trogi, « ut ab utrisque parem « gratiam traheret. » Sed hic sententia requirit: « ut daretur aliquid « gratiæ. » Ut non tam meritis causæ, quam gratia apud judices inimici ejus impetrarent damnationem in duobus judiciis prioribus, dum nondum capite periclitatur. Gron. *Sed difficilius,* Schult. — *Sine periculo videbatur.* Primo videlicet et altero judicio. Ærod. — *Consentire iis.* An, *consentire igitur.* Schult. *Debet igitur consistere ei similis et eadem ultio.* Ærod.

Digitized by Google

PARS ALTERA.

DECLAMATIO.

Lex eum, qui capitis accusarit, neque damnaverit, capite puniri jubet. Capitis judicia certa sunt, et vim suam habent: semper capitis judicia sunt his legibus constituta, quibus nemo potest damnari plusquam semel: habent suam formam, suum judicium [1], numerum suum, quæsitorem suum, sua tempora, sua nomina. Responde igitur mihi tu, qui accusatum te capitis esse contendis, qua lege fueris reus: injuriarum? Hic jam ipsos interrogare judices possum, an injuriarum actio capitalis sit: sed quid habeo, quare interrogem judices? ex te ipso quæro, injuriarum damnatus utrum occidatur? non opinor, ejus te futurum [2] impudentiæ, ut hoc contendas: alioqui dicam, damnatus es semel, damnatus es iterum: non esse hoc capitis judicium,

1. *Habent suam formam, suum judicium.* Hæc omnia fere uno verbo Quintil. alibi complexus est lib. III, cap. 10, §. 1: « In publicis « judiciis, inquit, prætor (quem « quæsitorem hic appellat) certa « lege sortitur. » Habebant igitur a lege capitalia judicia, sua propria nomina, quæ Macer enumerat: suum quæsitorem, parricidii, de repetundis, inter sicarios, etc. qui omnes prætores erant: sed per excellentiam prætor urbanus, prætor appellatur: hi, quæstores sive quæsitores. Habebant et capitalia judicia numerum suum judicum LXXII, quorum sortitio et rejectio fieret. Sua tempora: nam XX dies dabantur accusatori, reo totidem. Ascon. in Verrem. Sed sæpius in hoc variatum est, ut in forma et ordine. Nova lege factum est, inquit Cicero de Finibus, ut eodem die reus accusatori responderet: quæ lex fuit Pompeii Magni: hac duæ horæ accusatori, tres reo dabantur. Forma autem judiciorum publicorum erat in sortitionibus, subsortitionibus, rejectionibus, obsignationibus, interrogationibus, ampliationibus, comperendinationibus, primis, secundis, pluribusque actionibus. Ædonius.

2. *Non ut opinor ejus te futurum impudentiæ.* Dele particulam *ut.* Gron. Ita et Obrecht. sed Cl. Schultingius, *non tu, op., ejus es futurus imp.* Delemus *ut* cum Bip. Ed.

Digitized by Google

vel ex hoc solo apparet, quod vivis. Sed idem, inquit, effectura res est, quod si[1] capitis damnatus essem : et proximo jure utendum est, et similitudine quadam legis. Hic jam desinit privata esse lis : nam si accusatori licet constituere jura, et leges ferre; si quod antea fieri per populum, per senatum licebat, constituitur inter subsellia pro dolore cujusque, vel pro auctoritate, supervacua erunt suffragia, supervacuus tantus ambitus in constituendo jure. Non de eo quæritur apud hos, an æquum sit : nos venimus in judicium quæsituri hoc solum, an ego ista lege tenear. At oportet, et justum est, ea, quæ similia sunt, simili pœna contineri. Adhibes senatum, adhibes populum : emendandum sit fortasse jus : hoc interim vivimus, hoc utimur : multa autem jura decipiunt, neque ideo conscripta sunt, ut ignorantia fallant.

SERMO.

Hoc est illud commune, ut dicebam vobis, cum scripto et voluntate.

DECLAMATIO.

Sed fingamus, ut has demus delicias[2], ut simili lege utendum sit. Quid hic simile dixit? jam illa lege

1. *Quod si.* Francius volebat, *quam si capitis d. e.* — *Et proximo jure.* Vide ad Decl. XIII, 10. — *Si quod antea. Sicut antea*, Ærod. — *Fieri. Ferri*, marg. Ærod. — *Licebat. Licebat : si jus constituitur*, Ærod. — *Hoc utimur. Hoc interim utimur*, Ærod. — *Jura decipiunt*, Schult. *jura non decipiunt.*

2. *Ut has demus delicias.* An, *fingamus et hoc demus, an, delictum ad istud simili.* Schult. Nihil muto, sed *delicias* eo sensu capio, quo *delicatum scelus*, et similia passim in his Declamationibus. Vide ad Declamm. I, 13. Burm. — *Ut simili lege utendum sit.* Scribe : *ut in simili lege utendum sit. In simili*, puta, re, quæ non est expressa in lege, sed ei, quam lex punit, similis est. Gron. — *Quid hic simile dixit, jam illa. Quid hic simile dixit? primum* (aut *sane*, aut *nam*) *illa lege.* Schult.

Digitized by Google

aliud genus actionum[1], alium quæsitorem, non eadem tempora, non paria, sed periculum par: hoc si fit actione injuriarum, sane aliquam similitudinem habere videatur. Interrogo enim te, an si ego, qui tecum injuriarum egi, semel objecissem tibi hoc idem crimen, et tu antea damnatus non esses: num capite fueris periclitaturus? non, ut opinor: non ergo ego feci, ut tu capite periclitareris; sed illi, qui te ante bis damnaverunt. Neque enim senectutem affert summus dies, sed longus ordo vitæ: nec ebrietatem facit illa potio, post quam concidendum est, sed tempestivum[2] convivium, et aviditas nimia: non ergo mea actione effectum est, ut periclitareris: sed illis actionibus, quibus jam damnatus es. Sed absolutus sum, inquit, tertio: viderimus, quantum hoc ad gloriam tuam pertineat: interim damnatus es sæpius: etenim de petulantia tua hoc illi primi judices senserunt, hoc secundi senserunt: nunc absolutus es. Nihil de religione eorum, qui pronunciaverunt, querar: erant tamen, quæ te adjuvarent: non illud dicebatur in judicio; Non est hic talis, in quo petulantia credenda sit; modestos mores habet, nemini unquam fecit injuriam: sed dicebatur illud: non jam injuriarum[3] petitur ultio: capite periclitaturus est: etiamsi quid commisit, satis tamen pœnarum dedit: ipsa hac sollicitudine circumscripsisti misericordiam judicum, si alterum occisuri erant.

1. *Aliud genus actionum. Aliud genus actionum, aliud quæsitorum*, Schult. *Simile? dixit jam i. l. aliud genus actionum, alium quæsitorem*, Obr. — *Non paria.* An, *millia paria?* an, *nulla paria?* Deinde nova periodo, ut sit objectio; *Sed periculum par.* Schult.

2. *Tempestivum.* Sic supra pro intempestivo. Pith. Vide ad Decl. CCLX. Gron.

3. *Non jam injuriarum. Ærod. non tamen.—Pœnarum dedit. Pœnarum dedit ipsa hac soll. Circumscripsisti misericordia judicium: sed alterum occisuri erant, Ærod.*

Digitized by Google

SERMO.

In summa parte æstimabitur, cui homini, et quanta ultio petatur.

DECLAMATIO.

Ultio quæ petitur? quæ adversus homicidas scripta est, quæ adversus eos, qui bis injuriarum[1] damnati sunt, scripta est. Neque ego ignoro, unde isti hic animus: non enim spes fecit hanc litem: homo alioqui petulans quærit, quo modo impune occidat, quo modo manibus suis permittat omnia. Hoc ergo privilegium habeant, qui bis injuriarum damnati sunt, ut tertio accusari sine periculo non possint: hoc æquum mortalium videri cuiquam potest? Vivit ille, qui semel injuriarum damnatus est: qui duabus partibus periit civitati[2]; quem petulantia sua morti jam prope admovit: hic occiditur, quia questus est. Utinam mihi contingeret apud eosdem illos judices causam dicere, qui istum absolverunt, homines mites et misericordes, et qui turpissimos quoque cives tamen servare maluerint.

1. *Quæ adversus eos, qui bis injuriarum.* Laborare locum vidit Ærodius: itaque fecit: *an quæ adversus.* Sed non hac parte laborat. Scribe: *quæ adversus eos, qui ter injuriarum damnati sunt, scripta est*, hoc est, capitalis. Gron. *Non quæ.* Schult.

2. *Qui duabus partibus periit civitati.* Ærodius: *Qui duabus paribus sententiis damnatus est, periit civitati: qui petulantiæ suæ mortem.* Sed scribendum: *Vivit ille, qui bis injuriarum damnatus est, qui duabus partibus periit civitati, quem petulantia sua morti jam prope admovit.* Est hæc descriptio adversarii bis injuriarum damnati. Hi homines per partes civitati pereunt, si ter in idem crimen recidant, et singulis judiciis perdit in eis quasi trientes civitas. Gron. *Vivit ille, qui semel et iterum injuriarum damnatus est*, et reliqua ut Gronovius, Obr. — *Hic occiditur. Hic occidetur*, Ærod.

Digitized by Google

CCCXXXII.

Divitis et pauperis testamenta.

Pauper et dives amici erant. Dives testamento alium amicum omnium bonorum instituit heredem: pauperi jussit dari id, quod ille sibi testamento daret. Apertæ sunt tabulæ pauperis: omnium bonorum instituerat heredem: petit totam divitis hereditatem. Ille qui scriptus est heres, vult dare tantum, quantum in censum habet pauper.

DECLAMATIO.

Si ad votum meum, judices, fata cessissent[1], optabilius fuerat mihi, ut is, de cujus bonis contendimus, esset heres meus. Ad hanc igitur petitionem invitus et tristis, et flens venio: viderimus enim postea de judiciis: interim non dubitabitur, uter ex nobis illum magis amaverit. Postea jura excutiam, postea scriptum interpretabor; interim quod ad utriusque nostrum animum pertinet, non esset inter nos quæstio, si utrumque eodem titulo reliquisset[2] heredem.

1. *Si ad meum votum fata cessissent.* Ovidius in judicio armorum, Met. XIII, 128: « Si mea cum vestris « valuissent vota, Pelasgi. » Gron. *Fata cœpissent*, Ærod. *Cecidissent*, vel *cessissent*. Marg.

2. *Si utrumque eodem titulo reliquisset heredem.* Si dives cum alio illo amico suo, quem instituit, pauperem quoque instituisset, his verbis, *pro ea parte*, aut *in id quod* ille sibi testamento dedisset: nulla esset controversia, quin tota hereditas pauperi deberetur. Nam cum titulo heredis divitis bona caperet, pro ea parte, qua eum vicissim instituisset: sit vero hereditas juris non corporum appellatio, certum esset, pauperem revera solum institutum videri, altero illo quasi sub conditione instituto, quæ in ejus persona defecerit. Cujus rei videamus, an simile sit exemplum apud Pomponium, l. 29, ff. de he-

Digitized by Google

NARRATIO.

Habet autem hoc incommodi paupertas, quod quo-

red. instit. Hoc articulo, *Quisquis*, omnes significantur, et ideo Labeo scribit, Si ita scriptum sit, *Titus et Mævius quanta quisque eorum ex parte heredem me habuerit scriptum, heres mihi esto:* nisi omnes habeant scriptum heredem testatorem, neutrum heredem posse esse, quoniam ad omnium factum sermo referatur. Hæc erat opinio Labeonis propter particulam *quisquis*. Sed quia singulariter locutus est testator, *heres mihi esto*, non *heredes sunto*, et ad partes a se institutorum sibi relictas, institutionem suam retulit, ideo Pomponius ait; Sed humanius est eum quidem, qui testatorem suum heredem scripserit, in tantam partem ei heredem fore: et per consequentias, in assem, ex l. si quis ita scripserit eo. tit. de her. institut. Sed quid si unus pro parte, puta tertia; alter ex asse instituisset? Videretur hereditas defuncti in tot partes distribuenda esse, ut si ad assem redigatur, qui ex asse instituit, octo uncias: qui ex triente, sit quatuor habiturus, l. interdum eod. tit. Verum si talis hic esset institutio divitis, qualem supra diximus: totum ad pauperem pertinet, nec duos asses aut plures partes faceremus, quia fingimus, si dives utrumque eodem titulo reliquisset heredem, ita nuncupasse, *Titius heres esto: Mævius pauper amicus meus, ex qua parte me heredem instituit, ex ea mihi heres esto.* Non sic, *Ex qua quisque parte me heredem scripserit, heres esto.* Similior igitur esset hæc institutio ei, quæ refertur a Papiniano l. qui non militabat, §. ult. l. seq. l. quod si Mævius, ff. de hered. institut. Seius, inquit, Mævium ex parte, quam per leges capere potuit, heredem instituit; ex reliqua, Titium. Si Mævius solidum capere possit, Titius adjectus, aut substitutus non erit, etc. quod si Mævius nullius capax sit, in totum substitutus admittetur. Hæc si dives, ut ait Quintilianus, utrumque eodem titulo et judicio vocasset: nulla tum, aut certe non tanta esset controversia. Sed quum unum titulo vocet institutionis, alterum legati; in hoc quæstio est, an voluerit dives comprehendi legato duntaxat, quantum pauper in bonis habeat, qui ei omnia sua reliquit, sed heredis nomine: an vero fideicommissum universale esse interpretabimur, vel legatum, quo universitas continetur. Nam sicut singulæ, ita universæ res legari possunt; et qui ab herede recipit hereditatem, legatarii loco habetur. Ulpian. tit. de legat. et tit. de fideicom. quæ omnia ex his verbis legis XII tabularum proficiscuntur, UTI QUISQUE LEGASSIT, etc. Quid dicemus? Quæstio est conjecturæ et voluntatis, ut si ita senserit testator, quo modo sibi a paupere hereditas relicta est, sic ei sua restituatur: id omnino sequi oporteat, salvo heredi jure Falcidiæ aut senatusconsulti. Sed in obscura testatoris voluntate, si quæras de me quid sentiam, præsertim in hoc legati genere: respondebo me pau-

Digitized by Google

ties ad amicitiam superioris accessit, affert aliquid duperi astipulari, sive divitis mentem verisimilem mutuumque amorem consideres, sive ejus verba respicias, *id quod*, etc. quæ verba quia indefinita et generalia sunt, nemo dixerit jus per se, aut corpora continere, nisi pro eo ad quod referuntur. Hic vero quod relictum est a paupere, jus est: jus igitur et universale quoddam continent hæc verba, non quantum quid et singulare. Plane si dives ita in testamento scripsisset, *Quantam pecuniam*, aut, *tantum quantum pauper mihi reliquerit, heres dato*, quia ipsa verba sui proprietate (quam hic, ut orator, Quintilianus perpetuo non sequitur) quantitatem demonstrant, non quotam portionem. l. Paulus respondit: ff. ad Trebell. census habenda esset ratio, nec ipsius hereditatis, quod jus est, sed ejus quod in hereditate esset: l. qui concubinam, §. quum ita legatum: ff. de legat. lib. III. At hæc verba, *id quod*, vel secundum ipsam jurisconsultorum subtilitatem, nihil sui significatione demonstrant, nisi quod ad aliud facta relatione continent. Id ipsum jus est, ex quo ut individuum, quantitas nusquam deduci potest: l. cogi poterit. §. inde quæritur. ff. ad SC. Trebellian. Jus ergo, non pars bonorum legato continetur. Atque id omnino meo judicio confirmat Scævola: l. ult. §. Lucius Titius: ff. de legat. lib. II, l. Lucius Titius: ff. ad Trebell. Rogavit testator filiam suam, quam heredem ab intestato reliquerat, item et uxorem, ut quidquid ipsæ haberent, inter eas commune esset. Confert in medium uxor bona sua, quæ longe minora sunt filiæ bonis, an uxor igitur ex bonis filiæ hactenus capiet, quatenus confert vicissim ex suis? Respondet Scævola dimidiam omnino percepturam. Jam vero si pauper divitem non ex asse, sed ex semisse aut alia parte instituisset: nemo dixerit, opinor, quia minus est in semisse pauperis, quam in eadem divitis parte, æstimationibus corporum, quæ partibus continentur, rem ita moderandam esse: ut pauper e testamento divitis non semissem habeat, sed quanti suus esset semis. Igitur quæ de parte ad partem, de toto ad totum una et eadem ratio est. Nec enim quis huic loco adaptabit, quod longis post temporibus a Justiniano alia alibi ratione introductum est in dote et donatione propter nuptias, const. 92, de æqualitate dotis. Nec quod dicitur in l. imperator, §. ult. ff. de leg. lib. II. Id enim eo fit, quia in majorem partem nemo gravari potest, quam testamento acceperit. Age, si nihil esset in hereditate pauperis præter jus ipsum, in quo nomen hereditatis subsistit, an diceremus inane et ridiculum legatum esse divitis et amici? quum multo magis verisimile non sit, divitem amicum beneficentiam suam, non uberiorem esse voluisse, quam pauperis esse potuerit erga se. Denique non video qua solutione evitari possint illa duo argumenta, quibus Quintilianus hic noster utitur. Prius in jure consistit; posterius in æquo et bono. Nam si posuerimus, inquit, eo modo testamentum fecisse divitem, quo pauper; contra pauperem, quo dives: si census, non juris rationem

Digitized by Google

bitationis, fide an utilitatibus amet. Officia adversus se mea noverat dives: assiduum me hæsisse lateri[1] sciebat: tenuitas mea afferebat hanc ei dubitationem, ut posset quærere, an istud amicitia fecissem: itaque quum sciret, mortem esse, quæ de animis diceret verum, testamenta, quibus omnem affectum fatemur; ita supremas tabulas ordinavit, ut adversus me dicere vellet animo meo[2]. Bona interim sua apud istum deposuit, dum sciri possit, quid de illo ipse sensissem: dari mihi jussit id, quod ego testamento meo darem. Si cogitationem intra angustias facultatum mearum tenuit, præter id, quod ingratus videri potest amicus, non multum ejus interfuit, quid ego scripsissem. Lectæ sunt tabulæ meæ: constitit fides amicitiæ: omnium bonorum institutus heres erat: hoc plenior animus meus, quod sine exceptione. Igitur quod ad me pertinet, aperui pectus, et conscientiam protuli; et qua rerum natura patitur, vis-

habeas, an reposcet dives ab herede pauperis, id quod, vel tantum quantum ipse testamento suo pauperi dederat? atqui heredem ex asse instituerat. Nec igitur id fieri potest, nec verisimile est, pauperem tanto legato heredem suum onerare voluisse: quum si ad quantitatem bonorum, non ad titulum illum respiceret, primi vel secundi heredis, aut fideicommissarii, aut legatarii universalis, aut partiarii (quæ plena honoris sunt nomina) certo sciret, ut vel minima pars sibi a divite quocunque titulo relicta esset, hanc suas omnes facultates excessuram. Alterum argumentum, ut diximus, in æquitate positum est. Pauper nunquam mutavit testamentum: sive auctæ, sive diminutæ fuissent ejus opes et facultates, atque ante divitem decessisset, totum hoc ad eum pervenisset, eodem titulo, eodem testamento. Cur ergo non idem in legato divitis servabitur? Sed commentaria non edimus, nec hujus loci est hanc controversiam tractare in utramque partem accuratius. Ærodius.

1. *Lateri sciebat.* Ed. Bip. dat *lat. suo sc.* advers. Hack. et Burm. Ed.

2. *Ut adversus me dicere vellet animo suo.* Lege: *ut adversum se discere vellet animum meum.* Ærod. An, *adversus me judicare v. a. m.* secundum animum meum, vel plurimum, vel exiguum isti adversario meo voluit relictum, etc. *Judicia mea* infra, pro testamento: et *judicare post mortem.* Sch. — *De illo ipse sens.*. Maluimus *ipse* pro *ipso* cum Hack. et Bip. advers. Burm. Ed.

Digitized by Google

cera pæne mea in conspectu vestro sunt. Iste heres adhuc non ostendit[1] testamentum. Sed scio non esse præsentis temporis disceptationem, uter mereatur: satis enim voluntas defuncti comprehensa tabulis est: institutus es primo loco heres: non facio tibi istius honoris controversiam. Quæritur hodie, quid debeas mihi: si judicia mea adversus amicum intra legatum stetissent, legatum a te peterem: heredem omnium bonorum habui, hoc ut sim postulo. Ut scriptum non esset, judices, iniquum erat offerri mihi, quantum habeo, tamquam is, qui defunctus est, dari mihi jusserit, quantum ego illi dare possem: ingens autem horum differentia est: id mihi dari jussit, quod ego illi meo testamento darem. Non habet in hoc interpretationem modus, [2]quantum pensatione constet; numerari potest, et recipit comparationem: quod reliquit, quantum fieri potest, dari voluit: eadem rei natura est. Itaque si illi pecuniam testamento meo legassem, pecuniam peterem, nec ferrem te dantem pro pecunia aliquid, quod esset tantumdem: si mancipium reliquissem, mancipium deberes; nec diceres mihi; Accipe quanto istud est: id mihi dari jussit, quod ego illi darem. Quid ego autem dabam illi? hereditatem; quid peto? hereditatem; quid scripsi? bona omnia; quid vindico mihi? bona omnia. Voluit simile esse judicium suum meo testamento; et quodammodo invenit rationem, qua posset judicare post

1. *Iste heres adhuc non ostendit.* Supple, pectus suum, nec conscientiam suam et amicitiam erga divitem protulit, qua mereretur institui. Ærod. Qui legit, *non ostendit: ostendit duntaxat testament.*

2. *Modus quantum. Modus: quod compensatione constat, numerari potest*, etc. Schult. *Pensationi constet*, Ærod. Obrechtus ita distinguit, *modus, quantum p. constet· numerari potest*, etc. — *Eadem rei. Ut eadem r. n. esset.* Schult. *Cujus eadem*, Ærod. — *Quanto istud est.* Ilimo *quanti.* Gronov. Et ita Schultingius.

Digitized by Google

mortem. Istud vero quale est, quod offers? reliquit mihi dives amicus paupertatem? Non statim de animo loquar: interim potestis permutata, ut sic dixerim, translataque invicem fortuna æstimare jus: fingamus enim, hoc aliquem pauperem scripsisse de divite. Quomodo causam explicamus? alium fecit heredem, jussit amico locupleti tantum dari, quantum ipse sibi testamento daret. Sit inventum tale testamentum, quale est meum; num ab herede tantam pecuniam peteret, quantam ipse possideret? non, ut opinor, nam ne posset quidem [1] dari. Sed illud succurrit: dari tibi jussit, quod titulo testamenti dabas: dabas autem hereditatem, nihil ultra hereditatem petere debes: atqui jus idem est, verba eadem sunt: nec cum personis lex mutata est. Nunc ut animum quoque intueamur testantis; hoccine illum voluisse existimatis? ideo inquisivit meam fidem, ideo vitæ experimentis credere parum putavit, ideo in ipsum irrupit animum, et penitus intuendam omnibus hominibus mentem dedit, ut mihi hoc relinqueret, quod habebam? est quare aperias testamentum, est quare omnem spem [2] tibi in posterum excidas. Sciunt propinqui mei nullum alium mihi cariorem fuisse: sciunt, si qui alii fuerunt amici, totam mentem meam deditam uni fuisse: quid interest animi [3], quantum sit, quod totum est? omnium bonorum heres, quidquid

1. *Sed illud succurrit. Sed illud succurreret. Dari mihi j. q. t. t. dabam; dabam a. h. n. u. h. p. debeo.* Schult.

2. *Omnem spem.* An, *omnis spes t. i. p. excidat?* aut, *omnes spes t. i. p. excidant?* Schult. An, *omnem spem t. i. p præcidas?* ut Livius XLII, 5, loquitur: vel *incidas*, ut idem dixit lib. XXXV, 31, et XLIV, 6 et 13; et Virg. Cir. 276. Burm.

3. *Quid interest animi.* Forte, *Quid interest, amice*, ut sit apostrophe, et mox, *omnium bonorum heres es.* Schult. *Quid interest autem*, Ærod. — *Bonorum heres. Bonorum heres est*, Ærod. — *Frugalitas.* Lege, *frugalitati.* Gron.

Digitized by Google

habui, quidquid servavi, quidquid longæ frugalitatis superfuit: accessissent huic testamento subitæ opes, idem erat. Neque ego nunc divitias peto: paupertate consuevi[1], frugaliter vivere scio, nulla mihi gravis necessitas est: illum, illum titulum amplector omnium bonorum. Si quid inferi sentiunt, cognosce animum meum, sicut voluisti; tibi vixi, tibi moriturus fui, nulli alii in hoc pectore locus fuit: hoc te omnium bonorum meorum heredem instituit: post hoc testamentum dicat aliquis, se mereri.

CCCXXXIII.

Pauper impensis divitis disertus.

PATRONUM OPTARE LICEAT. INGRATI SIT ACTIO. Adolescentem dives pauperem impensis suis in Athenas misit[2]: rediit ille disertus. Detulit divitem quidam reum proditionis, et optavit patronum pauperem illum, qui divitis impensis profecerat. Egit pauper: non tenuit. Accusatur a divite ingrati.

SERMO.

Intelligitis huic adolescenti cum summo respectu divitis agendum: ita demum enim videbitur id, quod fecit, necessitate fecisse, si de illa queretur. Et in totum hoc ser-

1. *Paupertate consuevi. Conservavi*, Ærod. male. Vid. ad Declam. CCCVI. — *Illum illum*. Semel tantum *illum* habet Ærodius. — *Si quid inferi sentiunt*. Vid. Brisson. Form. lib. VIII, p. 737; adde Rittersh. ad Phædr. IV, 4, 30. ALMEL.

2. *Impensis suis in Athenas misit*. Excidit vox: scribe: *in studia Athenas misit*. Ut apud Velleium, lib. II, 59, « Cæsar, Apolloniam eum (Octavium) in studia miserat. » GRON. Sed nos ad illum Velleii locum verba illa, *in studia*, ut suspecta, expungenda esse censuimus. BURM. Vid. nost. Velleium, p. 160 et 413. ED.

Digitized by Google

vare in omnibus controversiis [1], quæ ingrati lege continentur, debebimus, ut hi, qui rei sunt, in ipsa actione ingrati non sint. Raro valde intervenient controversiæ, in quibus hoc quæratur, an is, qui ingrati reus est, acceperit beneficium. Pleræque, sicut hæc, devertunt eo, ut quæstiones habeant, An quisquis acceperit beneficium, et non reddiderit, ingratus sit; an omnia, quæcunque exigebantur, præstare debuerit: an potuerit. Gulosus figurarum [2] ducet has species, ut hic pauper imputet diviti, tamquam prævaricatus sit. Id autem si intellexerint judices, vel propter hoc illum damnabunt, quod prævaricatus; vel propter hoc, quod hodie certe, ubi patronus non optatur, accusat illum, quem vult videri prævaricatione dimissum. Ergo, quod ad meum consilium pertinet, hic invitus egit: ea quæ dicenda accepit, pertulit.

DECLAMATIO.

Est videlicet, judices, hoc quoque in potestate fortunæ, ut in contrarium bona ipsa convertat. Maximum me a divite accepisse beneficium, quod mihi consummare studia contigerat [3], quis negaverit? quum interim maximorum mihi malorum causam hoc ipsum attulit, quod videbar disertus: adeo ut si mihi exsuere hanc

1. *Et in totum hoc servare in omnibus controversiis.* Eadem fere verba apud eumdem Quintilianum, lib. VII, cap. 4, §. 37: « Ingrati « quoque *qualitatis actio est*: in « quo genere quæritur, an is, cum « quo agitur, acceperit beneficium? « quod raro negandum est; ingra« tus enim est qui negat? an quan« tum acceperit reddiderit: an « protinus qui non reddiderit (ita « enim legendum est) ingratus sit? « an id quod exigebatur, debuerit? « quo animo sit? » Quæ omnia hic præcepta adeo servantur, ut nullus jam negaturus sit meo judicio, has Declamationes illius Quintiliani esse. Ædon.

2. *Gulosus figurarum. Periculosus.* Schult. Insolens locutio, quam explicare liceret pro, *avidus figurarum*; sed malim legere, *studiosus figurarum*.

3. *Contigerat.* Francius malebat, *contigerit.* — *Quum interim. Quum inter m. m. m. causam*, edit. aliæ. Hack. et Burmann. *interim*: at contra edit. Bip. *inter*: male. Ed.

Digitized by Google

partem persuasionis liceret, amputare vocem, et velut omnem usum loquendi perdidisse maluerim, quam cum homine[1] de me optime merito jam bis consisterem: et prioris tamen judicii manifesta excusatio erat: jussus loquebar, hodie quem modum teneam actionis, quibus vocibus optime (ut jam sæpe dixi) de me merito satisfaciam, reperire non possum: vera sunt enim illa, quæ dixit.

NARRATIO.

Pauper ego natus, et contra facultatum rationem mearum, infelicis hujus eloquentiæ studiosus, hujus liberalitate, hujus opibus peregrina studia, clarissima exempla, otium, quo plurimum studiis confertur, sum consecutus: utinam non usque ad invidiam! Nam mihi cogitanti, cur integerrimum virum, optimum civem, calumniator ille proditionis reum fecerit, nihil succurrit aliud, quod secutus sit, quam ut ego agerem: habebat enim jus optandi patronum, et hanc leges dederant potestatem: et forsitan quærebat etiam contra absolutionem innocentis rei hunc colorem, ut videretur ideo dimissus, quia ego egissem: hoc ei certe non contigit. Reum offendi, non mehercule supervacua asperitate verborum (ab hac ego enim me, quatenus fides agendi permiserat, abstinuisse animum confiteor[2]) sed

1. *Malueram quam cum homine.* Scribe: *maluerim, quam cum homine de me optime merito jam bis consistere.* Gron. *Maluerim*, quoque Schult. et Obr. sed retinent *consisterem.* — *De merito. De me merito*, Francius et Obr. Et ita edidit Ærodius. — Edit. Bipont. duce Hack. *de merito:* non adeo feliciter. Ed.

2. *Abstinuisse animum confiteor.* Forte, *abstinuisse nimium.* Gron. *Animum confiteor,* esse declaro. Juven. Sat. X, vs. 172: « Mors sola « fatetur Quantula sint hominum « corpuscula. » Schult. *Me* ignorat Ærod. Sed *abstinere animum* etiam recte dici puto, ut « abstinere ma« num, » Terentius, et ita passim alii. Vid. ad Petron. CXII. Burm.

Digitized by Google

perferenda fuerunt mandata falsa, verum[1] criminosa; conficta, verum invidiæ tamen plena. Quod si quid esse in ratione dicendi videtur, si quis me infestam attulisse credit orationem, accedit hoc quoque gloriæ optimi civis, quod me accusante absolutus est. Ingrati reus sum: de prima parte causæ, judices, non faciam controversiam, neque fas est: accepi beneficium, quantum maximum dare parentes liberis possunt: non enim si fortuna infelicissima[2] ad hoc officia studiis meis dedit, non tamen ista animo præstantis æstimanda sunt. Accepi pecuniam, votum, spem futuram in posterum vitæ, infeliciter, etiamsi mihi hic defendendus fuisset: accepi beneficium; ne illud quidem inficiabor, non reddidi: non tamen continuo sequitur, ut ingrati lege teneatur, qui acceptum beneficium nondum pensaverit, alioqui nemo est, qui non calumniæ genus possit incidere. Nam ut hujusmodi omittam tempora, statim certe, ut accepit beneficium, accusari potest: nondum enim reddidit. Quod si non continuo ingratus est, quia paria non fecit[3], superest, ut illa nobis intuenda sint, an omnia præstari iis, qui beneficium dederint, oporteat: an id, de quo cognoscitis, præstari oportuerit; ac post-

1. *Falsa, verum criminosa.* An, *falsarum rerum crimina sunt conficta*: sed et vulgata potest exponi. Scu.—*Invidiæ tamen plena. Tamen* non habet Ærod.

2. *Si fortuna infelicissima.* An, *infelicissimum me ad hæc officia st. m. me coegit*, officia accusandi primum patronum, dein se defendendi, quo nunc etiam poterat offendere: an: *ad hæc pericula s. m. me deduxit.* Schult. — *Spem futuram.* Lege, *futuræ.* Gronov. et ita Obr. — *Qui non calumniæ. Qui non in calumniæ g. p. i.* Schult. Et *Qui non in hoc cal. g. p. i.* Ær.

3. *Quod si non continuo ingratus, quia paria non fecit.* Aristot. lib. VIII de Moribus: « Exigit, in« quit, amicitia, non quantum de« betur, sed quantum præstari po« test. Neque enim semper id fieri « possit, ut erga deos et parentes, « quibus nemo parem unquam re« tulit gratiam: et tamen qui quoad « ejus fieri potest, observat eos et « colit, is vir bonus et gratus ha« bendus est.» *Quia paria. Qui.* Sch.

Digitized by Google

remo, an potuerit. Non omnia esse præstanda etiam parentibus dico: alioqui nihil est periculosius acceptis beneficiis, si in omnem nos alligant servitutem: nam etiam scelerum, si ita videatur his, qui nos meritis obligavere, afferunt necessitatem. Quapropter illa in confesso erunt, neque facturum aliquid adversus rempublicam ex voluntate ejus, a quo beneficium acceperit, eum qui acceperit; neque impium erga parentes necessitate tali futurum, neque inhonestum, neque ea, quæ fieri non poterunt[1], præstaturum. Quod si luce ipsa, judices, clarius est, jam intueamur, an hoc, quod me præstare debuisse dicit, præstari oportuerit. Fortior sic ageret: advocationem negare contra reum proditionis[2] non debui. Oportebat non deesse legibus vocem; oportebat esse aliquem, qui in summis reipublicæ, ut tum videbatur, periculis excuteret veritatem. Dicebatur proditor aliquis: clamabat delator; si mihi vox esset, si quid eloquentiæ natura tribuisset, jam vobis ostendissem, quæ cum hoste commercia, quod discrimen totius reipublicæ, quam hæc omnia, quæ in conspectu sunt, in ultimo periculo essent. Hiccine eum, qui [3]accusare posse videbatur, tacere oporteret? mihi aliter agendum est: ego utilitatibus publicis contra stetissem? ego vero

1. *Non potuerunt.* Maluimus *poterunt* ex ed. Bip. Ed.

2. *Advocationem negare contra reum proditionis.* Cic. pro Sylla 17: « Intelligebat hanc nobis a majori- « bus esse traditam disciplinam, ut « nullius amicitia ad propulsanda « pericula impediremur.» Ærod.— *Totius reip. Totius deest*, Ærod.

3. *Hiccine eum, qui accusari.* Ærodius: *Hic me eum.* Potius: *Hiccine eum, qui accusare posse videbatur, tacere oporteret?* Gron. *Oportet*, Francius. — *Mihi aliter.* Non tam fortiter agere audeo. Schult. — *Ego vero hæc omnia supra me maluissem.* Ærodius, *supra me esse maluissem*: aliis tribuit *supprimere.* Scribendum: *Ego vero hæc omnia supprimi maluissem.* Gronov. *Ego v. h. o. suprema maluissem*, Obr. An, *ego cadere hæc omnia supra me maluissem?* Schult. Forte, *ego vero hæc omnia subire me maluissem.*

Digitized by Google

hæc omnia supra me maluissem, quam tanta merita asperiore ulla voce violare[1]: sed necessitati quid faciam? lex optandi patronum jus dabat: me delator optaverat; doce, quid faciam: delator jus habet: contra omnem meam deprecationem publica auctoritas nititur. Conscientia mehercule facere[2] hoc viderer; ac timuisse, ne si illi causæ vox contigisset, in medium scelera prodirent. Ego vero suscepi causam, nec timui ne vincerer: non igitur objicere debes mihi, in quod coactus sum; illa, quæ fuerunt in mea potestate, si deprehendisti, ostende; si vultus infestus, si vox incitatior, si quid ultra necessitatem: neque ista ego imputo; non enim poteram, neque erat adversus innocentiam tuam ingenio locus. Itaque discessi a judicio lætior, quam reus ipse: et velut editis necessitate operis[3] ad gratulationem cucurri. Nec me ei in reliquum eximo tempus; debere confiteor: da, quem defendam; da, pro quo loquar: si quid adversus illum nocentissimum delatorem invenire possumus, impera, quod vis: in quantumcunque tua ista vox est.

1. *Violare. Violarem*, Latinius.

2. *Conscientia mehercule fecisse.* Hoc est: Delator ille et accusator, hoc conscientia sua qui calumniose accusaret, fecisse videtur, ut ex lege, qua patroni in capitalibus causis ab accusatore desiderantur, me disertum et eloquentem a prætore aut proconsule posceret: ideoque timuisse, ne si divitis causæ et defensioni vox mea aut cujusdam alterius oratoris eloquentissimi et solertissimi contigisset, detegeretur ac prodiret in medium calumniosa et temeraria ejus accusatio. Quod tamen me accusante accidit: qua re lætor et gratulor. Ærod. — *Facere hoc viderer. Fecisse h. videtur: ac timuisse, ne si illius causæ vox mea cont.* Ærod. — *Nec timui, ne vincerer.* Lege *vincerem*. Significat enim certum sibi fuisse fore, ut vinceretur ob innocentiam accusati. Gron. — *In mea potestate. In media potestate*, marg. Ærod.

3. *Editis operis.* Vide Gronov. ad Liv. III, 63. — *Necessitate operis. Necessitati*, Ærod. — *Ad gratulationem.* Vet. cod. *gratulationem*, quod prætermissum noluimus. Pit. — *Eximo tempus. Eximere tempus debere conf.* Schult.

Digitized by Google

CCCXXXIV.

Proditoris accusator ex[1] *defensore.*

CUM DAMNATO[2] PRODITIONIS PATRONUS EXSULET. Affuit reo proditionis; absolutus est: ille petit ab absoluto pecuniam, quam pactus erat: non dantem detulit reum proditionis: damnavit. Petitur in exsilium.

DECLAMATIO.

CUM DAMNATO PRODITIONIS ET PATRONUS EXSULET. Damnatum esse proditorem certum est, et hunc fuisse patronum: quo modo tamen defenditur? quo modo proditorem defendit. Hoc sic persuaserat, etiam ante experimentum, nullam esse ingenio suo malam causam. Non fui, inquit, patronus eo judicio, quo damnatus est: si verba legis intueri velimus, nihil hoc ad præsentem cognitionem pertinet: satis est enim probare et illum proditorem, et te patronum fuisse quandoque. Sed videamus, quid secuta sit lex: non mehercule tantum putem providisse legumlatorem, quantum adversus te probamus: patronum enim voluit exsulare, non conscium. Illa prorsus locutus cum advocatis vi-

1. *Proditoris accusator e. d. Proditionis accusator*, Ærod.

2. *Cum damnato.* Quintil. V, 10, §. 107: «Lex est, Qui patri proditionis reo non affuerit, exheres sit. Negat filius, nisi pater absolutus sit: quid signi? Lex altera, Proditionis damnatus cum advocato exsulet. Cicero pro L. Sylla, cap. 2: «Cæteris «in causis etiam nocentes, viri «boni, si necessarii sunt, non de- «fendendos esse non putant. In hoc «crimine non solum levitatis est «culpa, verum etiam contagio sce- «leris, si defendas eum, quem ob- «strictum esse patriæ suspicere.» —*Affuit. Patronus ex pacto defensioni af.: reus prod. absolutus est.* Æn.

Digitized by Google

detur: Sane suscipitis alias temere causas, ubi privatæ leges erunt, et ad unius commodum pertinebunt: quum vero de proditione agetur, diligentius intuemini: etiamsi vobis nihil ipsi confitebuntur: at hoc, si non satis momenti publica pericula habent, vestri respectu capitis, inquirite: hoc igitur quod de lege cautum est, proditor advocatum habuit, licet illi nihil profuerit. Nunc vero quam necessarium ex eventu ostenditur, proditor absolutus est: has illi artes timuerunt, hanc calliditatem advocatorum: constituit enim natura arma nequitiæ, per quæ abducantur judicum animi. Sed ipso, inquit, judicio, quo damnatus est, non fui patronus. Volo interim sic agere, tamquam nullam reipublicæ injuriam fecerit. Etiamnum hoc satis est: advocatus proditoris fuisti: fingamus igitur ampliatum fuisse judicium[1], et tantum primo judicio patronum illum: nonne damnatio sequeretur, quod omnino patronus fuisset? Non ergo tempus intueri debemus, sed causam; si homo idem est, si crimen idem, si lex eadem. Putemus ab alio esse damnatum: non enim proderit tibi istud, quod imputas: tunc enim diceres, ignoravi: et idem me, quod judices, fefellit: nunc proditorem

1. *Fingamus igitur ampliatum fuisse judicium.* Olim ita sæpius causæ ampliatæ sunt, ut quædam per octo patronos acta sit, immo ad duodenos perventum est, inquit Asconius: quod merito improbat Cicero in Bruto. Quid igitur si unus uno egerit, alter altero judicio? in hac re divisione uterer; nam si judices ex lege Acilia, Glaucia, Servilia, aliisque hujusmodi, amplius pronunciassent, quum jam nihilominus videretur reus damnandus esse, tum utroque patrono defendente, damnatum proditionis reum existimarem: quare ambos legi obnoxios: non autem si ideo pronunciaverint, quia iis revera non liquebat. Hæc forma jam nullis non est cognita. Sed de hac re vide potissimum Ciceronem in oratione pro domo sua ad Pontifices. Ærod. — *Nonne damnatio. Nonne damnatum sequetur,* scilicet in exsilium. Schult. — *Patronum illum. Patronum: illum*, etc. Ærod.

Digitized by Google

sciens defendisti. Nihil dico de advocatione[1]: testem perdidi. Tantane lucri cupiditas? sic proditores corrumpuntur: sic prorsus homo nocentissimus cum advocato suo locutus est: Ego quidem prodidi: sed magnam pecuniam accepi: et tibi sufficit. Quæritis, judices, quantum promiserit petenti? non potuit proditor solvere: ergo quantum in isto est, proditor vivit, nec vivit tantum, sed etiam insidiatur, et ad hoc necessitate solvendi urgetur: addidisti homini nocentissimo pecuniæ necessitatem. Unde temporum mutata[2] conditio est? pecuniam non accipiebas: ita nunc ille quod punitus est, merces hujus vindicata est: pecuniam non acceperat.

1. *Nihil dicam de advocatione.* Hoc est, de pacto advocationis: et *testem perdidi*, nempe proditorem exsulem, qui de pacto testimonium dicat, quem de advocatione mercenaria, et patrocinii salario interrogem. Ærod. An, *de advocatione, qua tu rem prodidisti?* an, *fidem prodidisti?* Schult. — *Sic proditores corrumpuntur.* Immo *corrumpunt.* Gron. — *Et tibi sufficit.* Francius, *id tibi sufficit:* male. Verba sunt clientis, magnam pecuniam accepi, quæ etiam tibi sufficit, si patrocinium meum suscipias.

2. *Unde temporum mutata.* An, *unde tamen pactorum m. c. e.?* Schult.

Digitized by Google

CCCXXXV.

Infamis in novercam, vulneratus.

Infamis in novercam, cum patre peregre profectus est: quum in latrones incidissent, fugerunt. Pater reversus adulteros inclusos in cubiculo deprehendit: occidit uxorem; adulterum vulneravit: is fugit: postea vulneratus filius venit. Interrogavit eum pater, a quo vulneratus esset; ille a latronibus dixit[1]: curavit eum pater, et reddit causas mortis voluntariæ: filius C. D.

DECLAMATIO.

Adversus mala et injurias fortunæ, et gravem plerisque vitam, unum natura remedium invenerat, mortem: nec quisquam potest tam crudelis legumlator fuisse, qui hominem innocentem vita puniret[2]; quum et hoc ipsum sit calamitatis genus, mori velle: necessaria tamen vestra cognitio est, ut non, quia istud liberum esse innocentibus non oportet, sed quia multi sunt, qui sic conscientiam emittunt: et ideo adjectum est damnum sepulturæ[3], ne se putent pœnas effugisse. Ideo ego hanc

1. *A latronibus dixit. A. l. dixit, eum pater, quod infamavit mori vult, et reddit c. m. voluntariæ. Filius C. D.* Ærod. Alii, *dixit quum pater fugeret: reddit*, etc. marg. *Pater: reddit c.* etc. Francius.

2. *Innocentem v. p.* Dum ei necis adversum se potestatem adimeret, tum quum mors ipsa jam vita beatior est. Ærod.—*Ut non*, etc. *Utique non*, ex Ær., Obr., et Bip. — *Conscientiam emittunt.* An, *evitant?* an *conscii animam emittunt?* Ut Dec. IV, 9: « Quos sceleris consc., quos « majoris cruciatus metus in supre« ma compelleret. » Schult. *Cons. amittunt?* Ær. Sch. ad Decl. I, 7, citat, « consc. remittunt, » corrigit vero, « qui sibi consc. animam emit« tunt. » Non male, si legatur, *sibi conscii animam emittunt.*

3. *Adjectum est damnum sepul-*

Digitized by Google

vitam olim invisam tam diu tuli, donec filius meus sanaretur, ne viderer aliqua conscientia mori velle. Mori volo: nihil me commisisse manifestum est; et jam satis rationem videor reddidisse: mori volo senex[1]; habet suos vita terminos: dum membra sufficiunt, dum in officio vires sunt, quotamquamque partem habeo viventis. Quum adhuc haberem uxorem, martimonio inutilis eram; nec mirum, si quem concupivit juniorem: occidere adulterum non potui. Non miraretur me mori velle, si quis vidisset fugientem · quam tarde feci? felicissimus fuissem, si me latrones occidissent. Accedit illud, filium habeo: mori volo, dum salvus est, dum illum relinquere superstitem possum: pæne illum nuper amisi. Quid futurum erat, si non potuissem sanare? bene, dii, quod leve fuit vulnus! non accidet hoc mihi iterum. Ego scio, in quibus cogitationibus fuerim: si in majus periculum filius meus venisset, non exspectassem vos, ut perirem[2]. Nondum de adversis loquor: hæc ipsa me ad mortem ducunt, quæ ex voto contigerunt[3]. Ve-

turæ. Lex enim erat, « Qui causas « in senatu voluntariæ mortis non « approbaverit, insepultus abjicia- « tur. » De qua infra. Ærod.

1. *Volo senex. Volo: senex habet s. vitæ terminos*, Ærod. — *In officio vires sunt.* Vide ad Instit. Orator. lib. VIII, procem. — *Quotam quamque partem.* Lege, *dum quotamquamque*, Ærod. Obrecht. per interrogationem legit: *sunt. Quotamq. p. h. viventis?* ut Ovidius Ep. XIII, 60: « Et sequitur regni « pars quotaquæque sui? » Ubi vide Heins. Sic *quota pars* eidem Ep. XII, 89: « Hæc animum (et quota « pars hæc sunt?) movere puellæ. » Ubi vide eumdem Heinsium. Burm. — *Habeo viventis. Habeo juventutis, mori volo. Quum*, Ærod.

2. *Non exspectassem vos ut perirem.* Hoc est, non exspectassem, ut causas voluntariæ mortis vobis senatoribus approbarem. Ærod.

3. *Quæ mihi ex voto contigerunt.* Contigit enim, ut inveniret filium suum adulterum non esse, nec infamem in novercam. Id quum ex voto contigerit, ideo tamen mortis ei causam et desiderium attulit, quod filium interrogando de adulterio, videtur hoc ipso, si non crimine, at suspicione criminis non leviter eum aspersisse. Martianus l. 3, ff. de bonis eorum: « Videri autem et « patrem, qui sibi manus intulis-

Digitized by Google

niamus nunc ad querelas; infelix sum: peregre proficisci volui; in latrones incidi; vivere me miror: accessit dolor, a filio meo diductus sum[1]. Non queror de ipso; omnis mihi ratio adversus fortunam est: intervenerunt latrones: non stetit mecum filius, quum pro me pugnarem; feci aliquid et ipse scelerate; solus reversus sum, tamquam scirem, filium salvum esse; insecuta est alia fortuna; uxorem adulteram inveni. Quid accidere gravius huic ætati potuit? velut exprobrare mihi visa est fortuna; quare uxorem post juvenem filium duxissem. Ex eo, quod deprehendi, illud quoque colligo, diu adulteram fuisse: paullo ante profectus eram; statim in cubiculo adulter[2], tamquam sciret, me non reversurum. Quantum hinc ceperim dolorem, deprehendi, quod ipsos adulteros puderet: tenebris absconderunt, tamquam nefas. Non est hoc ad mortem satis? adeo me laborasse judicio, ut nescirem, quam ducerem? adeo me nescisse, quid in domo mea ageretur, ut non fuerim deprehensurus, nisi fugissem? Destituit me fides illa, quam speraveram fore solatium senectutis: demens ego, quum talem haberem uxorem, peregre profectus sum: abducebam[3] mecum etiam filium. Mori volo, quia uxorem meam occidi: qualemcunque licuit;

« set, quod diceretur filium suum « occidisse, magis dolore filii amissi « mortem sibi irrogasse, et ideo « bona ejus non esse publicanda, « divus Adrianus rescripsit. » Ær.

1. *A filio meo diductus sum.* In cursu latronum a f. m. separatus et sejunctus sum. Erod. An, *accessit dolori, quod a f., m. disjunctus?* vel, *destitutus sum?* Sch. *Diductus sum,* Francius: recte, ut puto. Deinde malim, *omnis mihi oratio.*

2. *In cubiculo adulter. In cubiculo adulteri; tamquam scirent.* Schult. — *Ceperim dolorem. Cepi interim dolorem: deprehendi quoque ipsos adulteros puduit.* Schult.

3. *Abducebam. Adducebam,* Ær. Hæc verba sæpe confusa. Vid. Muncker. ad Hygin. fab. 8.

4. *Occidi: qualemcunque licuit; scio.* Ita interpunximus pro *occidi qualecunque: licuit: scio,* ex Bipontina. Ed.

Digitized by Google

scio. Sed non semper ad animum pertinent jura: occidere adulteros lex permittit: ego mihi sic irascor, tamquam nefas fecerim; aut si quid in hac parte consolari vultis, mori volo, quod adulterum[1] non occidi. Hoc tantum me dicere putatis, quod me non vindicavi, quod nescio, quis fuerit; et forte perstet hic mecum, et quod has manus evaserit, gratuletur, quod non occidi, vulneravi: ita ille et salvus est, et beneficio meo vivet[2]. Pœnitet, quod non ab adultero cœpi; circa uxorem moratus sum, tamquam illa plus sceleris fecisset: interim fugit ille juvenis et velox. Mori volo, quod adulterum non invenio: unde venit? quis hominum fuit? non inveniri in civitate hominem vulneratum? quos ego non domi medicos adhibui? omnes illos interrogavi: num quis alius? nemo erat, nisi quem latrones vulneraverunt: et nunc ille me deridet ubicunque, et fortasse jam sanus est. Mori volo: satis justa moriendi causa erat, si calamitas mea hactenus stetisset. Accedit huc, quod fortuna nostra dedit malis suspicionem: nihil est hoc loco, fili, quod me suspicari putes; non habebam causam parcendi homo periturus: ego te vero innocentem puto; ac si non credis, curavi, sanavi: alioqui, te et hodie occidissem. Constat tibi [3]innocentia: sed nunquam potest constare sibi fama: vis scire quæ inimici nostri loquantur? ira actum me in latrones inci-

1. *Quod adulterum. Quod adulteros n. o.* Ærod.

2. *Meo vivet. Meo vivit*, Francius. — *Deridet ubicunque. Deridet ubicunque est*, Ærod. — *Accedit huc. Accedit hoc*, Ærod.

3. *Constat tibi innocentia. Sibi*, Latinius; et ita Ærod. edidit. — *Ire actus.* Sic vet. Cod. cujus vestigiis malim ita legere, *loquantur irati: me in latrones incidisse, solet fieri: summum est sequens, scio, sed nemo*, etc. Pithœus. Ærodius de sententia Brissoni: *Mirantur me in latrones.* Quæ ipsa veritas est: nec debuit Pithœus aliud quid quærere. Quod deinde graviter affectum est. Ærodius: *summum viæ*

Digitized by Google

disse: solet fieri; summum est. Sequens scio: sed nemo de hoc loqueretur, si uxorem non deprehendissem. Mirantur, quod patrem in illo periculo reliquisti: ego te puto fecisse sapienter; et si crimen est istud, utrique commune est; nam et ego fugi: non eramus pares: quid attinebat periclitari[1]? utrumque nostrum fecisse summo consilio puto. In latrones incidimus, et recessimus, fugimus: nemo persecutus est: quid ergo est? ego gaudeo, qui non potui aliud majus beneficium dare, quam ut salvus esses. Sunt qui te putent pro me pugnare debuisse: querebar paullo ante de infirmitate corporis: mihi ne mentem quidem satis constare credo. Quum convenissem[2], uxorem adulteram occidissem, postea in domo viderem vulneratum, interrogavi, quis te vulnerasset. Sed dignus sum morte: infamavi te adulterio. In latrones incideramus; ego te interrogavi, quis vulnerasset; non, fili, maligne: sed quomodo excidunt multa his, qui expaverunt; perculsus illo metu ignoravi, quid facerem. Mali istud aliter accipiunt: irascor manibus meis, quod adulterum tantum vulnerave-

periculum est. Sequens scio. Fortasse: *solet fieri: non novum est, frequens est, scio, et nemo de hoc lo.* Quod de eo loquuntur, indicium est mirari. Gron. An, *injuria tum actum* (vel *ductum*) *me*, vel *injuria filii actum me.* Ita *injuria* et *contumelia* de stupris et adulteriis, Justin. IX, 6, 5; et alii; vel *ira actum me.* Schult. *Mirantur me in latr. in.: s. fieri: humanum est: frequens, scio,* Obr. *Solet hoc fieri,* Ærod. Sed *hoc* minime est necessarium. Vid. ad Petron. XLIX, et ad Quint. Inst. IV, 2, 1. Pro *summum est*, malim, *ad summum frequens est. Scio.* Burm.

1. *Periclitari. Periclitari utrumque nostrum? fecisse,* Ærod.

2. *Quum convenissem.* Ærodius: *Cur quum venissem.* Malim: *Domum quum venissem.* Intelligitur particula causalis, non modo sæpe, sed et eleganter sic omitti solita. *Mihi ne mentem quidem constare satis credo:* nam *domum quum venissem*, et ibi ista mihi contigissent, *interrogavi.* Hanc interrogationem fingit se accipere, tamquam mentis parum sanæ argumentum. Gron. An, *conscii quum fugissent, uxorem*, etc. Mox, *videns te.* Sch. — *In domo. In domo mea te v.* Ær.

Digitized by Google

rim: nulla ad te pertineret infamia, si occidissem. Nunc congruere hæc inter se videntur; falso quidem; videntur tamen: ego nescio, quem vulneravi; tu vulneratus es. Non prodest nobis, quod noverca est; hominum iniquitatem ne odio quidem defendimus. Ego, te nunc si non curassem, viderer filium occidisse. Hanc ego infamiam ferre non possum: tua aliqua ratio est; tibi longa vita superest: poteris approbare innocentiam, quum duxeris uxorem, quum fidem illi maritalem præstiteris, quum totius te vitæ gravitas resolvet: ego enim si nolo mori[1], morior antequam adulterum inveniam. Vis adjiciam ad hoc causas moriendi? irascor tibi; nescio quem illum invenire non potes: debet istud ignosci meæ senectuti: tu nec quæsiisti.

CCCXXXVI.

Ager communis, et novæ tabulæ.

Pactus cum fratre majore, ut agrum communem paternum ille susciperet, et omni æri alieno satisfaceret: tabularum novarum lege lata partem agri petit: ille C. D.

DECLAMATIO.

Ager, quem communem nobis esse dico, patris nostri fuit: is duos liberos reliquit; æquum utrique jus; eadem utrique onera æris alieni; mihi, ut nunc est, nihil. Cessisti, inquit, mihi: si hoc sine ulla conventione fe-

1. *Morior.* Francius, *etiam si nolo mori, moriar.* — *Vis adjiciam ad hoc. Vis adjiciam ad causas,* Ærodius.

Digitized by Google

cissem, si nulla opponi huic tuæ voci posset exceptio, dicerem; circumscripsisti fratrem, nec difficile fuit, minorem. Quod si nulla vi coactus, nullis insidiis, quod nobis solum pater reliquerat[1], tibi uni concessi, debes referre animo gratiam, ut hoc fratri bene diceretur: sed quatenus exsuis nomen istud, et nos ad jus solum vocas, sub conditione cessi, sic enim tamquam alieni loquamur. Stari voce mea sit æquum[2] conventione pactorum: quod quale fuit? ut agrum possideres: ita, ut opinor, ut æs alienum, quod patris tui fuit, solveres. Nullam igitur hujus agri habuisti adhuc propriam possessionem; quia quæcunque sub conditione traduntur, ita demum fieri possunt propria ac peculiaria, si conditio consummata est. Fuit igitur, usque ad tabulas novas, communis nobis ager: et ut facilius appareat[3], fingamus, te æs alienum noluisse solvere, egisse pacti hujus pœnitentiam; num dubium est, quin ego venturus optimo jure in hanc fuerim possessionem? non quæritur, ut opinor; nam etiamsi hoc inter nos convenerat, ut tu æs alienum patris solveres, cogere eo

1. *Quod nobis solum pater reliquerat.* Forte: *quod nobis pater reliquerat, solidum tibi uni concessi.* Gron. *Id quod nobis,* Ærod. — *Deberes. Debes,* marg. Ærod. — *Ut fratri bene diceretur.* Τὸ *ut* non est Thaddæo, atque Ærodio. Et certe supervacuum est. Scribe: *gratiam. Hoc fratri bono diceretur: sed quatenus ex suis nomen istud, et nos ad jus, forum, vocat.* Gronov. *Ut huic fratri bene d.* vel *hoc,* id est, *per hoc.* Schult. *Gratiam. Hoc fratri b. d.* Obr. Malim, *gratiam, et huic fratri bene dicere.*

2 *Stari voce mea sit æquum.* Thaddæus: *Stari jure mea sit actum.* Ærodius: *Stari vero ei, quod sit actum, et conventioni pactorum oportet.* Fortasse: *Stari omnino est æquum conventione pactorum.* Gr. *Stari voci meæ sit æ. conv. nacti: quod quale fuit?* Schult. *Stari in re mea sit ratum con. pactorum,* Obr. *Stare* vero est in edit. Ærodii. — *Ut æs alienum. Si æs al.* Ærod. — *Quod patris tui fuit.* Immo, *quod patris nostri fuit.* Gron. *Quod patris fuit,* Obr.

3. *Et ut facilius appareat.* Lege: *Id ut facilius appareat.* Gr. — *Num dubium. Nunc dubium.* Marg. Ær.

Digitized by Google

tamen te non poteram; una solutio erat pacti inter nos facti, ut rursus omnia communia essent, id est, ut et agrum possideremus, et æs alienum duo solveremus. Ergo convenit, ut ager tuus ita esset, si æs alienum solveres: non solvisti: quo jure[1] vindicare potes eam rem, cujus pretium non dedisti? Ideo, inquit, non solvi æs alienum, quia novæ tabulæ intervenerunt: equidem querebar, quod non solvisti; cæterum nihil mea interest, qua causa non solveris, quum agrum ita demum habere potueris, si solvisses. Sive istud tua voluntate factum est, sive liberalitate creditorum, sive, ut manifestum est, publica necessitate, non solvisti. Quid si hæ tabulæ novæ tam mihi factæ sunt, quam tibi? nam, ut paullo ante dicebam, communem agrum constat fuisse. Pater noster contraxerat[2] cum multis; non erubesco: non retinendum agrum habebamus: habes, namque ego, hoc ipso quod tibi cessi, dominum egi; igitur quum essemus heredes patris nostri, debuimus ambo. Id sic colligo: finge esse aliquem ex creditoribus petitorem; numquid petere a te totam summam potest? minime, ut opinor: duos enim pater noster filios reliquit; et necesse est, sicut bona, ita onera quoque esse communia: partem ergo tu debuisti, partem ego; quo efficiebatur, ut partem solveres. Faciamus hoc manifestius: finge esse aliquem ex creditoribus, qui partem crediti sui a me petat: quid respondere possum? agrum fratri dedi; cum fratre meo convenit mihi, ut ille solveret: num dubium est, quin dicturus fuit creditor? Partem tu debes

1. *Quo jure.* Vide. Guil. Forner. Select. I, cap. 8. Almel. — *Equidem querebar. Equidem quæro: an aliquid solvisti*, Ærod. — *Sive istud tua voluntate.* Malim, *tarditate*, aut aliquid tale. Gron.

2. *Contraxerat. Æs contraxerat*, Ærod.

Digitized by Google

mihi: patri tuo credidi, cujus ex parte dimidia heres es; assem non possum a te petere[1], semissem petere possum. Ergo etiamsi conventione æs alienum transferebatur a te[2], jure tamen et veritate erat et meum. Igitur tabulæ novæ factæ, tam me debito omni liberaverunt, quam te: id enim remiserunt, quod ex parte a me peti poterat, ex parte a te: sed animus tamen is fuit pacti hujus, ut totum æs alienum meum fieret: spectemus ergo totum animum; neque enim ego negaverim id intuitos esse nos, et ita cogitasse, ut omne æs alienum tu solveres. Num alioqui dubium est, aut deduci omnino in controversiam potest[3]? An ego tibi parte agri mei cessurus non fuerim, nisi si quod pretium soluturus videreris? Quin si ulla spes mihi novarum tabularum, et hujus necessarii in civitate nostra remedii fuisset, recepturus fuerim, id quod retineo: ergo sive jus spectas, commune æs alienum fuit; tabulæ novæ utrique profuerunt; et tu non totam aliter possessionem habere debes, quam si æs alienum solveris: sive animum spectas, is utriusque fuit, ut tu venditione agri æs alienum solveres; ego æstimaram me onere a te liberari, cui agrum dabam: nunc id, quod tu mihi præstaturus eras, respublica præstat.

1. *Annon possum a te petere.* Thaddæus, *An possum.* Præclare doctissimus Ærodius: *Assem non possum a te petere; semissem petere possum.* Nam quod τὸ *sed* interponit, ei condonandum. Gron. *An non possum* (vel, *a te*) *petere semissem? possum.* Schult. Gronovium sequitur Obrecht.

2. *Transferebatur a te. A me*, vel, *ad te*, Schult. *Ad te*, Obr. — *Ex parte a te.* Omisit hæc Ærod.

3. *Potest? An ego. Potest an. Ego tibi p. a. m. cessurus fuerim*, Latinius. — *Nisi si quod. Nisi tu hoc pretium*, Francius. — *Recepturus fuerim id quod retineo.* Scribe: *retenturus fuerim id, quod repeto.* Gron. *Accepturus non fuerim*; vel, *recepturus non f.* Schult.

Digitized by Google

SERMO.

Summæ partes sunt æquitatis.

DECLAMATIO.

Pater nobis idem fuit, eadem onera nobis, eadem bona reliquit; cur tu locuples es? apud te ager totus, pro quo nihil impendisti, nihil numerasti: ego nudus, ego egenus. Erat hoc tolerabile[1], quum viderer in hoc tecum positus. Aufers mihi civitatis beneficium, et me sic relinquis, tamquam pater præter æs alienum nihil reliquerit: tum quoque invitus feci; ætatis meæ infirmitati consului. Si hereditate ager iste venisset, inhumane cum fratre non partireris; non tantum sanguinis nos jura conjungunt: aliquid[2] et ipsa necessitas, aliquid et ipsa societas.

1. *Erat hoc tolerabile. Erat h. t. dum viderer et hunc tecum partitus.* Schult. *Erat h. t. si cui viderer nihil tecum potitus* (al. *partitus*), Ærod. — *Infirmitati consului.* Vetus codex, *infirmitatem.* Pith. secutus est Obrechtus.

2. *Aliquid*, etc. *Aliquid debet et ipsa*, Ærod. Francius, *aliquid est i. n. aliquid est ipsa societas.* Non male: ut sit dictum, quale illud Propert. IV, 7, 1: « Sunt aliquid « manes. » Vid. ad Institut. lib. I, procem. 21. Burm.

Digitized by Google

CCCXXXVII.

Seditio populi et exercitus.

QUI CAUSAS IN SENATU [1] VOLUNTARIÆ MORTIS NON APPROBAVERIT, INSEPULTUS ABJICIATUR. Pauper et dives inimici; utrique domus, et uxor, et liberi. Dux creatus bello dives, quum bis acie victus esset, processit pauper, qui et disertus erat, et dixit prodi rempublicam a divite. Impetus in domum divitis factus est a populo, et domus incensa, et interfecti liberi cum uxore. Vicit tertia acie dives, et in potestatem hostes redegit: exercitus divitis domum pauperis incendit, et uxorem, et liberos interfecit. Vult mori pauper ratione in senatu reddita. Dives C. D.

SERMO.

Quoties hoc genus materiæ dividam, necesse habeo id dicere, quod jam sæpe dixi, me nullam voluntatem cujusquam contra themata intelligere [2]. Fortasse erunt aliqui, qui existiment a paupere id solum quæri, ut invidiam diviti faciat: quod illi contingere etiam citra mortis pro-

1. *Qui causas in senatu.* In majoribus Quintiliani Declamationibus simile est fere huic argumentum, Decl. XI. Cæterum de hoc genere causarum idem, Inst. lib. VII, 4, 38: « Simpliciores causæ in« justi repudii: sub qua lege con« troversiæ illud proprium habent, « quod a parte accusantis defensio « est, et defendentis accusatio. « Præterea quum quis rationem « mortis in senatu reddit: ubi una « quæstio est juris, an is demum « prohibendus sit, qui mori vult, « ut se legum actionibus subtra« hat. » ÆROD. Vide et Declamat. CCCXXXV.

2. *Voluntatem cujusquam contra themata intelligere.* Hic locus sine ulla controversia ostendit, has vere Declamationes Quintil. esse. Nam in Institutionibus hæc ejus propria sententia est, ut qui causas dicit voluntariæ mortis, hoc non fictione agat, nec quo magis alteri invidiam paret, ut aliud dicat, aliud velit: sed revera id optet, quod agit. ÆROD.

Digitized by Google

positum potest. Hic ergo pauper apud me mori vult: agere debet, ut moriatur. Quid ergo est? non aliter invidiam diviti faciet maximam. Prima quæstio illa est; an causæ mortis ideo tantum sint approbandæ, ne turpes pateant[1].

DECLAMATIO.

Mori volo. Nullam tam inhumanam quisquam crediderit esse legem, ut hominem innocentem et invitum detineat in luce. Sed ita scripta lex est, ut pœnam mortis constituat: insepultus abjiciatur is, qui non approbaverit causas: irascitur ergo lex ei, qui non approbatis senatui causis perierit: quæ profecto non hæc existimavit[2], quemquam mori velle sine causa. Sed quum duplex genus causarum sit, alterum ex injuria fortunæ, alterum ex mala conscientia, hoc ipsum voluit approbari senatui, causas non esse deformes: graves enim esse manifestum est, quum homo mori velit; inde senatui non de hoc cognoscendum est, hæ graves causæ mortis, an non? graves enim imputat ille, qui mori vult: hoc satis est. Sed de eo cognoscitur, turpes sint causæ, an ex injuria, ut dixi, fortunæ proficiscantur: aliquis metu judicii mori vult: dignus est, qui insepultus abjiciatur: aliquis conscientia turpis alicujus flagitii admissi, priusquam prodatur, mori vult[3]? dignus

1. *Ne turpes pateant.* Ærodius, *petant.* Forte: *ne turpibus pateat:* nempe mors voluntaria. Gron. *Ne non turpes pateant.* Schult.

2. *Non hæc existimavit. Non hoc ex.* Erod. — *Hæ graves causæ.* Francius, *hæ graves sint causæ m. an non.* — *Graves enim imputat ille.* Legendum: *Graves enim jam putat ille.* Gron. *Graves enim putat: im* fluxit ex *enim.* Schult.

3. *Priusquam prodatur, mori vult.* Merito addidit *conscientia turpis alicujus flagitii admissi.* Nam qui rei criminis non postulati, manus sibi intulerint, bona eorum fisco vindicantur, nisi propter metum conscientiæ postulationem anteverterint, ut Papinianus, lib. XVI responsorum scripsit: « Qui pos-« tulatus est, omnino si sibi manus « afferat, pro confesso habetur,

Digitized by Google

est, qui insepultus abjiciatur: adversus hunc scripta lex est: hac cavetur de hoc. Cæterum quidem tu ei, qui tot lenocinia hæc constituta vitæ contempserit, qui non detineatur his voluptatibus, dices; Non habes graves causas moriendi? respondebit; Odi vitam, relinquere volo; tu me nocentem probes oportet, ne sepeliri debeam. Si tamen de hoc quoque quærendum est, an graves causæ sint, videamus. Perdidi domum, fortuito incendio, quomodocunque; tantum domum perdidi; ecquid possum videri justas habere causas moriendi? penates illos, in quibus natus sum, qui mihi quotidiana imagine adhuc versantur ante oculos, illos penates, in quibus sacri aliquid esse credimus, amisi: hospes in civitate victurus sum. Perdidi liberos, quomodocunque; tantum liberos: ecquid justa causa mortis est orbitas? et orbitas non simplex, nec tantum geminata; verum etiam in unum tempus collata. Afferant aliquid fortasse solatii mala divisa; et sicut onera facilius subeas, si partiaris, ita hoc graves causas[1] allevare possis, si non ingruant, ac semel veniant. Uno tempore plures liberos[2]! quid si et conjugem? quod si per se grave est, et quod liberos amisi, et eodem tempore amisi, erant satis graves causæ: adjice nunc, hæc omnia simul amisi, et omnia hæc injuria amisi: exercitus me expugnavit, sicut urbem hostis: et hæc ipsa causa satis justa erat

« sive revera nocens, sive innocens « esset, quare et ejus bona fisco « vindicantur, et insepultus abjici- « tur. At qui nondum postulatus, « mortem sibi consciverit, non prius « sua confiscat bona, quam con- « scientia sceleris id fecerit: non si « justa causa, licet videret futurum « iri, ut inique postularetur. » Æn.

1. *Graves causas. Graves casus*, Obr. — *Si non ingruant.* An, *congruant?* ut Terent. Eun. V, 9, 3. Schult. *Nec semel adveniant*, Ær.

2. *Plures liberos. Plures liberos amisi.* Schult. *Quod si uno tempore plures liberos, quod si et conjugem quod per se gr. e.* — *Et quod liberos. Et liberos.* Ærod.

Digitized by Google

voluntatis meæ. Odit me exercitus, pars populi fortissima, pars populi optime de republica merita : illi milites victores, illi hostium spolia referentes, non me occiderunt, sed liberos meos, conjugem meam[1]. Puta illos[2] his ætatibus hostium pepercisse : illa modo victa civitas nihil, quod ad feminas pertinet, passa est, præter captivitatem : domum meam incendit : stant illæ, quas vicimus. Illud tamen inter omnia gravissimum est; quum hæc fecerint, existimant se jure fecisse. Omnia, inquit, hæc et ego passus sum. Scio, quo pertineat, ut videar ego merito passus : est et hæc causa moriendi, si tantum peccavi, si eo me deduxit error, ut filios meos[3] occiderem. Confitendum est de hac gravissima calamitate : domum meam incendit exercitus, populus non defendit. Omnia tamen eadem et ego passus sum. Possum dicere hoc tantum, ferre potius potes, gratulor animo tuo : sed ne mirum quidem est, quod tu ferre potius potes ; locuples es. Quid horum, quæ perdidisti, magnopere desideras? domum, opinor (hinc enim incipiam), perdidisti : infelix non habebis tectum, quod subeas? in publico tibi manendum est, et sub cælo. Fortasse etiam contulerint ista detrimenta deliciis tuis : novimus animos vestros, novimus fastidia : si non esset incensa domus, subinde diruere, subinde mutare vos

1. *Conjugem meam. Sed conjugem meam.* Ærod.

2. *Puta illos. Puto illos*, Schult. et Ærod. — *Stant illæ. Stant quas vicimus*, Ærod. — *Quum hæc fecerint. Quod quum h. f.* Francius.

3. *Error ut filios meos. Error. Ut filios meos non occiderent* (aut *occidissent*) *confitendum est hac gr. ca. quod*, etc. aut *occiderem*, id est, causa essem ut occiderentur. Scн. — *Omnia tamen. Omnia tamen, inquit, eadem.* Schult. — *Possum dicere. Possum dicere, Hoc tamen ferre potius potes : gratulor*, Ærod. Legerem, *ferre fortius potes*, et hic et mox iterum : et ita paullo post, *fortius sustinebam*. Ovid. Remed. Am. 463 : « Fortius e multis mater « desiderat unum. » Ubi vide Heins. et ad Art. Am. I, 281. Burm. — *Sed nimirum. Sed nihil mirum.* Scн.

Digitized by Google

juvat, et aliquid scilicet[1] experimentis adjicere. Domum perdidisti: gravis injuria fortunæ, novam habitare: sed uxorem perdidisti: ne in hac quidem tibi multum desiderii est: quomodo enim vos, divites, recipitis matrimonia? recipitis? aliæ vos rapiunt voluptates, illa ministeria, illi imitati feminas pueri: inde fit, ut ne liberos quidem ametis. Ergo te possunt multa [2]hortari: præterea subeunt solatia; et uxorem tibi invenire facile est, et liberos tibi alios educare facile est: non relinquunt dolori locum tot circumfusæ voluptates. Ego hæc omnia passus sum pauper: si dicerem, Pauper domum perdidi: exutus tamen omni censu viderer: quomodo enim illa apud me remanserat? quia paterna erat. Pauper liberos perdidi, pauper uxorem perdidi: solus relictus sum, solus destitutus sum. Inimicum divitem habeo: adhuc odia illa, quæ contra me quotidie acuit, fortius sustinebam spe liberorum; jam mihi juvenes erant; jam patrem tuebantur: etiamsi quando me æmulatio nostra in foro fatigaverat, erat, quæ exciperet, conjux. Si in hoc consisteret tota lis, an mihi grave esset vivere, vel uno argumento probare poteram: inimicus me vult vivere: hanc unam adhuc destinat odiis suis ultionem[3]. Cur enim dicere aliquid ausus sum? cur mihi suspectum fuit, quod fortissimi milites vincerentur? cur indignatus sum eorum bis terga cæsa, qui poterant etiam bis victi tamen vincere? Intelligo aversis auribus accipi hanc partem orationis: vicit enim, et

1. *Aliquid scilicet. Aliquid si licet*, Ærod. — *Recipitis matrimonia.* An, *decipitis?* Schult. *Recipitis m. aliæ vos recipiunt vol.* Ærod. — *Illi imitati. Illi mutati in feminas pueri*, Ærod.

2. *Hortari.* Id est, animum addere, solari. Vide Bern. et Vorst. ad Justin. XI, 9, 8. — *Inveniri. Invenire*, edit. aliæ.

3. *Destinat odiis suis ultionem. Destinat, o dii, ultionem.* Ærod.

Digitized by Google

bene etiam meritus de republica habetur : et hoc inter causas mortis est.

CCCXXXVIII.

Lis de filio expositoris, et repudiatæ.

Quidam[1] repudiata uxore, ex qua juvenem filium habebat, aut videbatur habere, duxit aliam. Frequenter jurgia erant inter privignum et novercam. Quodam tempore asserere cœpit juvenem pauper quidam, et dicere suum filium : is, qui pater videbatur, torsit nutricem : illa primis tormentis domini esse filium dixit. Iterum torta, dixit expositum esse ab illo, qui asserit; et inter hæc mortua est. Cedit illi pater : juvenem repudiata vindicat sibi.

DE PROOEMIO ET EPILOGO.

SERMO.

Proœmium propriam formam, propriam legem, proprium modum habet : neque narrationis forma cadit[2] in proœmium, neque locorum. Uni parti Declamationis solet esse simile epilogo : ideo autem simile, quod utraque res frequenter extra quæstionem est[3] : nam et proœmium rem

1. *Quidam.* Legatur Quintilianus Institut. lib. IV, cap. 1, et lib. VI, cap. 1. Facta omnium comparatione, licebit hic ipsum Quintilianum agnoscere : similiores tamen locos adscripsi lubens. Ærod. — *Cedit illo pater. Cedit illi pater : repudiata non cedit. Pauper juvenem vindicat sibi*, Ærod. *Cedit illi pater, juvenem repudiant, vindicat sibi de prohemio*, etc. Nos *illi* cum Bip. et rectius forsan *credit*. Ed.

2. *Neque narrationis forma cadit.* « Nec argumentis autem » (lib. IV, c. 1, §. 60) « nec locis, nec narrationi similis esse in proœmio « debet oratio. » Ærod.

3. *Utraque res frequenter extra quæstionem est.* « Proœmium (l. c. « §. 3) est pars ante ingressum rei

Digitized by Google

præcedit, et epilogus finita re dicitur. Præterea utraque res idem vult efficere[1], conciliare sibi judicem: hoc differunt. Procemia præstare debent, ut intentum judicem faciant: hæc pars oneris epilogo remittitur: dixit enim, præcedere interim solet epilogum, quo memoria judicis renovetur. Ita prima parte efficimus, ut omnia audiat judex: summa parte efficimus, ut meminerit eorum, quæ audierit. Epilogus deinde inclinationem animi in se præstare debet: hoc illi cum procemio commune est: plus miserationis, et plus libertatis habet[2] pars summa: nam procemium quum precari debeat judicem, fatigare non debet; nec epilogus quidem: nam et illud verissimum est, lacrymas celerrime inarescere[3]. Procemia ex personis ducenda

« de qua agitur. » « Ducitur tamen « nonnunquam » (ut ait paullo post) « ex rebus, ex lite, ex causa « et controversia ipsa. » Ærod. al. *Utraque pars*, marg. Ærod.

1. *Præterea utraque res idem vult efficere.* « Contraque est interim » (ait, loco citato §. 73) « procemii « vis, etiam non in exordio. Nam « judices et in narratione nonnun- « quam, et in argumentis, ut at- « tendant et ut faveant, rogamus. » Ærod. — *Dixit enim. Dixi enim, præcedere: non item solet epilogus: quo memoria judicis renovatur.* Schult. — *Præcedere interim solet epilogum.* Forte: *repetere interim solet epilogus, quo memoria judicis renovetur.* Gron.

2. *Sed plus miserationis, plus libertatis habet.* Miseratio quoque aliquando ex eadem causa venit, sive quid passi sumus grave, sive passuri. « Nec enim, l. c. §. 28, sum « in hac opinione, qua quidam, ut « eo distare procemium ab epilogo « credam, quod in hoc præterita, « in illo futura dicantur; sed quod « in ingressu parcius et modestius « prætentanda est judicis miseri- « cordia; in epilogo vero, licet to- « tos effundere affectus, etc. » Et lib. VI, cap. 1, §. 9, iisdem fere quibus hic verbis: « Dividere igitur « hæc officia commodissimum, quæ « plerumque sunt, ut dixi, procœ- « mio similia, sed liberiora, plenio- « raque. Inclinatio enim judicum « ad nos petitur initio parcius: tum « admitti satis est, et oratio tota « superest. In epilogo vero est, « qualem animum judex in consi- « lium ferat: et jam nihil dicturi « sumus, nec restat, quo servemur. « Est igitur utrisque commune, « conciliare sibi, avertere ab ad- « versario judicem, concitare af- « fectus, et componere. » Ærod. *Sed plus*, etiam Cl. Schultingius probat.

3. *Lacrymas celerrime inarescere.* « Nunquam tamen, VI, 1, 27, debet « esse longa miseratio: nec sine « causa dictum est, nihil facilius « quam lacrymas inarescere, etc. « Igitur non speremus fore, ut alie- « na quisquam diu ploret. » Ærod.

Digitized by Google

erunt, aut nostris, aut adversariorum[1], aut ipsorum interim judicum : nostris, ad conciliandum favorem : adversariorum, ad odium judici faciendum eorum, contra quos dicimus. Judicum personæ raro incidunt in scholasticas materias, in foro frequenter : nonnunquam etiam de rebus permittitur dicere nobis, illa ratione, quia scholastica controversia complectitur, quidquid in foro fieri potest. In foro proœmium aliquando ducitur ex rebus[2]; si jam singulæ actiones propositæ sint, jam causam judex noverit. Quid ergo? jure facimus istud, quo illud etiam, ut narremus in iisdem Declamationibus, et contradictiones ponamus etiam[3] a petitore? Quod jam in foro non secundum meum consilium fiet : is qui primo loco dicet, et ponet causam, contradictionem ipse non sumet, nisi si quæ testationes præcesserint partis adversæ, ut exceptæ fuerint. In summa, nunquam erit contradictionis loco sumendum, quod adversarius dicturus fuerit, sed quod dixerit. Non

1. *Aut advers. Aut* omittit, Burm.

2. *Proœmium aliquando ducitur ex rebus.* « Benevolentiam, IV, 1, 6, « aut a personis ducimus, aut a « causis accipimus. » Et l. c. §. 3 : « Vitioseque in scholis facimus, « quod exordio semper sic utimur, « quasi causam judex jam noverit. « Cujus rei licentia ex hoc est, « quod ante declamationem illa ve« lut imago litis exponitur. Sed in « foro quoque contingere istud « principiorum genus, secundis ac« tionibus potest : primis quidem « raro, aut nunquam, nisi forte « apud eum, cui res aliunde jam « nota sit, dicamus. » Ærod.—*Jam causam. Et jam causam j. n.* Schult.

3. *Contradictiones ponamus etiam pro petitore.* Neque hic locus absque illo restitui, in Institutio. lib. IV, cap. 2, 29 : neque ille absque hoc facile intelligi potest. Ait enim eum morem esse Declamatoribus : « Ut « statim post exordium, narratio« nem subjungant. Inde his etiam « alia libertas, ut in eadem decla« matione primum suo, secundo « quasi partis suæ loco narrare vi« deantur. Nam quum pro petitore « dicunt, simul et expositione, tam« quam prius agant (nam declama« tio, non vera actio est) uti solent : « et contradictione, tamquam res« pondeant : neque id fit non recte » (ita enim lego) « nam quum sit « Declamatio, forensium actionum « meditatio, cur non utrumque pro« tinus locum exerceat? Cujus ra« tionis ignari, ex more, cui assue« verunt, nihil in foro putant esse « mutandum. » Ærod. — *Quod jam in foro. Quod tamen in foro.* Sch. — *Ut exceptæ.* Id est, notatæ, animadversæ. Schult. *Et exceptæ*, Ærod.

Digitized by Google

est lis huic mulieri hodie cum marito suo: neque enim judicium constitui potest inter eum, qui cedit, eamque, quæ sibi asserit. Adolescens asseritur a paupere patre: ille cedit[1]: mater non cedit.

DECLAMATIO.

Etiamsi lis huic mulieri, cui adsum, judices, esset contra pauperem istum, infirmo loco pars nostra et dignior auxilio videretur; quia et per se imbecilla res est femina, et affert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua est. Huic etiam proprium illud accedit, quod in solitudinem[2] conversa sunt, quæ præsidia fuerunt: hæc enim quamvis maritum habere desiisset, atque esset ea domo, in qua virgo nupserat, pulsa, non sine auxilio tamen videri poterat, quum haberet filium juvenem. Quum vero hoc ipsum deducatur in litem, et hoc tempore nihil matri præter sollicitudinem afferat; tamen hoc confiteor, non eam cum ipso, quem ex diversis videtis subselliis, litigare: altior gratia premit. Esset quippe hæc mater in lite utcunque felicior, si maritus ejus contentus esset filio cessisse: nunc adjecit testimonio auctoritatem[3], et infelicissimam nutricem, quam

1. *Ille cedit.* Nempe qui pater videbatur. Ærodius. *A paupere. Pater illo cedit. Mater non cedit.* Schultingius.

2. *In solitudinem. In sollicitudinem*, Schult. — *Ea domo, in qua virgo nupserat, pulsa.* Scribe: *In quam virgo nupserat.* Gron. Malim: *In quam virgo innupserat.* Vid. Turneb. Adv. XXX, 29. Ovidius, Met. XII, 196, dixit, « denubere in « thalamos; et Tacitus, Ann. VI, 27: « In domum denubere. « *Pulsa domo* illustravimus ad Ovid. Epist. XII, 135. Burm. — *Præter sollicitudinem. Præter solitudinem*, Ærod.

3. *Nunc adjecit testimonio auctoritatem.* Sic Pithœus. Thaddæus et Ærodius, *veritatem.* Scribo: *nunc adjecit testimonii auctoritatem.* De elegantia τοῦ *adjecit* diximus ad Senecæ Troades 206; et Livii librum decimum. Declam. CCCLII: « Pia arma cepisse, privatas quo- « que adjecisse vires. » Gron. Nihil mutem: nam infra hac Declamatione sequitur, « volo adjicere tor- « mentis auctoritatem. »

Digitized by Google

bis torsit, quia verum dicebat, adversum nos mori coegit. Cujus si vos auctoritas, judices, movet, illud unum in prima parte causæ dixisse contentus sum, vocem ejus ab utraque parte recitari. Quod si vindicari filium mallet, satis eum vel sola expositio causæ tueretur: fuit enim aliquando cupidus liberorum, et propter hoc duxit uxorem, et ad spem statim futuri partus gratulatus est: et natum educavit, et in adolescentiam, quod satis est, sine ulla dubitatione perduxit. Libentius in gravissima mariti injuria, judices, invehar in novercam: scio enim [1], quid vellet sibi, quum in domum senis jam et matrimonio occupatam, et in qua juvenis filius erat, irrupisset: scit hæc posse vacuari. Nolite quærere, quo consilio, qua ratione fecerit: sola est: odia statim [2] adversus adolescentem, nec hæc occulta aut dissimulata saltem, sed jurgia. Quod ipsum mehercule pro summa probatione esse, judices, potest: hunc juvenem sic oderat, tamquam noverca. Nec huic libertas ex fiducia deerat, nec inveniri poterat ullum crimen in vita, quo abdicaretur: inventum est novum exheredandi genus. Vilissimum istud caput, et in quamcunque litem pretio venale, testimonium adversus se primum tulit: exposuisse se dixit; videlicet ne istum esse malum patrem puderet. Testor deos, testor vestram, judices, religionem: non satis putavit iste ipse, qui expellere filium volebat, quasi aliquid sui [3] credidisset:

1. *Scio enim. Scit enim*, Obr.

2. *Odia statim. Orsa est odia statim*, Obr. — *Sed jurgia. Sed aperta jurgia*, Ærod. — *Pretio vile. Venale*, Schult. Francius et Obr. *Exh. genus, vilissimum et in quacunque lite pretio vile. Testimonium*, Er.

3. *Quasi aliquid sui credidisset.* Fortasse: *quasi aliquid inquisivisset.* Ne videretur sine inquisitione tacere. Gr. *Si alioqui id nulli credidissent.* Sch. *Quasi aliquid huic credidisset*, Obr. *Volebat, eo cedere, quasi aliquid nutrici credidisset.* Ærod.

Digitized by Google

infelicissimam nutricem (nam illam quoque oderat[1]) omni crudelitatis genere laceravit. Quæritis, qua causa? scietis, quum iterum torquebit: fatigaverant[2] prima tormenta, et in voce una manserat fides: exprobraverat isti sanguinem suum: revocatus est tortor, repetiti sunt cruciatus. Manifestum est infelicissimæ feminæ [3]factum, futurum, ut tamdiu torqueretur, quamdiu idem dixisset. Ego tamen illi non irascor: dum aliquid virium, dum aliquid animi fuit, perseveravit: non est in mendacium coacta, nisi moriens. Victor his tormentis nihil aliud quærendum putavit[4], nihil dubitavit. In tormenta, ut parcissime dixerim, paria non vindico: sed rogo, ut hoc velitis pertinere tantum ad ipsius causam: filium matri vindico contra eum, qui asserere cœpit nuper.

1. *Nam illam quoque oderat.* Velim, *illam hæc*, aut, *illa hanc*, nempe noverca, in cujus gratiam omnia facta vult. Gron.

2. *Fatigaverant. Fatigaverat primo*, Ærod. quod probo, si *prima* legatur. — *In voce una.* Scil. dicens nutrix nihil aliud, nisi esse filium verum. — *Exprobraverat. Comprobaverat*, vel *probaverat*, Schult.

3. *Manifestissimum est inf. f. factum.* Celeberrimus vir Anton. Schultingius, amicitia mihi conjunctissimus, legebat *fatum*: non enim de facto mulieris agitur, sed de fato, vel conditione: similesque lapsus observasse viros eruditos in l. XXI, ff. de Eviction. et l. XII, ff. de Captiv. et post. notavit: et nulla certe familiarior librariorum aberratio. Vid. Cl. Græv. ad Flori Prol. 2; et Drak. ad Sil. I, 277; et XI, 9, et quos non?

4. *Victor his tormentis nihil aliud quærendum putavit.* Divitem intelligit: nam potius victor fuit in causa assertionis, qui omnem modum abdicandi filii investigabat, quam pauper, qui per calumniam, et prævaricatione divitis, filium alienum vindicabat. Ait enim postea: « Quo ne hoc quidem præstitit filio « suo, ut vinceretur. » Potest etiam dici victor ancillæ fuisse, quam tormentis ita superavit, ut falsum dicere cogeretur. Post quod testimonium non amplius dubitavit filium suum non esse: obscurum et incertum quia id exquirebatur, pro comperto habuit: ait enim infra: « Magna, hercule, tibi contigit « victoria, perdomuisti mulierem « anum. » Et, « dum tu victor et « hilaris, adversario tuo, quid ege« ris, nuntias. » Ænos. — *Paria non vindico.* Alii apud Ærodium: *nondum voco.* Forte: *nondum dico.* Gronov. *In tormentis, u. p. d., paria nobis vindico.* Schult. — *Sed rogo. Et rogo ne hæc velitis.* Schult.

Digitized by Google

Ante omnia intelligitis, judices, nullum onus probationis ad me pertinere. Juvenem, de quo[1] agitur, cum hoc homine inventum per tot annos, qui ad robustam usque ætatem perducere eum, de quo litigamus, potuerunt, nunquam dubitatur. Dicam nunc ego illa, quæ leviora sunt. Nupsit, et concipere potuit: immo nisi concepisset, non credidisset illi maritus: totum igitur onus redundat ad diversam partem. Adversarius multa probare necesse habet; habuisse se uxorem, concepisse uxorem suam, peperisse, marem peperisse; eo tempore[2], quod ad ætatem ejus de quo litigamus, congruat, peperisse, exposuisse, vixisse expositum: ab hoc, a quo repetit, esse sublatum, et contra subjectum: ab hac quod præcedit[3], aut sterilis fuerit, aut id quod pepererat, amisisse. Sterilem fuisse non dices; credidit maritus amisisse: non est satis dicere, probandum est. Hæc exigeremus in causa, judices, si de mancipio[4], si de pecunia: filium matri eripere conaris, et partem

1. *Juvenem de quo. Juvenem d. q. a. c. h. h. i. p. t. annos, quibus ad r. u. æ. perduceretur, etiamsi de eo litigare potuerunt, nunquam dubitatum.* Possunt tamen et omnia retineri, si tollantur *de quo litigamus*, quæ superflua et irrepsisse ex seqq. videntur. Schult. Pro *inventum*, forte scripsit, *viventem*. — *Nunquam. Numquid dubitatur?* Obrechtus.

2. *Peperisse marem, peperisse eo tempore.* Non aliter Ærodius, nisi quod *matrem*. Sed hac distinctione vacat, quod sequenti versu est *peperisse*. Sic igitur interpunge: *concepisse uxorem suam; peperisse; marem peperisse; eo tempore, quod ad ætatem hujus, de quo litigamus, congruat, peperisse, exposuisse.* Gr.

3. *Ab hac quod præcedit.* Nihil hic sani. Forsan: *ab hoc, a quo repetit, esse sublatum; et contra subjectum ab hac, quæ retinet, quod aut sterilis fuerit, aut id, quod pepererat, amisisset.* Sic mox: *Ne huic quidem retinendi.* Gron. *Aut contra subjectum ab hac, et quod præcedit aut sterilem fuisse.* Schult. *Aut contra subjecti ab hoc, quod præceps, aut sterilis fuerit*, Obr. — *Credidit. Nec credidit maritus: amisisse non*, etc. Ærodius recte, ut puto, distinguit.

4. *Si de mancipio. Si sit de mancipio, si sit de pecunia.* Schult. *Sive de m. sive de pecunia*, Obr. *Si d. m. s. de p. ageremus*, Ærod.

Digitized by Google

viscerum avellis, et contra maternos gemitus, contentus es alterius parentis negligentia[1]. Quid causæ, inquit, habeo? cur assero alienum? ut nondum reddam rationem, qua litiges, quod proposuisti dicere, illud est: nam si tibi causa asserendi alienum filium non est, nec huic quidem retinendi: quinimmo facilius est istud pauperi fingere. Quid enim fortunæ tuæ interest, an heredem habeas? sed reddemus postea rationem, qua fingas: interim instrumentum excutere causæ tuæ[2] volo. Testimonio, inquit, nitor ejus, quem tu patrem dicis: putemus istud esse testimonium: unus est, iratus est, alterius maritus est. Unus est, quum dico, succurrant vobis Catones et Scipiones, et tot clarissima civitatis nostræ nomina[3]: quum dico, iratus est, succurrat vobis, quidquid non experimentorum in civitate, sed in scenis fabularum est, quam multa fecerit hic affectus; quam multos transversos velut tempestate quadam egerit. Quum dico, alterius maritus est, duo simul dico; et habet causam, cur nocere huic velit, quam repudiavit: et habet causam, cur præstare ei velit[4], quam duxit:

1. *Parentis negligentia.* Ita Terent. Andr. I, 1: « Cognatorum « negligentia. » Schult. Et Hecyr. IV, 4: « Quem ipsa neglexit, pater, « ego alam? » — *Cur assero.* Lege, *cur asseram.* Gron. — *Qua fingas. Quæ fingas.* Ærod.

2. *Instrumentum excutere tuæ causæ.* Paulus Sentent. lib. II: « In- « strumentorum appellatione ea « omnia accipienda sunt, quibus « causa instrui potest: et ideo tam « testimonia, quam personæ, in- « strumentorum loco habentur. » Ulpian. in l. notionem, §. instrumentorum, ff. de verb. et rer. sig. Ærod. An, *firmamentum excutere?* Schult.

3. *Nomina.* Quid si, *lumina.* Francius. — *Non experimentorum. Non modo exper.* Schult.

4. *Cur præstare ei velit.* Observat. Barth. lib. XXIX, adv. 6, sequiori ævo *præstare* absolute positum pro prodesse, ut hic sumi videtur; et Manutius ad Cicer. ad Fam. IV, 8, notat *præstare* esse plus, quam *præbere*, quum hoc propensi animi sit, illud rem ipsam et actionem significet, et multos se *præbere*, nec tamen *præstare;* sed tunc addi solet, *se*, quod forte et hic deest, et le-

Digitized by Google

hæc dicerem, si istud testimonium esset illius. Testis tuus quid dicit? scire se aliquid: sequitur, ut interrogem, unde? ex nutrice illa: nutricis ergo testimonium est, non testis, qui credit. Dimittamus in præsentia maritum; reducemus illum loco suo[1]: de nutrice dicamus. Si ab initio mentita esset (id, quod adversus hunc dicere audeo, magis auderem adversus nutricem dicere,) sola est. Nunc diversæ quæstiones duæ: videamus utram verum dixisse credibilius sit. Torta tuum esse filium dixit: volo adjicere tormentis auctoritatem: anus torta: una quæstio adversus hunc sexum, adversus hanc ætatem non sufficit. Sufficientes[2] jam per se distendis artus, lacerasque verberibus jam non cohærentem cutem: et hoc dicis; Mentiris. Tamdiu potest mentiri contra tuam voluntatem? etiam quum robustissimi torquentur, etiam quum animos asperrimus dolor tentat, plurimum tamen interest, quid responderi sibi velit, qui torquet. Dura[3], non dico, contra ignem, non dico contra flagella, contra hactenus veritatis inquisitio est, qua victum te speras[4], si verum dixerit: quum vero re-

gendum est, *cur præstare se ei velit.* Sic Ovid. Trist. II, 170: « Nunc « quoque se præstet, notaque signa « petat. » Apud Apulei. Met. VI, Juno inquit: « Præstare me non « possum. » De simili locutione, *se præbere*, vide ad Ovid. Amor. I, 6, 41. Burm.

1. *Reducamus illum loco suo.* Scripsit auctor, *reducemus.* Gron. Ita et Schult. et Obr.

2. *Sufficientes.* Lege, *deficientes.* Ærod. Ita Obr. et Schultingius, qui etiam *subsidentes* conjiciebat, ut apud Senec. Thyest. « animus « subsidit. »

3. *Dura. Duravit non dico, contra ignem, non dico contra flagella, sed contrariam hactenus veritatis inquisitionem* (vel, *contra te, cujus hæc veritatis inquisitio non est*) *quia te victurum non speras.* Sch. — *Contra flagella, contra.* Lege, *contra flagella, contra verbera.* Ær. Qui edidit, *contra flagella, contra verbera dura. Contra flagella, contra catenas v. i. est, qua victum te feras, si*, Obr. An, *catoma?* Vide ad Petron. c. CXXXII.

4. *Qua victum te speras, si verum dixerit.* An, *sperare*, hic est, timere? Forte: *qua victum te apparet,*

Digitized by Google

petas tormenta, quum reducas carnificem, quid aliud dicis, quam illud: Torque, donec mentiatur? Magna, hercule, tibi contigit, magna victoria: [1] perdomuisti mulierem anum: expressa vox est jam fugientis animæ: miserere; non est tuus: jam parce; verum dixisti. Hic jam, credo, tortor admonitus, instaret, perseveraretque, eamque adhiberet artem quæstioni, ut moreretur mulier, dum hoc dicit, dum tu victor et hilaris adversario tuo, quid egeris, nuntias. Rogo, quum mulier eadem in tormentis diversa dixerit, non est manifestum id te maluisse, quod credidisti? Cui non mortalium patet totus hic animus[2]? quis non videt artes novercales, et pactum infelicis senis? miserebor enim, etiamsi nocet necessitate. Quæritis, quo credat animo? quo matrem filii adolescentis domo expulit, quo longam matrimonii concordiam, nullo maledicto, nulla suspicione dissolvit; quo adhuc in torum, uxoris prioris vestigio calentem, adducta est nova nupta: quo ne hoc quidem præstitit filio suo, ut vinceretur. Alia est videlicet horum ratio[3], quos brevis transitus voluptatis fecit parentes, quos liberis suis extra positæ voluptates conciliant: aliter

et verum dixit. Gron. Forte: *quia victurum.*

1. *Perdomuisti. Prædomuisti*, edit. aliæ. — *Fugientis animæ.* Francius malebat, *fugienti.* — *Verum dixisti.* Alii apud Ærodium, *dixi*: qui scilicet hæc quoque verba tortæ adscripserunt. Nec repugno. Possit tamen aliquis putare, esse patris ad tortorem, simulantis sibi esse satisfactum, quum revera voluerit torqueri, donec periret. Ita legendum foret: *Jam parce, verum dixit.* Gronov. *Jam parce, verum dixi tibi.* Schultingius. *Jam parce verum dixi. Istic jam*, Obrechtus.

2. *Totus hic animus.* Lege, *totus hic mimus*, ut supra Declamatio CCLXXIX. Schult. — *Et pactum.* An, *fatum*, an, *factum?* Schult. — *Necessitate.* An, *necessitatis?* ut referatur ad *miserebor.* Schult.

3. *Horum ratio. Harum ratio, quas b. tr. voluntatis* (nempe virorum) *f. parentes*, etc. Vel, *quas brevis transitus voluntatis fecit parentes liberis non suis, quas extra p.* etc. Aut, *quas litibus levibus extra positæ voluptatis con.* Vel, *extra torum positæ.* Schult.

Digitized by Google

amant quæ pepererint; quæ memoriam decem mensium, quæ tot periculorum, tot sollicitudinum recordationes ad vos, judices, afferunt[1]. Numerate hujus adolescentis annos, breve nimium videatur: numerate omnes dies, singula temporum momenta: tamdiu mater testimonium dicit: nulla potest esse tam longa simulatio. Si leges sinant, permittatisque vos, se torqueri volet, se imponi ignibus, se verberibus lacerari postulet. Quid agis, mulier? temere facis: femina es, et anus; prima forsitan tormenta sustineas; vincet dolor, et ad suprema deficies. O admirabilem, judices, vocem! torqueat, inquit, modo mater sim: aliud est nutrix, et ancilla, et torquente domino. Age, quum in hac voce supremum posueris spiritum, cui juvenem reddituri sumus? Volesne illum ad hunc patrem reverti, et ad illam novercam?

CCCXXXIX.

Rogatio Demosthenis.

Rogationem fert Demosthenes, ne illi, qui apud Chæroneam capti erant a Philippo, et gratis remissi, consiliis publicis intersint. C. D.

DECLAMATIO.

Priusquam causas rogationis meæ persequar, Athenienses, succurrit mihi laudare vos, et [2]adcognoscere.

1. *Affert. Afferunt.* Schult.
2. *Et adcognoscere.* Lege, *agnoscere.* Gron. An, *et adeo agnoscere, quod post?* Schult. *cognoscere,* Erod. *Et agnoscere. Post,* Ohr. Apud Patron. cap. LXIX: « Adco-

Digitized by Google

Post adversum prælium (quod quidem ipsi, qui rebus Philippi favent, dolore ac rumoribus in majus extollunt) non pacem petiistis, non de conditionibus ullis cum hoste[1] tractastis: ipsos etiam repetendo captivos, hoc ostendistis, curam esse vobis, ut bellum geri posset. Id quum fecistis pro majorum vestrorum opinione atque laude, servataque usque ad hoc tempus gloria civitatis, tum etiam, ut arbitror, ratione quadam, quod nos victos, non tam virtute hostis, quam eorum, qui pugnare noluissent, timore existimabatis. Quamlibet igitur obliquis actionibus pars diversa, dum tueri mille istos captivos videtur, pacem suadeat; animum virtutemque civitatis debilitare conetur: ego loquor[2] apud eos, qui non defecerunt. Sed multa me dicturum, propter quod[3] approbari possit rogatio mea, oratoriis artibus impedire pars diversa conatur: negat enim rogationem contra leges accipiendam, negat adversus singulos: quorum ego utrumque confiteor. Verum neque adversus leges esse existimo, quidquid pro opinione ac pro dignitate civitatis patimur[4], et cui nulla lex scripta ex contrario exstat: nam si quod est jus, quo contineatur

« gnosco, inquit, Cappadocem. » Ubi vide Heinsium.

1. *Cum hoste tractastis.* Justin. XXXI, 7, 7: « Neque de redimendo « filio unquam tractavit. »

2. *Ego loquor. Ego tamen loquar apud animos, qui n. d.* Schult. Sed et *deficere* ipsi viri dicuntur, quibus animus cadit, Flor. II, 2, 17: « Nec « deerant qui ipso punico nomine « ac terrore deficerent. » Ovidius, Epist. XIX, 8: « Deficiam, parvi « temporis adde moram: » ubi minime *deficiar* legendum esse puto. Met. XIV, 483: « Ultima jam passi « comites belloque fretoque Defi- « ciunt. » Val. Flac. IV, 35: « In « duris haud unquam defice. » *Ego loquar,* et *defecerint,* habet etiam Ærod. Burm.

3. *Multa me dict., propter quod.* Cur non, *propter quæ.* Ut et mox: *rationem etiam, propter quam.* Gr. — *Pars diversa.* Bip. edit. *pars adversa.* Ed. — *Adversus singulos.* Vid. Decl. CCLIV.

4. *Civitatis patimur. Facimus,* marg. Ærod. *Patimur et cum n. l.* Ærod. *Civitatis facimus* (nisi græco more sumatur) *et huic nulla lex.*

Digitized by Google

hoc, ut mali et jam turpes cives utique consiliis publicis intersint, videor fortasse hanc rogationem contra leges scripsisse. Si vero nihil est, quod ex contrario cogat, non potest videri hoc adversus id scriptum esse, quod non obstat. Illud vero aliquanto minus existimare possum, adversus singulos scripsisse legem, quum certe mille sint, de quibus agitur. Quamquam rationem etiam, propter quod non liceat rogationem contra singulos ferre, illam video, quod peccata singulorum videantur habere leges suas. Homicidium fecit aliquis, sacrilegium, injuriam, cæteraque his similia: suo jure punitur. Quum vero mille semel capiendos se alligandosque hosti præbuerint, hæc, ut opinor, supersunt, ut aut nulla castigatione dignam rem, qui contra dicunt, putent: aut si castiganda sit, ostendant legem, qua castigari possit: aut si non ostendant, nihil aliud quam rogationem superesse, fateantur. Primum igitur hoc apud vos, Athenienses, dixisse contentus sum, æquissimum quidem ac justissimum esse, ut populo detur summa rerum potestas: consilium tamen non utique turba, nequé tumultu, neque angustiis eorum, qui consulantur, constare. Utinam quidem fieri posset, ut ex universo populo rejicere, ac seligere liceret eos, qui parum prudentes, parum digni consiliis publicis viderentur. Sed quoniam istud deprehendi, nisi experimentis, non potest, de his demum rogationem fero, qui experti sunt [1]. Atqui si hoc apud vos non [2] male constitutum est, esse aliquos, qui consiliis publicis interesse non debeant; jam multo facilius ac pronius erit, ut doceam, hos esse, qui etiamsi utiles consiliis futuri

1. *Qui experti sunt. Quos experti sumus.* Schult.

2. *Non tale. Non male*, Obrechtus: recte.

Digitized by Google

essent, indigni tamen propter dedecus proximæ militiæ erant. Ac mihi in hæc dividenda videtur ratio[1] istius orationis, ut pars ad ipsos, de quibus loquor, spectet, pars ad universam rempublicam. Adversus istos hoc dixisse contentus sum; Bellum adversus Philippum suscepimus pro libertate totius Græciæ, pro salute communi: nam etiamsi in præsentia amicam civitatem, nobiscum olim conjunctam, tueri videbamur, eventus tamen belli ad omnes pertinebat; et hoc nobis, Athenienses, vetus atque a majoribus traditum est, pro universa Græcia stare: sic contra Persas semel iterumque pugnavimus, ac privatis viribus defendimus publicam salutem. Jam igitur ex hoc apparet profecto vobis, nunquam majore animo, nunquam concitatiore spiritu fuisse pugnandum: non enim nobis cum hoste Græciæ aliquo res erat, ubi, quamquam victi, leges tamen similes, linguamque certe eamdem pateremur; sed cum homine barbaro, cum homine crudeli, cum homine infesto. Quamquam quid necesse est ista diutius dicere? pugnare enim placuit et placet. In hoc igitur prælio, quod, ut dixi, pro universa Græcia susceperamus, nondum dico, quantum nocuerit istorum timor; interim cujus propositi fuerit animus, attendite. Longe felicissimum in bellis est vincere: fortissimum, si victoria non detur, pro causa mori: est tamen tertium aliquod inter dedecora; in patriam certe redire, et si vincere non detur, effugere: potest enim credi, qui hoc fecit, ad secundam se aciem servasse, et victum adversis ani-

1. *Videtur ratio. Ratio* excidit in quibusdam exemplaribus editionis Leidensis; quum tamen in aliis reperiatur, et una tantum, quod sciam, sit editio, hoc vocab. suo loco manere jussimus. Deest et editioni Pithœanæ, unde Schult. supplebat, *orationis vis.*

Digitized by Google

mum reposuisse: ille vero, qui se in servitutem hosti dedit[1], qui abjectis armis parata in vincula præbuit manus, quam tandem nobis spem in posterum facit? Atque ego, Athenienses, eo tempore, quo recipi istos placebat, contradicturus fui, nisi quod poterat honestum ex his receptis exemplum fieri: sunt igitur digni pœna aliqua, sunt ignominia, si hoc tantum ad ipsos referatur. Sed redeo ad publicam utilitatem: nihil esse, quo magis disciplina militaris confirmari posset[2], Athenienses, quam exemplum adversus indignos, nemo dubitavit: quæ enim spes in bellis in milite nostro residua est, si nihil potius fuerit, quam capi? certum habeo nunc istos male sentire de his, qui in acie ceciderunt.

1. *Inter virtutem hosti dedit.* Cl. Bentleius ad Horat. Od. III, 5, 33, legit: « Ille vero, qui se in servitu- « tem hosti dedidit, qui abjectis ar- « mis paratas in vincula præbuit « manus. » Sed ita jam Obrechtus ediderat, nisi quod *dedit* habet; et *illi*. Sed et Schultingius ita jam emendaverat; *paratas* etiam Francius. In priorem emendationem, ut facilem et manifestam consentio; sed *parata vincula* non moverem, quæ Philippus scilicet jam paraverat Græcis. Burm.

2. *Confirmari posset. C. possit*, Ærod. et Francius. — *Nemo dubitavit.* Lege, *dubitabit.* Gron. *Nemo dubitarit*, Francius.

Digitized by Google

CCCXL.

Novitius prætextatus.

QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT, LIBER SIT. Mango novitium puerum per publicanos trajecit[1] prætextatum: dicitur ille liber.

DECLAMATIO.

QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT, LIBER SIT. Quærendum est nobis, quid sit in libertate esse: voluntate domini est in libertate[2], quo volente liber est. Nos finimus ita: voluntate domini in libertate est, qui jus libertatis usurpavit domino volente. Id primum scripto ipso colligemus: non enim difficile fuit ei, qui hanc legem componebat, id scribere: QUI VOLUNTATE DOMINI LIBER FUIT: nunc hoc scribendo, QUI IN LIBERTATE FUERIT, satis ostendit aliud esse, in libertate esse; aliud, liberum esse. Excutiamus etiam causas legis hujus. Indignum putavit legumlator, eum, qui in fortuna aliqua reipublicæ, qui in numero civitatis fuisset, redigere in servitutem. Sed hoc quoniam[3] sibi nequitia interim asse-

1. *Per publica rostra jecit.* Lego, *per publicanos trajecit.* PITH. Ita emendavit Rubenius, Elect. lib. I, 16, approbante Ferrario, de Re Vest. part. I, lib. III, cap. 24. Fraus autem hic facta *portorio*, de quo, et professionibus, ne fraus fieret publicanis, egi in dissertatione de Vectigalibus P. R. cap. 5. Cl. Schult. dubitabat, an legendum esset, *propter publica portus*, vel *portoria*; vel, *propter publicanos et portoria fecit prætextatum.* Putat autem Declamationem sequentem huic præponendam, et jungendam hanc Declamationi CCCXLII.

2. *Voluntate domini est in libertate. Voluntate domini est, inquit, in libertate, qui eo volente l. e.* SCH.

3. *Sed hoc quoniam. Sed quo-*

Digitized by Google

rebat, adjecit, ut hi liberi essent, qui in libertate VOLUNTATE DOMINI fuissent. Vis scire, quanto aliud sit[1] in libertate esse, aliud liberum esse? eum, qui in libertate fuerit, jubet lex liberum esse: tanta rerum differentia est in causis libertatis: in libertate est igitur, quisquis caret forma servitutis: id, judices, ex hac ipsa lege manifestum est: non enim legumlator putavit etiam eos, qui a dominis fuga abessent[2], esse in libertate, quod colligo scripto ejus, QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT. Apparet aliquos et non voluntate domini in libertate esse: quod si verum est, potest in libertate esse, etiam qui liber non est. Nihil ergo prodest tibi, quum dicis, liberum eum non fuisse: non enim quæritur, an voluntate tua liber fuerit; sed an voluntate tua in libertate fuerit: si voluntate tua liber [3]fuisset, quid nos postularemus? Depulsus hac pugna, transcendit eo, ut neget, liberum tunc saltem fuisse. Quomodo igitur colligemus eum, qui in libertate est, quibus argumentis colligemus esse in libertate? Signavit aliquis tamquam liber: si id voluntate domini fecerit, etiamsi maxime illum servum esse dominus voluit eo tempore, manifestum erit[4] in libertate: sic quisquis aliquid pro

niam sibi nequitia interim libertatem asserebant, Ærod.

1. *Quanto aliud sit. Q. aliud scit in libertate esse* (*tanta rerum differentia est in causis libertatis*) *aliud l. e.* Ærod. Qui, inclusa parenthesi mox iterum sequentia rejecit; et legit: *lex liberum esse. Igitur quisquis caret f. s. non ideo liber est: hoc ipsa* (*id videt et hoc* marg.) *lege adhuc m. est.*

2. *Fuga abessent. Abiissent* volebat Francius.

3. *Si voluntate tua liber non fuisset.* Ærodius: *liber, non in libertate fuisset.* Ego nihil aliud quam particulam negantem deleo. GRON. Et ita Obr. — *Ut neget, liberum tunc saltem fuisse.* Forte: *ut neget in libertate tunc saltem fuisse. Quomodo igitur colligemus? eum, qui in prætexta est, quibus argumentis colligemus esse in libertate?* GRON. *Quomodo igitur colligemus liberum? quia in libertate fuit, quibus argumentis colligemus fuisse in libertate?* SCHULT.

4. *Manifestum erit. Manifestum*

Digitized by Google

libero facit: atqui hic puer non tantum pro libero[1], sed etiam pro ingenuo est, prætextatus fuit. Si talem illum ad judices perduxissem, hoc insigne non tantum libertatis modo[2], sed etiam dignitatis esset: equidem paves, ne scelus feceris. Et alius fortasse tantum usurpaverit libertatem, hic et approbavit[3]: quibus? publicanis: hominibus, ut parcissime dicam, diligentissimis: in summa velim ostendere totum tuum comitatum, quis habitus servorum fuit. Ego tamen, inquit, non ea voluntate feci[4], ut hic liber esset, sed ea, ut publica non

erit fuisse in libertate. Schult. Et ita Ærodius edidit. *Manifesto erit in libertate;* vel, *manifestum erit esse i. l.* Francius.

1. *Pro libero.* Ita Sueton. Aug. 22: « Liberto suo addixit, ut rele-« gatum in agros pro libero esse « sineret. »

2. *Non tantum libertatis modo.* Delet *tantum* Schultingius, quia ex præcedenti versu repetitum est: Francius legebat: *tantummodo libertatis: non tamen,* Ærod.

3. *Hic et approbavit. Hunc e. a. cujus publicanis,* marg. Ærod. *Hic et ap. unus e publicanis,* Ærod. Nescio unde illam lectionem, *unus e publicanis* hauserit. Recte autem Obrechtus distinguit, *Quibus? publicanis: hominibus, u. p. d. diligentissimis. — Unus e publicanis hominibus.* Hic novitius puer non hoc loco liber est, quod ut quilibet alius libertatem usurpavit, et in libertate fuit volente domino, dum ab eo in foro prætexta indutus est: sed hoc ipsum, ut liber sit et ingenuus, unus e publicanis diligentissimus, quum apud eum professio fieret, id approbavit, cujus alioqui intererat, ingenuum non esse: quia servi veneunt, non liberi homines, nec ejus rei, quæ in commercio non est, vectigal solvitur. Igitur hic puer et voluntate domini, et præjudicio publicanorum liber est. Quæ ad hanc Declamation. ex jure nostro pertinent, vulgaria sunt. Vide Justinian. tit. de latina liber. tollen. tit. Communia de successio. Ulpianum tit. de libertinis: de prætexta, Budæum ad l. ult. ff. de senato. ad l. sed si togæ. ff. de jure fisci. Novitiorum quoque ut variæ sunt causæ, varia appellatio est: si a mangone aut venalitiario veneant, aliter definitur: l. præcipiunt, ff. de ædil. edict. si a non negotiatore, ut quisque eum destinatum habet, l. ult. ff. eod. tit. aliter si apud publicanos eum quis profiteatur, l. interdum, §. quoties, ff. de publica: sunt igitur leges illæ non contrariæ, sed diversæ. Ærod.

4. *Ego tamen, inquit, non ea voluntate feci.* Paulus, l. 17, ff. Qui et a quibus: « Non fit liber, si men-« titus dominus, ne à magistratu « castigaretur, dixit esse liberum: « non enim fuit voluntas manumit-« tendi. » *Publicum* autem pro vectigali accipi, nimis tritum est, et

Digitized by Google

solveret. Sæpius eadem dicenda sunt: etiam gratulamur, si invito te liber est: liberum esse noluisti, sed in libertate esse voluisti; nihil interest, qua causa hoc feceris, id est, ut propius ad verba legis accedam, nihil interest, qua causa in libertate esse eum volueris. Verum ista causa, quam prætendis, digna pœna est: circumscribere vectigalia populi romani voluisti, specie prætextati imponere publicano voluisti. Postmodum dicam, quantum intersit hujus pueri: interim dicam, tua quid interest? quod petieras, non contigit tibi: [1] non fefellisti.

SERMO.

Hæc circa jus: illa jam circa æquitatem.

DECLAMATIO.

Quæ passurus est hic puer domino redditus, sine dubio novimus: istam negotiationem, et frequentissima in foro videmus judicia talium injuriarum. Fortasse etiam natus est ingenuus: fortasse rapto ex aliquo litore prætextam fortuna reddidit. Illud est tamen, quod nos magis [2] confundat: videtur mangoni puer pretiosus: timuit, ne magno æstimaretur: ista species in quacunque servitute miserabilis foret. Rogamus vos, [3] judicetis, quam multa facere possit adversus puerum mango ira-

apud Ciceronem et apud nostros jurisconsultos. Cicero ad Quintum fratrem, et 6 Parad. Ulpian. l. 1, ff. de publica, l. ut in conductionibus, ff. pro socio, l. miles ex quib. eau. majo. l. fideicommissa, §. interdum de legat. lib. II. Ærod.

1. *Quod petieras, non contigit tibi, non fefellisti.* Contrarium vult acerba ironia. *Tua quid interest? quod petieras, contigit tibi: fefellisti.* Id agebas, ut fraudares publicanos: hoc contigit tibi, eos fefellisti. Gron.

2. *Quod nos magis.* An, *vos?* omisit vero vocalem hanc Ærodius.

3. *Rogamus vos, judicetis.* Francius legebat, *vos, judices.* — *Quam multa.* Ed. Bip. *qua m.* non potiori sensu.

Digitized by Google

tus: aut illi fortasse pretium, excisa virilitate, [1]producet: aut ob infelicis contumeliæ annos venibit in aliquod lupanar. Res est nobis cum homine, qui non erubescit; nihil reservat[2]; etiam periculose avarus est; quos cultus accipiet, qui prætextam habuit? Ego vobis allego etiam ipsum illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem.

CCCXLI.

Res furtiva improfessa apud publicanos.

QUOD QUIS PER PUBLICANOS IMPROFESSUM TRANSTULERIT, COMMISSUM SIT. Quidam rem furtivam transtulit per publicanos, non professus est[3]: deprehensa res est Publicani cum domino contendunt: illi tamquam commissam rem[4] vindicant: ille tamquam suam.

DECLAMATIO.

Rem non professam apud nos tenemus: hoc jus quale

1. *Pretium producet.* Id est, *extendet*, ut Justin. XI, 4, 8. Ita Sueton. Aug. 102: « Producere legata « ad vicena sestertia. » BURM. — *Excisa virilitate.* Vide ad Inst. lib. I, cap. 10, §. 18; et V, 12, 31.

2. *Nihil reservat. Mire rem servat e. p. a. Quos;* vel, *mire res servat: et. p. a. est.* SCH. *Et jam periculosus*, Ær. — *Ipsum illud.* Deest *illud* Rip.

3. *Non professus est.* Hæc verba potest aliquis, non auctoris, sed interpretis, putare. Nam ipsum illud, *trajecisse, transtulisse per publicanos*, est non professum esse. Sic et Decl. CCCLIX: « Publicanus « noluit scrutari. Translatis manum « injecit. » GRONOV.

4. *Illi tamquam commissam rem vindicant* Quæ hic pro publicanis dicuntur, probabiliter et oratorie dicuntur. Cæterum alio jure utimur, vel si res furtiva non sit. Nam iniquum est, dominum re sua privari, absque facto et culpa sua. Paulus tit. de publica: « Dominus

Digitized by Google

sit, postea videbimus. Quod quis professus non est apud publicanos, pro commisso tenetur: ea res, de qua judicatis, in professionem non venit; omni jure conditionis nostra est. Mea est, inquit; nihil istud contra jus nostrum est: alioqui nemo non hoc de re non professa dicere possit, Mea est: et is qui transtulit, alienam rem transtulit. Ante omnia, nulla lege comprehensum est, ut alienam rem non profiteri liceret[1]: alioqui publicum eversum est, leges permutandæ sunt, ut transferantur aliena[2]: an furtum profiteri debuit? At iniquum est meam pœnam esse, quum ille peccaverit: iterum dicam, Si quid iniqui habet lex nostra, postea viderimus: interim lex est: non adversus homines, sed adversus rem scripta est[3]. Si jus accepissemus aliquod ab eo, qui

« navis, inquit, si illicite aliquid in « nave, vel ipse, vel vectores im- « posuerint, navis quoque fisco vin- « dicatur. Quod si absente domino « id a magistro vel gubernatore, « aut proreta nautave aliquo fac- « tum sit, ipsi quidem capite pu- « niuntur commissis mercibus, na- « vis autem domino restituitur. » Idem a Justiniano rescriptum est constitutio 131, §. si quis domi suæ. a Constantino; C. de falsa moneta. ab Accursio notatum ad l. 2, C. de navibus non excusan. Causarum tamen et criminum habenda aliqua ratio est. Sed ubi res non professa, alio item vitio laborat, puta, furtiva est, aut servus fugitivus est, nulla jam dubitatio est, rem domino auferri non posse. Nam ex lege XII. Rei furtivæ perpetua est auctoritas, etc. de fugitivo servo a divo Pio sæpissime rescriptum est. l. interdum ff. de publica. Quid sit *commissum*, et unde fluxerit hæc appellatio, vide Asconium, Fab. et Ulpian. Ærod.

1. *Ut alienam rem non profiteri liceret.* Licet institori, negotiorum gestori, procuratori, usufructuario, bonæ fidei possessori, sed in fure nec omissio, nec professio nocet, aut prodest domino. Ærod.

2. *Ut transferantur aliena.* Thaddæus et Ærodius ignorant particulam *Ut*. Ego hæc verba puto ejus, contra quem agunt publicani, et sic constituo: *permutandæ sunt. Transferebat aliena: an furtum profiteri debuit?* Respondet publicanus: *At iniquum est.* Gron. *Permutandæ sunt. Ut transferantur aliena, an f. pr. non debuit;* vel *tamen furtivum profiteri debuit.* Schult. *Sunt. At transferantur aliena, an furtum pr. debuit?* Obr.

3. *Sed adversus rem scripta est.* Hoc de rebus solis vere dici posset. « Imperatores Antonius et Verus « rescripserunt, » inquit Papirius

Digitized by Google

non transtulisset, exigendi[1]; sic quoque sine dubio esset nostra causa melior: sed tamen videretur de re ipsa esse contentio. Nunc lex hoc continet, ut rem teneamus, quæ translata est, quæ professa non est[2]: quid interest, quis professus non sit? nobis res dedita est; hæc de jure. Sed jus ipsum iniquum est: alio me vocas, de alio quereris: dic istud reipublicæ, dic senatui, dic magistratui: ærarium P. R. vectigalibus iniquis repletur; et spoliantur provinciæ, et sublatum commercium est: nos conduximus id, quod locabatur. Sed respublica quoque, cum qua queri poteris, habet quod respondeat; primum illud, necessaria esse vectigalia civitati; exercitus stipendium accipiunt; bella quotidie geruntur adversus barbaras et bellicosissimas gentes; defendimus ripas, et flumina, et littora: huc adjice et illud; templa exstruuntur: multum impendiorum sacra ducunt; aliquid[3] et spectacula: opus est vectigalibus. Inter vecti-

Justus, « in vectigalibus ipsa præ« dia, non personas conveniri. Sed « in rerum mobilium merciumque « professione, factum etiam delin« quentis attenditur, et error et « ignorantia. » Ærod.

1. *Qui non transtulisset, exigendi.* Particulam negantem Pithœus addidit. Vid. an fuerit: *Si jus accepissemus aliquid ab eo, quod non transtulisset, exigendi.* Gr. *Qui transtulisset,* Obr. — *Sic quoque sine dubio.* Hoc est, Si jus accepissemus non tam adversus rem, quam adversus personam, exigendi videlicet ab eo, qui transtulisset, non etiam rei ipsius jure commissi retinendæ: sic quoque, etc. Ærod. — *Sed tamen. Quod,* vel, *sic tamen.* Schult. *Tamen* pro tantum capit Ærodius.

2. *Quæ translata est, ut professa non est.* Scribe: *quæ translata est, quæ professa non est.* Vel *aut professa.* Nam, ut diximus, idem uterque sermo significat, sed posterior simplicius et clarius. Gronov. *Et professa non est,* Ærod. Latinius et Schult.

3. *Sacra ducunt aliquid. Sacra indicunt, aliquid et spectacula. Opus sit v.* Schult. *Aliquod ad spectacula: Opus est vectigalibus.* Latinius. *Aliquid et sp.* Obr. *Aliquid ad spectacula opus est vectigalibus.* Ærod. *Ducunt* non moverem: quod verbum rationum esse ostendit Gronov. Obs. II, 10, vel capi potest hic pro sacra secum ducunt, id est, necessario exigunt multum impendiorum. Burm. — *Opus est vectigalibus.* Postremam vocem pro spuria judico. Gron.

Digitized by Google

galia porro quod æquius inveniri potest, et sine majore hominum querela[1]? quanto illud injustius videri potest, quo partem hereditatis sibi vindicat? At plurimum in hoc vectigal confert negotiatio: quidquid est, de futuro lucro est. Præter id, quod non potest videri iniquum, ad quod acceditur[2]: et vectigal quidem ipsum necessarium, non iniquum; num hoc injusta pœna est, in qua furta deprehenduntur, qua lex vindicatur, qua fraus transferentium detegitur? Aliter stare vectigal non potest: eodem revertimur iterum: hac ratione respublica locat, hac necessitate nos conduximus, et pretio vicimus[3]. Et adversus quales homines conduximus? quamvis pœna sit, quamvis in commissum veniant ea, quæ quis professus non est, tamen fallere nos volunt, tamen mille artibus circumscribuntur[4]: quotaquæque res est, quæ deprehendatur? Poteramus tibi etiam imputare beneficium istud, quod tibi extorqueri quereris, non apud nos perdidisti: interim, quod satis est, furem apud nos invenisti: ignorares, nisi nos fuissemus, trans-

1. *Et sine majore hominum querela.* Fortassis: *et magis sine hominum querela?* Aut, *et minore hominum querela.* Gron. *Sine minore.* Schult. — *Quo partem hereditatis sibi vindicat.* Ut lex Julia et Papia et Memmia de vicesimis hereditatum, aliisque hujusmodi. Ærod. Utrum subaudiri potest *respublica*, an scribendum, *quod partem*: nempe vectigal. Gron. Intelligi potest quidem vicesima hereditatum, de qua in dissertatione de vectigal. P. R. cap. XI; sed potius hic puto legendum, *quo partem hereditatis fiscus vindicat.* Ita ut intelligatur lex Pappia Poppæa, de caducis fisco vindicandis: quæ, quum iniquissima esset, sublata a Justiniano fuit: quæ vero lex Memmia fuerit de vicesimis cum ignarissimo ignoro.

2. *Ad quod acceditur.* Vide ad Senecæ Epist. 101. Gron. *Accedit*, Ærodius. — *Nam hoc.* Nos cum Bip. *num.* Ed.

3. *Vicimus.* Licitatores alios: ut Cicer. ad Att. XIII, 29: « Othonem « vincas volo. » Ubi vide Corrad. et ita capio illa ejusdem Cicer. Verr. II, 2, 19: « Auctio facta est, in qua co- « hors istius invicta dominata est. » Quam nemo licitando potuit superare. Burm.

4. *Circumscribuntur. Circumscribunt*, Obr. *Circumscribimur*, Ærod. et edit. al.

Digitized by Google

lata in aliam provinciam furta, inter ignotos homines, inter alienos. In summa parte, quia lex secundum nos est[1], æquitas secundum nos est, illud quoque dicendum puto, qua sententia possitis parti utrique consulere. Quid est æquius, quam utrumque vindicari? Unus furtum fecit duobus: habet suam quisque legem; nisi nos retinemus, nulla actione vindicari possumus: ille etiamsi non ipsam rem acceperit, pro re tamen accipere poterit. Habet actionem de illa[2]: nam et in quadruplum litigat: non irascitur furi, qui re contentus est. Adversus invidiam illius privata agi actione potest; a nobis, publica. Ille vobis commendat sarcinas suas: nos commendamus vectigalia vestra, commendamus reditus civitatis.

1. *Quia lex secundum nos est.* Scribe: *In summa parte (quia lex secundum nos est, æquitas secundum nos est) illud quoque dicendum puto.* Gron. — *Nos nisi retinemus.* Hoc jure nostro falsum est. Nam commissi persecutio competit, ut adversus quemlibet possessorem, ita adversus heredem l. commissa, ff. de publica. vectig. et com. Quid igitur adversus furem? tanti in eum actio dabitur, quanti lis erit æstimata. arg. l. 4, §. ult. ff. de re judica. l. si quis in tantam C. unde vi. Quod sequitur, ut dominus pro re pretium accipiat, eam quorumdam fuisse opinionem ait Accursius d. l. 2, C. de navibus. non excusan. quos movit. l. item si verberatum. §. 1, ff. de rei vindicat. Sed verius et æquius est, dominum non delinquentem damno rei suæ non affici, qua plus quam pretio ducitur. Ærod.

2. *Actionem de illa.* « Furtum » (inquit Paulus) « est contrectatio « rei fraudulosa, etc. quod lege « naturali prohibitum est admitte- « re. » Ærod. — *Adversus invidiam. Adversus invidiam illius, judices, privata agi actione posset a nobis, sed et publica:* nam et aliquando injuriarum actio publica datur. Schult.

Digitized by Google

CCCXLII.

Ancilla in archipiratæ nuptias missa.

QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT, LIBER SIT. Qui habebat patrem et sororem, captus est a piratis. Scripserunt piratæ patri, ut mitteret vicariam filiam futuram archipiratæ uxorem. Misit ille matronali habitu[1] ancillam: remissus est adolescens. Illa ab archipirata heres omnium bonorum relicta, rediit in civitatem. Dicitur ancilla.

SERMO.

Similes quæstiones sunt prioris divisionis; eadem finitio: dicit enim is, qui petit in servitutem, eum esse in libertate domini voluntate, quem liberum esse dominus voluerit. Nostra pars dixit, in libertate esse domini voluntate eos, qui aliquid pro liberis ex voluntate domini fecerunt. Repellenda est nobis finitio partis adversæ; deinde nostra confirmanda. Finis partis adversæ sic[2] repelletur.

1. *Matrimoniali habitu.* Vide Ruben. de Re vestiaria, lib. I, c. 16, ubi male hinc colligit libertas quandoque portasse stolas. SCHULT. *Matronali*, Ærod. Pith. et nos. ED.

2. *Finis partis adversæ sic repelletur.* Sic et Thaddæus. Ærodius, *Finitio.* Sed ipsum illud *finis.* Quintilianus, Inst. lib. IV, cap. 4, §. 4: « Sed nonnunquam valde utilis est « narratio, præcipue, ubi res defendi non potest, de fine quæritur: ut pro eo, qui pecuniam privatam de templo sustulit. » Sic enim libri vett. ubi subjiciunt, *jure* aut *nomine.* Lib. VII, c. 3, §. 20: « Ideoque in schola, ubi nobis ipsis « fingimus contradictionem, duos « ponere debemus fines, quales « utrinque optimi poterunt. » Et mox, l. c. §. 25: « Maximus autem « usus in approbando refellendoque « fine propriorum ac differentium, « nonnunquam etiam etymologiæ. » Vid. etiam Instit. Or. II, 15, 12, et 35-37: adde IV, 4, 3; V, 10, 54, etc. ED. Ex quibus apparet hic quoque scribendum: *F. p. a. s. refelletur.* GR.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT, LIBER SIT. Si de his loqueretur lex, quos dominus manumisisset, et liberos esse voluisset, supervacuum erat: nam etiam hac lege sublata, non dubitabatur, quin manumissi liberi essent. Præterea aliud esse, in libertate esse, aliud liberum esse, etiam ex eo manifestum est, quod eos, qui in libertate fuerint, liberos esse lex jubet. Ad quos ergo lex pertinet, ut ad nostram finitionem redeamus? Qui volentibus dominis fecerint aliqua tamquam liberi: ut puta, signavit aliquid volente domino servus? liberum esse vult: iniquum enim erit[1] tabulas auferri, et circumscriptum esse nescio quem, cui signatæ sint tabulæ. Judex inter duos convenerit[2], et sententiam tulerit volente domino? liberum esse hunc voluit, ut ea res, quæ judicata erat, haberet suum finem. Denique neminem, qui in aliqua formula libertatis[3] fuisset, nisi

1. *Inimicum enim erit.* Hæc ratio non perpetuo vera est. Nam tabulæ nonnunquam firmæ et ratæ manere possunt, et testis ille nihilominus in servitutem peti. §. sed cum aliquis in Institutio. de test. ordinan. Servi quoque nullum arbitrium est, ut Ulpianus ait ad edictum de receptis arbitris: et tamen possunt valere quæ apud eum acta sunt, ut tamen liber non efficiatur. l. Barbarius, ff. de officio prætoris. Sed quum utrumque volente domino factum erit, quæstio illa nascitur, an tacite ei dominus libertatem donasse videatur, ut quum eum tutorem dat, aut heredem instituit: quæ non nisi liberorum sunt nomina. ÆROD. *Inimicum* Ærod. et alii legunt. Vide Forner. Select. III, cap. 4, et ita supra bis terve commutari, hæc verba vidimus, ad Declam. CCCXIII. — *Tabulas auferri.* Forte, *aboleri.* GRON. *Ei tabulas offerri.* SCHULT.

2. *Judex inter duos convenerit. Cognoverit,* Obrecht. sed nullam causam video: sæpe enim *convenisse judex* dicitur. Vid. Vorst. ad Val. Max. II, 8, 2. BURM.

3. *In formula libertatis.* AD, *fortuna,* ut Decl. CCCXL: « In aliqua « fortuna reipublicæ. » Et ita Decl. CCCXLIX, pro *fortuna*, *formula reponenda.* SCHULTING. Ego nihil muto: ita enim sæpe Livius, ut lib. XLIII, 6: « Lampsacenos in « sociorum formulam referre Q.

Digitized by Google

fraude et culpa sua redire in servitutem voluit. In libertate autem putavit esse legumlator etiam eos, qui non voluntate domini in libertate essent, sicut eos, qui absentibus dominis aliqua pro liberis egissent: et ideo adjectum est in lege, QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT. Ergo etiam invito domino potest aliquis esse in libertate, invito autem non potest esse liber; aliud est in libertate esse, aliud liberum esse. Hanc igitur, de qua quæritur, dico voluntate tua esse in libertate: hoc quomodo probo? quo uno probari potest: fecit aliquid tamquam libera. Nondum dico, ad piratas pervenit: dissimulo et illud, qua causa volueris, eam in libertate esse: interim, et vidente te, et spectante, habitu matronæ fuit. Hoc satis erat, etiamsi postea nulla essent consequuta: an vero majus in hoc putamus esse momentum, ut circumverteres mancipium[1], aut si una voce liberum esse jusseris, quam si habitum dederis, stolam dederis? quod ne manumissis quidem omnibus contingit. Hoc loco poni solet[2] illud: num igitur, si in scenam misero, et mimi partibus, tamquam matrona, processerit, poterit videri mea voluntate in libertate

« Mænius prætor jussus. » Et ita « formulam sui juris, ditionis, etc. » sæpe dixit, etc. Vide ad lib. XXVI, 24, et XXXVIII, 9, et alibi: male ergo *forma* Ærod. Vide tamen ad Decl. XIII, 9. BURM.

1. *Circumverteres mancipium.* Persius V, 77: « Vappa et lippus et « in tenui farragine mendax: Verte- « rit hunc dominus, momento tem- « poris exit Marcus Dama. » Quum servus manumittebatur, imposita ejus capiti manu vertebatur a domino, quo significaret eum jam liberum esse, ut ei quocunque liberet abire, liceat impune. Hunc morem notavit Appianus, lib. IV bellorum civilium, atque ad hunc allusit Seneca ad Lucilium, « Phi- « losophiæ servias oportet, ut tibi « contingat vera libertas. Non dif- « fertur in diem qui se illi subjecit, « statim circumagitur. » ÆNOD. Qui legit, *momentum, si vindicta ferires, et circumv.*

2. *Hoc loco poni solet.* Est hoc sermonis. PITH. *Opponi,* Schulting. et Obrecht.

3. *In libertatem esse.* Sic Cic. pro leg. Manil. 12: « In prædonum esse

Digitized by Google

esse? non est hoc porro simile[1], nam ipsa statim scena rem fictam esse testatur. Stola illa mimi erit, non hominis: at eadem si hoc habitu extra scenam fuerit, et in civitate processerit; eadem illa, quæ solet mima esse, nihilominus erit in jure libertatis: ergo habitu satis testata est libertatem. Quid? si fecit aliqua tamquam libera? profecta est, parum est dicere, quasi ingenua, quasi honesta, quasi filia tua. Sed hæc omnia, inquit, feci non ideo, quoniam eam in libertate esse volebam. Lex non ad causam nos voluntatis tuæ mittit, sed ad ipsam: in libertate esse voluisti; quare volueris, nihil ad judicem, nihil ad voluntatem pertinet. Tu tamen illam in libertate esse noluisti[2]: ut parcissime dicam, maligne. Quid si credibile est, hanc etiam voluntatem tuam fuisse, ut illa in libertate sit? quid enim? esse illam voluisti ancillam. Cujus? non dubium est[3], quin hoc votum tuum fuerit, ut matronam approbaret, ut filiam tuam approbaret. Noluisti eam in libertate esse, de qua nihil magis timebas, quam ne illa tibi, tamquam ancilla, remitteretur? quamquam etiamsi remissa esset, jam tamen tua voluntate in libertate fuisset. Sed pro-

« potestatem. » Plaut. Amph. I, 1, 25 : « Non vero mihi in mentem « fuit. » Vide Gellium. Ærod.

1. *Hoc porro simile. Hoc posito*, vel *proposito*, vel *protinus simile.* Schult. — *Stola illa mimi erit, non hominis.* Cur non *mimæ?* Nam quod præcedit, *mimi partibus*, potest tolerari, ut mimus sit ipsa fabula. Gron. *Mimæ* recepit Obrechtus. *Mimi erat*, Ærod.

2. *Tu tamen illam in libertate esse noluisti.* Ærodius, *voluisti.* Melius Pithœus : sed interpunctio obscurat locum. *Tu tamen illam in libertate esse noluisti.* Hoc est, Tu dicis te noluisse : nam occupatio est. Respondet : *Ut parcissime dicam, maligne :* nempe egisti, vel voluisti. Gron. Delet et *illam* Ærod. — *Voluisti ut parcissime. Voluisti. Hoc (ut par. d.) maligne.* Schult.

3. *Ancillam, cujus non dubium est.* Et hoc non intelligitur sine distinctionis facula. Scribe : *Quid enim? esse illam voluisti ancillam? Cujus? Non dubium est, quin hoc votum tuum fuerit, ut matronam approbaret, ut filiam tuam.* Gron. *Nam dubium est.* Schult.

Digitized by Google

cessit ultra: dicebam[1]; Habitum matronæ, te volente, sumpsit; iter tamquam matrona ingressa est; te volente ad piratas tamquam filia venit tua; te volente approbavit se liberam et ingenuam; te etiam volente in matrimonio fuit, tamquam libera; heres relicta est, tamquam libera. Horum omnium jus a tua voluntate profectum necesse est, qui voluisti dimittere, qui voluisti tamquam liberam dimittere. Hæc dicerem, etiamsi piratæ tantum vicariam petiissent: nunc vero quum adjecerint, ut eam vicariam mitteres, quæ in matrimonio archipiratæ esset, dubitari non potest, quin tu eam miseris, tamquam liberam futuram? Hæc quod ad jus: illa quod ad merita[2]. Digna est, quæ sit libera, filium tibi restituit: si tantum filii tui pretium fuisset, videretur tamen bene meruisse. Nunc quam multa addit ad fidem? poterat et remanere apud piratas, et obligare illos hoc indicii sui beneficio. Sed non confessione tantum effectum est, ut filia tua videretur: quemadmodum complexa est illa catenatum? quoties fratrem vocavit? quam veras[3] lacrymas profudit? optime meruerat de te, et hoc ipso, quod reversa est.

SERMO.

Hic parce quidem stringendus erit pudor patris, stringendus erit tamen, tamquam cupidi et avari, et heredita-

1. *Ultra dicebam. Ultra ut dicebam*, Schult.

2. *Hæc quod ad jus, illa quod ad merita.* Sunt et ista potius Sermonis, et quod sequitur pagina sequente. *Quam causam*, etc. Declamationis videtur. Pith. *Illa quo ad æquitatem, merita est quæ sit libera*, Ærodius.

3. *Quam veras.* An, *quam crebras?* Sch. Sed sic *falsa lacrymula* Ter. Eun. I, 1, 22: et sæpe *falsæ lacrymæ*, et *veræ* occurrunt. Ut persuaderet se esse matronam, debuit veras profundere; vel quæ saltem viderentur veræ. Burm.— *Quod reversa est.* Ut tibi jus patronatus esset integrum. Schult.

Digitized by Google

tem istam affectantis: hoc ideo non amare, nec districte, primum quod potest hic esse dominus illius, si ita judicibus videbitur; deinde quod nobis res cum eo est, cui gratias agimus, cujus voluntate dicimus nos in libertate fuisse. In summa parte advocationis, advocamus etiam adolescentem illum, quasi advocatum, qui nostro beneficio redemptus est. Promittit præterea, ista, quæ in hereditate relicta sunt, illius esse. Quam causam revertendi habuit aliam? licuit illi, ignorante eo, in aliqua civitate subsistere.

CCCXLIII.

Circumscriptor pauperis, divitis raptoris socer.

CIRCUMSCRIPTIONIS[1] SIT ACTIO. Pauper et dives eamdem puellam petebant in matrimonium: capta est illa, quæ petebatur: posuit conditionem petitoribus pater, ejus esset, qui redemisset: pauper profectus est, et redemit virginem. Rapuit illam competitor dives: educta ad magistratus nuptias optavit. Circumscriptionis accusatur pater a paupere.

SERMO.

Non tantum nobis in hoc laborandum est, ut circumscriptus sit adolescens, quantum in illo, ut circumscriptus sit a patre. Esse enim justam querelam ejus, qui redemit et reduxit, quum præsertim sub pacto redemerit, manifestum est. Eximitur[2] ex parte diversa rei persona. Quod

1. *Circumscriptionis.* Vide Sulp. Vict. Inst. Orat. pag. 259. SCHULT. — *Circumscriptio.* Vid. Paulus in l. hæc actio. D. Si mensor falsum modum dixer.

2. *Eximitur.* An, *excipitur a parte?* an, *eximit tamen pars diversa rei personam?* SCHULT. — *Pater tantum promisit.* Forte, *permisit*: non curavit, ut raperet, non ut puella optaret: passus modo est hæc fieri. GRONOV.

Digitized by Google

factum est, ne duceret ille, non pater fecit. Rapuit dives, optavit puella, pater tantum promisit. Quomodo ergo fiet, ut hic circumscripserit, si probat omnia facta hujus voluntate? alioqui, nisi hoc obtinuerimus, frustra [1]plorabimus apud judices.

DECLAMATIO.

Circumscriptum esse me probare prius volo, quam ab isto circumscriptum. Pactus sum: hoc pactum non servatur, nec potest repeti. Pecuniam impendi sub pacto; neque pecuniam repetere possum; neque id, propter quod impendi, habeo: navigavi, laboravi. Sic interim loquor; Quoniam promittebatur aliquid, hoc quod promissum erat, præstari non potest: circumscriptio est. Hactenus causa fundamenta cepisset[2]: sequentia illa sunt, ut probem me et ab hoc circumscriptum esse, et indignissime circumscriptum. Animadvertitis, judices, fiduciam circumscriptoris: alius rapuit, alia optavit; ideo circumscriptio est: neque enim unquam decurritur ad hanc legem, nisi quum rectum jus nequitia exclusum est. Si non alius rapuisset, ex pacto reprehenderem: sed nihil hæc cavillatio proderit tibi, qua crimen in generum et in filiam transfers: nam si apparuerit judicibus, omnia te volente facta esse, qui promisisti; manifestum erit, a te esse circumscriptum eum, qui tibi credidit. Igitur ab initio propensiorem te fuisse diviti, non suspicionibus probo, non eo quod credibile est. Capta filia tua, quam posuisti conditionem? ejus futuram, qui re-

1. *Plorabimus. Orabimus*, Francius: nihil muto, et hinc forte posset firmari lectio MSS. apud Ovid. Ep. VIII, 21: « Si socer ignavus « vidua plorasset in aula. » Burm.

2. *Fundamenta cepisset. Cepit.* Schult. Et ita Ærodius: qui porro legit, *sed sequentia i. s.* — *Decurritur. Recurritur*, Ærod. — *Rectum jus.* Id est, directum. Vid. Cl. Schultingium ad Senecam Contr. XVI, pag. 221.

Digitized by Google

demisset: id elegisti discrimen inter duos petitores, quod facilius posset præstare dives: deceptus es in hoc; ego[1] redemi, ego reduxi. Quo alio modo efficere potuisti, ne mihi nuberet, nisi hoc? Dico ergo tua voluntate factum esse, ut filia tua raperetur: hoc quibus colligo? rapuit eam, qui non amabat. Petierit sane, non redemit: sub conditione hac non redemit. Cur diutius moror? mihi cessit: non est ergo, quod illum cupiditate impulsum putes; carere illa poterat: adjicio non fuisse illum rapturum, nisi securum. Nihil loquor de patria severitate, nihil de lege, quæ pro pudicitia minatur, quæ mortem denunciat. Ille rapuisset puellam alii destinatam, alii pactam, nisi fiducia tui? non est credibile. Sed ne illud quidem credibile est, filiam nuptias optaturam fuisse, nisi te volente; primum, quod in nulla virgine tantum audaciæ, tantum confidentiæ est, ut apud magistratum, et de re summa audeat optare inconsulto patre: et illa utique non fecisset; et noveram puellam, et propius in itinere cognovi. Adjice, quod nunquam tam ingrata fuisset puella, ut nuptias optaret ejus, a quo non erat redempta; relinqueret ejus, cui debebat libertatem, cui salutem. Hoc dico, præter illum injuriæ dolorem, quum id perpessa esset in civitate, quod non inter latrones, non inter barbaros illos: non est, ut dixi, credibile, ut aut rapuerit ille sine fiducia tua[2], qui non amabat, qui plurimum timere debuerat; aut hæc optaverit sine auctoritate tua, et puella, et contra eum, qui de illa optime merebatur, et pro eo, a quo et contempta erat, et rapta. Existimo animum[3] tuum

1. *Deceptus es in hoc; ergo.* Ærodius: *Deceptus es, ac ego: redemi ego, reduxi.* Scribendum: *Deceptus es in hoc: ego redemi, ego reduxi.* Gron. Ita et Schulting. et Obrecht.

2. *Rapuerit ille sine fiducia tua.* Lege, *tui*, ut paullo ante. Gron.

3. *Existimo animum tuum fuisse*

Digitized by Google

fuisse manifestum: qui si apparet, a te circumscriptus sum. Jam venimus[1] ad illam tertiam partem causæ nostræ, in qua ostendam vobis, quam inique sim circumscriptus. Nuptias filiæ tuæ pactus sum: non dico, qua mercede: pactus sum[2]. Fides supremum rerum humanarum vinculum est: sacra laus fidei inter hostes, sacra, quod nuper comperi, inter piratas: tantæ etiam apud malos auctoritatis, ut quum tradere mihi filiam tuam nolles, negare aperte non sustinueris. Et qua mercede pactus eram? ut redimerem: non dico a quibus; nondum dico, quo periculo. Scilicet male tecum agebatur, si cui cœperat plus debere, quam tibi: in summa qualis sit ista conditio, sic æstimandum est; tu posuisti: hoc ad meritum pertinet, illud ad pericula. Navigavi ad piratas, in quos incidere miserrimum est: quæsivi, omnes scopulos scrutatus sum, omnia litora excussi. Accedit aliquid ponderis huic merito meo: pauper hoc feci; rem diviti gravem, mihi necessariam. Et quare negata est? ut collocaretur ei, qui non redemerat, qui contempserat, qui piratis reliquerat? Tantumne pecunia valet? tantum ille fulgor divitiarum contra veritatem potest? nunc ille melior. Non tamen ego feci: quasi circumscriptio in hoc sit solo, quod non acta per testem[3]: est in illo, quod promisisti; est in illo, quod me, donec ille raperet, distulisti. Non est hoc genus causæ, in quo omnia crimina transferre possis:

manifestum. Immo *esse.* Gron. Ita et Schult. vel, *sic esse.* Sed *fecisse,* Obrechtus.

1. *Jam venimus. Jam veniamus.* Ær.

2. *Qua mercede pactus sum.* Scribe: *Nondum dico, qua mercede pactus sim.* Gron. *Non dico qua mercede: pactus sum,* Schultingius et Obrechtus.

3. *Non acta per testem. Quod non rapta per te; etiam est in illo,* etc. Obr. *Rapta per temet.* Schult. *Non acta per testem est. In illo q. p. est: in illo,* etc. Ærod.

Digitized by Google

initium a te est; promisisti: si non erat in tua potestate, statim circumscripsisti. Scilicet ego stultus, qui virginem reduxi, qui tantam curam egi verecundiæ, ut optare possem[1]. Non in totum jactabo vobis, judices, continentiam meam: sine dubio proferre volui ad patrem integrum munus, nec corrumpere, quod præstarem. Aliquid tamen fecerunt et mores puellæ: severam videbam et asperam; ne me quidem tulisset.

CCCXLIV.

Redempta meretrix a divite pauperis filio.

INSCRIPTI MALEFICII[2] SIT ACTIO. Pauperis et divitis filii eamdem meretricem amabant: leno conditionem posuit, ei traditurum se esse meretricem, qui pretium prior attulisset. Pauperis filium in solitudine dives flentem stricto gladio invenit. Interrogavit causam: ille dixit, se mori velle ob amorem meretricis. Pretium ei donavit: redemit adolescens meretricem. Agit pauper cum divite inscripti maleficii.

SERMO.

De parte legis inter utrumque litigatorem confessum est.

1. *Ut optare possem. Posset*, Obr. An, *ut exspectare*, vel *stuprare possem?* SCHULT. — *Proferre.* Lege, *perferre.* GRON. Ita Obr. — *Ne me quidem. Non me q.* Ærod.

2. *Inscripti maleficii sit actio.* Quint. lib. VII, c. 4, §. 36: «Præter «hæc controversiarum genera, fin- «guntur in scholis et scripti male- «ficii, in quibus aut hoc quæritur, «an scriptum sit: aut hoc, an ma- «leficium sit: raro utrumque.» Sive *scriptum*, sive *inscriptum* legamus, sed hoc malim, non satis liquet, quid sit id quod dubitatur, an inscriptum, an maleficium sit, an utrumque. Inprimis illud observavimus, inscriptum nunc simpliciter et separatim a maleficio dici. «In- «scriptum, inquit, esse id quod «objicio, non negatur;» et postea, «Eo pertinet, ut appareat inscrip-

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Inscriptum esse id, quod objicio, non negatur. Qua

« tum esse, quod objicio. » Et in Institutionibus eo loco, quem attulimus, « aut hoc quæritur, an scrip- « tum sit. » Nunc copulative, et adjectum quasi substantivo, *inscriptum* aut *scriptum maleficium* appellari: *inscripti maleficii sit actio*, hic, et apud Senecam, lib. V, Declamat. 1. Et supra, Declamat. 252. « Igitur et scriptum maleficium « est adversus eum, cum quo agi- « tur: et maleficium non solum « confessum, etc. » Necesse est igitur uno casu maleficium generalius accipi, quod tamen scriptum, aut inscriptum non sit. Et rursus alio: « Inscriptum, quoddam maleficium « esse, hoc est damnum, quod ta- « men maleficium non sit: nempe « nec sceleratum, nec impium, ne- « fandum, aut denique vindican- « dum legibus, sed damnum abs- « que injuria, fraude, et inimico « animo. » At hoc cuicuimodi sit controversiæ genus, scripti, vel inscripti maleficii, nusquam memini hac formula lege agi solitum, ut id omne revera existimem commentum fuisse declamatorum, ducta nihilominus a judiciis forensibus aliqua similitudine, ut de abdicatione et exheredatione, dementiæ et tutelæ controversiis antea diximus. « Nam præter hæc finguntur » Quintilianus inquit: « in scholis « et scripti maleficii. » Nec mihi propterea objice, in scholis omnia fingi. Id enim verum quidem sit de ipsis controversiarum thematibus, summis et argumentis. Sed ipsa actio, si legitima est, ut tutelæ, mandati pro socio, injuriæ, læsæ majestatis, non ipsa fingitur: at fictum ad eam genus facti accommodatur. Verum in scholis quædam sunt actiones, quarum ipsæ formulæ nusquam a prætore, aut lege ulla propositæ sunt, ut abdicationis, dementiæ, mortis voluntariæ, ingrati, inscripti maleficii, in quibus omnia fingi, et ficta non facta recte affirmari possit, quamquam ex Græcorum aut aliarum gentium moribus, bonam partem earum liceat assumere. Igitur videamus quid sit inscriptum maleficium. Sane sic accipi potest pro eo maleficio, quod scriptum non est, ἄγραφον, non legitimum, nulla lege comprehensum, ut Quintilianus ait lib. III, c. 6, §. 36, alia esse scripta, alia inscripta; et Varro de Re rustica, « Inscriptum pecus professum ad « publicanos: » ut sit in scholis *inscriptum* (si quidem constet maleficium esse) quod in foro crimen stellionatus, quum titulus criminis deficit, nullumque aliud crimen occurrat, cui legitimo crimini pœna sit legitima, ut Ulpianus scripsit lib. VIII de officio proconsulis. Quemadmodum in proposita facti specie, numeratio pecuniæ a divite pauperis filio facta, ut redimeret perituro meretricem, in nullam legem cadit, ut huic, vel illi obligatus dici possit. Et item apud eneam, præcidisse laqueum suspendenti se, certum est maleficium non esse: aut si sit, certe non legitimum, non definitum ulla ad hanc rem lege lata ac proposita. Huic

Digitized by Google

lege[1] comprehendi potuit hoc nocendi genus, quod rem gravissimam fecit specie liberalitatis? Omnia igitur ista,

interpretationi adstipulantur mox illa verba, « An eum, qui rem defor- « mem aut inutilem effecerit, non « esse maleficii lege comprehen- « sum. » Quamquam illic jam quæritur, non an inscriptum, sed an maleficium sit. Fieri igitur potest, ut quæratur, an inscriptum id sit quod objicitur (forte ut ejus pœna relinquatur arbitrio judicantis, si maleficium appareat esse) et quod arguitur, an idem maleficium sit: ut hic, nam inscriptum esse non negatur, aut contra: raro vero utrumque. Nam si reus negat inscriptum esse, fatetur scriptum esse maleficium: atqui fateri scriptum esse, et negare tamen maleficium esse, vix, ac ne vix quidem, accidere potest: plane sic, nec scriptum esse, nec maleficium esse: ut 252 Declamatione, in qua negabat dives scriptum esse maleficium, quia filiam pauperis non stupraverat, nec ei videbatur maleficium esse, decem millia parasito dedisse. At si scriptum maleficium est, ut interpretamur, quod legitimum est, quod nominatim legibus publicorum aut privatorum judiciorum continetur, quare actio *Scripti maleficii*, unde et simpliciter appellatur, non ex ejus criminis titulo et nomine quod scriptum est? puta adulterii, parricidii, de vi, etc. hæc ratio facit, ut existimem illo loco Quintiliani, « finguntur in scholis « et scripti maleficii, in quibus hoc « quæritur, an scriptum sit, » corrigendum esse ex hac Declamatione, et illa Senecæ, *inscripti* et *inscriptum*, ut 252 quoque Declamatione supra sic legerem, « Igitur « et inscriptum et maleficium est, « adversus eum, cum quo agitur. » Nam quod raro quæri utrumque ait, an inscriptum et an maleficium sit: illic quærebatur utrumque. Quare ita concludit, « Igitur et in- « scriptum et maleficium est: et « maleficium non solum confes- « sum, etc. » Quid si quoque inscriptum maleficium sic interpretemur? *Inscribere* nonnunquam est attribuere, et quidquid factum est in alium, aut aliam rem transferre et derivare. Sit igitur inscriptum id, quod licet trahi possit in quoddam quasi maleficium: tamen ex officio, obsequio, pietate, liberalitate, actuque nec deformi, nec inutili profectum est: hoc est, quod ut maxime sit maleficium (sed de hoc quæri solet) tamen ei justa causa, æqua et speciosa prætenditur, et (ut Græci dicunt) *μετὰ κλοπῆλου δικαιοσύνης ἢ ἀδικία ἀδικοῦσα*. Veluti in hoc loco, si per se maleficium est dare pecuniam adolescenti, ut meretricem redimat, non videtur hic esse, quia cæteroquin perituro data est. Idem de aliis exemplis prædictis dici possit. Et in hanc conjecturam nos adducent hæc verba, *quod rem gravissimam fecit specie liberalitatis*: et quod passim uterque et dives et pauper attendi volunt quo animo, qua causa id factum sit: dives a se bono: pauper, malo a divite animo. Ærod. Vide Declam. CCLII ejusdem argumenti. Ed.

1. *Qua lege. Quale compr.* debetur Aurato nostro hæc emendatio. Marg. Ærod.

Digitized by Google

quæcunque ex adverso dicuntur, Donavi enim pecuniam [1], et servavi: et, quo jure prohibetur, eo pertinent, ut appareat inscriptum esse, quod objicio. Hac parte finita et constituta, transeamus ad eam, quæ reliqua est, et ostendam esse maleficium [2]. Nihildum de animo divitis loquor, nondum prodo causas, propter quas fecit: solum fuisse filium meum credite amatorem meretricis; huic redemptam esse meretricem: dico hoc esse maleficium, et quidem omnium maleficiorum gravissimum: levia sunt illa, quæ patrimonium populantur; levia etiam, quæ adversus corpus excogitantur: hoc non est legis viribus vindicandum, quod sævit adversus animum? Utrum igitur dicis non esse deforme, non esse inutile, meretricem domi habere? an eum, qui rem deformem atque inutilem effecerit, non esse maleficii lege comprehensum? cuicunque mortalium grave erat, domi habere meretricem: hoc certe nomen suo loco tantum fortasse deforme est; translatum in domum, etiam periculosum. Dicam nunc ergo hic interceptam spem nepotum, inquinatam filii mei famam, futurorum quoque annorum spem esse sublatam: hoc igitur, qui fecit, non potest non admisisse maleficium. Sed perituras, inquit, erat, nisi id fecissem: scio, quæ partes fuerint severioris patris: diceret ille, Mallem: levior ad me dolor pervenisset ex morte. Infelices quidem, qui liberos suos ad rogum deflent: summum orbitatis est malum, desiderare: hoc vero intolerabile est, lugere viventem; quoties occurrit, flere; plenas quasdam ducere exsequias dignitatis. Ego sane hanc tibi remiserim partem, qua colligis moriturum fuisse: utrum amore

1. *Donavi enim pecuniam.* Puto: *donavi meam pecuniam.* Gron.

2. *Et ostendam esse maleficium* Utique, *et ostendamus.* Gronov.

Digitized by Google

periisset, non diu disputabo[1]. Vivunt qui amaverunt: itane? quid minus rationis habet, quam ut is mori velit, qui habet, propter quod vivat? Stricto tamen gladio in secreto deprehendi[2]: jam mihi narras moras: ipsum illud secretum quærere, et putare interesse, ubi pereat, non est ardentis in mortem impetus. Non fiunt ista, nisi subito: nec quisquam, præsertim nulla gravi præcedente causa, spiritum ratione deposuit. Et stricto[3] tamen gladio, et in secreto, quid facientem vidisti? aptantem jam jugulo mucronem? jam incumbentem? jam pæne admotam usque ad sanguinem manum? nihil horum. Flentem, inquit, mirabar: minus fuisse periculum crederem, si fleret, antequam stringere gladium cœpisset: non est igitur, quod dicas te fecisse causa mea, quod ego non fecissem. Etiam hoc[4] judici satis erat, nisi et inscriptum et maleficium est: quacunque a te mente factum est, ego læsus sum: etiamsi non vindicta dolori meo deberetur, debeatur tamen [5]solatium. Videamus tamen et quare fiat ista res: eamdem meretricem amaverunt duo juvenes filii nostri. Quærebatur, utrius esset: volo te consulere, an quum scieris, pecuniam filio tuo dederis? volo scire, an quum vidisses filium meum, ut putas, mori volentem, tale aliquid de tuo timueris? filius meus propter amorem dicit se mori velle: amat et tuus: hic deprehendam patrem: tu, si periculum mortis putasses, tum vero ad filium tuum

1. *Periisset non diu disputabo. Periisset, an non, non diu disputabo*, Schult.

2. *Stricto tamen gladio in secreto deprehendi.* « Quæ duo instrumenta « sunt » (Annæus inquit Seneca) « alterum aptum morituro, alterum « misero. » ÆROD.

3. *Et stricto.* Francius legebat, *at stricto.*

4. *Etiam hoc. Et jam hoc judici satis erat. Nisi et inscriptum et maleficium est, quacunque*, etc. Obrecht.

5. *Debeatur tamen solatium.* Lege, *debebatur.* GRON.

Digitized by Google

cucurrisses. Quæ fuit ergo ratio[1]? non tu filium meum servasti, sed tuum emendasti. Una erat ratio, credo, illius ab eo, quo flagrabat, impetu[2] si amor transferretur; si potestas illius deformitatis adimeretur: vivit itaque filius tuus, et honeste vivit, etiam sine fabula vivit. At tu mihi nurum meretricem dedisti, tu domum meam lupanar fecisti; et ne parum sit has injurias intulisse, etiamnum vis affirmare judicibus, filium meum, nisi redempta meretrice, non fuisse victurum.

CCCXLV.

Pauper[3] *ad tyrannicidium mercede conductus.*

TYRANNICIDA OPTET, QUOD VOLET. Dives adolescenti pauperi dedit pecuniam, ut tyrannum occideret: et occidit[4]: de præmio ambigunt.

SERMO.

Duo efficienda sunt diviti, ut sit tyrannicida, ut dignior sit præmio. Ut tyrannicida sit, non potest aliter efficere, quam si κατὰ συναθροισμὸν[5] dignum se præmio probaverit, et pro eo sit, ac si occiderit.

1. *Quæ fuit ergo ratio?* An, *Quod fuit ergo? Non tu*, etc. Ut *ratio* manaverit ex seqq. SCHULT. *Quæ fuit ergo causa*, Ærod. — *Filium meum servasti. F. tuum ser.* marg. Ærodius.

2. *Illius ab eo, quo flagrabat, impetu.* Forte: *Una erat ratio, credo, illius sanandi, quo flagrabat, impetus.* GRON. *Impetus* etiam Ærod. — *Etiam sine fab.* Ærod. *et jam s. f.*

3. *Pauper.* Ejusdem fere argumenti Declamatio CCCLXXXII.

4. *Ut tyrannum occideret et occidit. Occideret: is occidit* volebat Francius.

5. Κατὰ συναθροισμὸν. Κατὰ τίνα αἰτίαν, Ærod.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Quod primum dici oportet pro eo, qui præmium petit, Occidit tyrannum: num dubitari potest? num de hoc controversiam ullam saltem adversarius movet? Viderimus ergo, quæ sit comparatio utriusque meritorum: interim, etiamsi majora sunt divitis, alia [1] sunt: sit ille optimus civis, sit egregie de republica meritus, hic tyrannicida est: hodie porro de eo præmio contendimus, quod lex tyrannicidæ constituit. Isti fortasse, quod fecit, profuturum sit, quum petet magistratum: interim vos ad hoc jus, ad hanc legem consedistis [2]: interim rempublicam hic [3], pro quo loquor, verbis legis appellat. Et mihi satis erat hoc apud vos approbasse, si tantum de eo quæreretur, an accipere hunc oporteat. Sed quatenus in hanc contentionem descendimus, videamus, quo modo se tyrannicidam efficiat adversarius noster. De libertate patriæ cogitavit: nondum tyrannicidium est: hortatus est aliquem, pecuniam dedit, om-

1. *Etiamsi majora sunt divitis, alia sunt.* Scribe, *aliena sunt.* Ad hanc legem non pertinent. Gron. Sed mox dicit, « apparet aliud esse, « quod simile est tyrannicidio : » etsi majora, etc. Ærod.

2. *Ad hanc legem consedistis.* Hoc est, Non de meritis adversarii nostri, hic in universum quæritur: sed de præmio, quod ei qui tyrannum occiderit, lege constitutum est. Ærod. Sic et ad *leges judicare*, Decl. CCCVIII, ubi vide.

3. *Interim rempublicam hic.* Sensus est: Etsi tyrannicidio ipso satis approbaverim, me decipi, fraudarique præmio non oportere, ut maxime de eo quæreretur: tamen quia hoc quoque venit in controversiam, ipsam rempublicam appello, ut suis legis suæ verbis doceat, etc. Placet vero hic audacior esse, et (ut mihi quidem videtur) inversum ordinem suo loco reponere, hoc modo, *interim remp. hic provoco, ut verbis legis appareat, an decipere hunc oporteat. Et mihi satis erat me eum esse, qui tyrannum occiderit, apud vos approbasse, si tamen de eo quæreretur. Sed quatenus*, etc. Ærod. Qui edidit, *Interim rempublicam hic provoco, ut verbis legis appareat (licet mihi satis erat apud vos approbasse, si tamen de eo quæreretur), an decipere hunc oporteat.*

Digitized by Google

nia fecit, ut hic tyrannicidium faceret. Simile esse hoc tyrannicidio, ut confitear, hoc ipso tamen apparet aliud esse, quod simile est. Quis autem vobis permittit inclinare leges, et jura transferre? constituta sunt semel, finita sunt suis finibus, suis verbis continentur. Et fortasse utcunque tolerabile esset quæri, an pro tyrannicidio habere deberetis voluntatem, si tyrannicida non esset: nunc ut sit istud tyrannicidio simile, ipsi tamen præferri non potest, cui simile est: ergo lex nobis dat præmium, tibi non dat. Quod ad religionem judicum pertinet, hactenus causam finiri satis esset: sed quare non jam etiam pactioni ejus[1] respondeamus? Quum illa quidem, judices, prima confessione[2] esse istum bonæ voluntatis fatemur; cupidum libertatis concedimus; dum et ille fateatur, esse se parum fortem, fortasse vitio infirmitatis, vel naturali, vel quod ipsæ per se solent afferre divitiæ: simus voluntate contenti; non exigamus ab eo, quantum non potest, ut sciatis hanc esse inter duos differentiam, ut quidquid ille voluit, hic fecerit. Volo enim[3] tecum loqui: quid ad hanc legem tu conscriptam audacter venis? tyrannicidium tuum, non dico[4], approba; ostende, quid fecisti. Pecuniam, inquit, dedi: ita, judices, ista lex emi potest?

1. *Quare non jam etiam pactioni ejus.* Suspicor autorem scripsisse, *jactationi.* Infra: «Desiisti fortunam « tuam timere; desiisti odisse, quid- « quid jactas. » Gron. Al. *sed q. n. jam tyrannicidio, verum etiam pactioni e. non resp.* marg. Ærod.

2. *Quum illa quidem, judices, prima confessione.* Forte: *Quum illa quidem, judices, primum conditione esse istum bonæ voluntatis fatemur.* Quæ est ista conditio? nempe, *dum et ille fateatur,* etc. Gron. *Nam illa q. j. prima confessione esse justum et bonæ.* Schult. *Esse justum,* etiam edit. al.

3. *Volo enim. Volo etiam.* Sch. — *Audacter venis. Non audacter v.* Schult. *Legem tu contra scriptam tam audacter venis?* Obr. *Ad hanc legem conscriptam tam audacter venis,* Francius.

4. *Tuum non dico. Tuum non esse dico a. o. quod fecisti.* Schult.

Digitized by Google

ad summum[1] in republica nostra honorem, non animus, non virtus, non manus mittit, sed arca et dispensator. Bene hercule negotiaris, sed excogitasti non mediocre, non dico famæ atque opinionis, sed patrimonii etiam tui, quum alioqui abundaret, compendium: dic, dic, quanti emeris? quid velis[2]? Tu mihi dicis, pecuniam dedi, et ex otiosa jacente[3] patrimonii parte aliquid numeravi; quum ego dicam, Arcem conscendi, satellites stravi, nefarium corpus repetitis ictibus trucidavi. Pecuniam dedi, de tyrannicidio loquutus sum: rem feceras periculosissimam, nisi in tyrannicidam incidisses. Satis sit vobis, o divites, hoc vestras præstare fortunas, quod per dispensatores fœneratis, quod familiam per procuratores continetis, quod pleraque possidetis absentes, quod ignorantibus vobis et quiescentibus, si quis est tantæ felicitatis labor, per alienas manus transit: contingat istud deliciis vestris, contingat abundantissimæ plerumque luxuriæ: non dabitis tyrannicidiis cognitorem[4]; nec ad vos alienis periculis

1. *Ita videlicet, lex nihil potest? ad summum.* Ironice hæc dicuntur, quæ fœdissima et mirum in modum depravata, ex his quæ sequuntur, aliqua ducti conjectura emendavimus. *Ante istud, quod tu effecisse pecuniam putas, fecerat respublica, fecerat indignatio, fecerat ingenita virtus.* Et postea, *Hic porro si quid avare, si quid cupide fecisset, tua potius pecunia, quam ipsa lege ad tyrannicidium conduceretur?* Ærod. In marg. habet *ita vide, lex enim potest.* — *Abundaret. Abundares,* Francius.

2. *Quanti emeris, quid velis.* Aliquid excidisse videtur, et fuisse integrum: *Dic, dic, quanti emeris, ut optes, quod velis.* Gron. *Quanti emeris, quod velis,* Ærod. Schult.

3. *Otiosa jacente.* Ita Plin. Ep. X, 62: « Pecuniæ publicæ, etc. vereor « ne otiosæ jaceant. » Nihil ergo sani in lectura, *et ex otiosa,* Ærod. *Et otiose, et etiam tacente,* marg.

4. *At non dabitis tyrannicidiis cognitorem.* Sicut in aliis rebus privatis et domesticis, cognitores, amicos, procuratoresque gerunt vestra negotia, o divites, non sic de tyrannicidio mandabitis, alienisque tamquam procuratoris aut cognitoris manibus tyrannicidæ efficiemini, ut honor et præmium per alias personas vobis acquiratur. Si cognitorem hic pro judice, eove,

Digitized by Google

veniet fama virtutis. Velim narres judicibus, audiente populo, quem sermonem cum hoc adolescente habueris, qua exhortatione sis usus: Premitur tyrannide civitas nostra: quotidie gravia atque indigna patimur: opus est aliquo viro forte, opus est aliquo bono cive, opus est liberatore tantorum malorum. Si te hæc quum maxime dicentem interrogem, cur non ipse facias; respondebis profecto, Non possum, non is animus mihi, non id virium est: et adjicies, Tu potes. Verum non contentus sibi acquisisse[1] gloriam, etiam nobis detrahere conatur: negas enim hunc juvenem ad tyrannicidium fuisse venturum, nisi pecunia conductus esset. O quantum erras, dives, ac falleris, qui putas virtutem posse conduci, et animum pecunia fieri! in omnia enim sane lucro trahamur; ducat nos spes ad laborem, ducat ad patientiam: nemo futuri temporis cogitatione periculum subit. Iturus aliquis[2] in id discrimen, ex quo evasurum se non speret, pecuniam spectavit? scilicet, ut locupletior periret: ut si destitutum in illis cogitationibus manerent tormenta, si tyranni ira, haberet illud intra conscientiam suam, accepisse se pecuniam; et paullo ante gravem argento manum[3] fuisse. Ante igitur hæ versabantur in animo hujus cogitationes; ante istud, quod tu effecisse pecuniam[4] putas, fecerat respublica, fecerat

qui de aliqua re cognoscit, generaliter accipias, sensus erit, Non dabitis tamquam prætores judicem de tyrannicidiis, qui de facto unius, et voluntate pecuniaque alterius, inter tyrannicidas judicet. Ærod.

1. *Sibi acquisisse. Hanc acq.* et mox, *conaris*, Ærod. *Conatus negat*, marg.

2. *Periculum subit. Iturus aliquis.* Lege, *periculum subiturus aliquod, ut in id discrimen. e. q. e. s. n. speret. Pec. speravit*, Ærodius. *Subiturus aliquod fuit discrimen, ex quo evasurum se non speret. Pecuniam spectavit?* Obr. *Evasurum se vix speret*, malebat Francius.

3. *Gravem argento manum.* Respicit illa Virg. Ecl. I, 36: « Nonun- « quam gravis ære domum mea dex- « tra redibat. »

4. *Quod tu effecisse pecuniam.*

Digitized by Google

indignatio, fecerat ingenita virtus. Nec tu, nisi hoc intellexisses, ausus esses loqui, aut committere tam periculosum alieno secretum: videras vultum, audieras, quum raperetur aliqua virgo, ingemiscentem. Verumtamen cur non reponamus hanc contumeliam? non pro republica dedisti: scimus tyrannidem præcipue ad divites pertinere: illa, quam dederas, pecunia redimebas fortunas, pecunias tuas, immo salutem: quandoquidem plerumque perire[1] vobis in lucrum crudelitatis alienæ, necesse est. Habes igitur satis magna istius liberalitatis tuæ pretia: securus es, nunc dominus, nunc dives: desiisti fortunam tuam timere, desiisti odisse, quidquid jactas. Ego tamen, inquit, dedi, quod esset pro præmio: ideo ergo exigis, ut respublica non reddat? et, si quid tu privatus liberaliter fecisti, universam civitatem vis facere sordide? Quamquam ne remittis quidem istud reipublicæ, sed in te transfers; ut ne voluntati quidem tuæ obligati simus, si pecuniam ideo dedisti, ut præmium acciperes. Hic porro, si quid avare, si quid cupide fecisset, tua potius pecunia, quam ipsa lege ad tyrannicidium conduceretur? Tu illi dicis; Accipe pecuniam: respublica dicit; Opta quod voles: ut avarus sit et cupidus, utrum plus est? Verum hic se affirmat, ne præmia quidem ista spectasse, quum faceret. Oblitus sum, inquit, ante omnia salutis meæ: commodum civitatis, universorumque spectavi, tum, si quid ad me proprie pertinebat, famam, ituramque in posterum[2] gloriam hujus, quæ subinde objicitur, paupertatis, siquidem facilius virtutem aluit.

Francius putabat et posse legi, *quod te effecisse pecunia putas.*

1. *Quandoquidem plerumque perire, Quandoque perire vobis, plerumque in lucrum, Ærod. Pleraque* malebat Francius, et mox, *liberalitatis tuæ præmia.*

2. *Ituramque in posterum. Itu-*

Digitized by Google

CCCXLVI.

Tutor filii sui in adoptionem dati.

ADVERSUS PATREM NE QUA SIT ACTIO, NISI DEMENTIÆ. Quidam dedit filium in adoptionem: moriens ille, instituit patrem ejus naturalem tutorem; ille tutelam gessit: rationes reddidit. Accusare ille vult patrem tutelæ male gestæ. Præscribit ille, quod actio non sit adversus patrem, nisi dementiæ.

SERMO.

Natura rei fortasse hoc fecerat[1], ut hic pater, quem filius reum vult facere, irascatur, atque eo magis irascatur, quod de filio bene meruit, non tantum generando, sed etiam dando in adoptionem. Sed non semper sequendi sunt affectus, et plerumque consilium his præponendum est. Hic enim pater, etsi revera irascitur, dissimulare hoc debet, et agere mitem et indulgentem: nam quum præscribat hoc, approbare debet judicibus; idcirco præscribere se, ne cum filio gravius contendat: alioqui si hæc causa præscribendi non est, supererit, ut diffidentia videatur in causa.

DECLAMATIO.

CUM PATRE ACTIO NE QUA SIT, NISI DEMENTIÆ. Alio crimine me reum fieri manifestum est. Nemo dubitabit, quin id hac lege non liceat, si ego pater sum: atqui ne de eo quidem dubitari poterit, quin pater sim. An

ramque ad posteros, volebat Francius.

1. *Hoc fecerat. Hoc ferat.* SCH.

Ita alios legere in marg. Ærod. notatur; et recte puto. — *Atque eo magis irascatur.* Hæc abjecit Ærod.

Digitized by Google

hoc negas, me esse, qui genuerim, qui educaverim? et, ut aliquod argumentum ex eo ipso, quod contra me ponitur, ducam, me esse, qui dederim in adoptionem? Si hæc parum firma sunt, leges testamentum [1], quo tutorem accepisti; patrem tibi tutorem dedit: at enim dando in adoptionem, jus omne translatum est.

CCCXLVII.

Absente marito rumor et nuptiæ.

ADULTERUM CUM ADULTERA LICEAT OCCIDERE. Uxor peregrinantis mariti mortem rumore cognovit. Heres inventa, nupsit adolescenti cuidam, et domum in dotem dedit. Supervenit maritus nocte: utrumque occidit. Reus est cædis.

DECLAMATIO.

Adulteros fuisse in matrimonio constat; nemo negat. Matrimonium duobus generibus solvitur [2], aut repudio,

1. *Leges testamentum. Lege test.* SCHULT. et Obr. *Legas testam. quo* (*quod*, marg.) *tutorem a.* Ærod. *Legas testamentum, quo tutorem accepisti, quod patrem tibi tutorem dedit*, Francius. — *At enim. Etenim.* SCHULT. — *Jus omne. Non jus omne.* SCHULT. Reliqua desiderari notavit Ærod. qui et videri vult L. *adoptivum*, ff. de in jus voc.

2. *Matrimonium duobus generibus solvitur.* Paulus addit, *captivitate, vel alia contingente servitute.* Sed servitutem morti comparamus: et præterea quod ad captivitatem attinet, exquisita potius et subtili ratione distrahebatur hoc modo matrimonium, ut Justinianus ait nova Constitut. XXII: eratque magis occasio quædam bona gratia divertendi post quinquennium, aut certo de mariti morte accepto nuncio, quam ut perpetuus esset ille solvendi matrimonii modus. Licet enim uxor captivi, mutata mariti conditione, non sit quasi in matrimonio, ut Tryphoninus scripsit libro IV, Disputat. tit. de captivis: tamen ita nuptarum loco est, ut alii temere nubere non possit. l. uxores, ff. de divortiis. Sed sive hic maritus captivitate, aut servitute, sive mi-

Digitized by Google

aut morte alterius: neque repudiavi, et certe vivo: sed rumor de morte venit; hæc statim nupsit, alio marito: quid est hoc aliud, quam improbius adulterium? Meæ igitur nuptiæ manserunt, illæ non fuere legitimæ: legitimum porro matrimonium, nisi soluto priore, esse non potest: an opinione contenti sumus? Isto genere etiamsi cædis absolvar; omnibus tamen periclitor bonis: quippe testamentum meum lectum est, et uxor omnium bonorum heres inventa est: et ego scilicet testamento meo exheredatus? quod si jus domini post hanc opinionem retinui, retinui etiam mariti: mihi ad defensionem hoc satis est, licuit: possitis occisorum fortasse misereri, quod decepti sunt, quod illos spes sua fefellit: adulteri tamen fuerunt, etiamsi ignoraverunt. An ego, si ignorassem [1], quod liceret, non occidissem? utrum domum meam non fui intraturus? an me in

litiæ expeditione, aut longinqua alia profectione abfuerit, aut quatenus abfuerit, quadriennium, quinquennium, aut septennium: et vel jure civili vel pontificio utamur, hæc nunc nihil ad hanc Declamationem. Illa ex suis locis peti poterunt ex d. l. uxores, ex l. uxor. C. eod. tit. ex nova constit. de nuptiis. 22 et 117 in ex. cap. in præsentia de sponsal. et matrimon. At hic quæritur (de quo apud juris nostri interpretes magna contentio est) quum accepta morte viri, liceat uxori alteri nubere, an ad hoc sola fama, vox communis et rumor sufficiat, ut hinc certa et sat probata mors mariti dici possit. Quæ varie a variis tractantur in l. 2, §. si dubitetur, ff. quemad. test. aper. Sed me Declamatio hæc persuasit, ut eorum sententiam sequerer, qui illud amplius in rumore et fama considerant, an statim profecto marito, rumor ille ortus sit: an statim uxor alteri nupserit, nullumque reliquerit rumoribus tempus, *quo senescerent*, ut inquit Tacitus, an nihil præterea prætermiserit, quo aliunde certiorari posset. Ait enim hic Quintilianus: « Sed rumor de « morte venit: hæc statim nupsit « alio marito. » Et postea: « Audita « morte mariti, non inquisivit, ubi « periissem. » Quæ iterum tam cito nubit, non sine probri suspicione nubit. Qua ratione Julius Cæsar quasdam nuptias diremit, etiam quum præcessisset divortium. Æn. —*Morte alterius. Alterutrius,* Francius legebat; et mox, *nupsit alii marito. Nupsit, alio marito,* Obr.

1. *An si ignorassem. An ego, si ignorassent.* Schult.

Digitized by Google

aliud cubiculum[1], juxta adulteros meos collocaturus? an quum venissem in cubiculum, et jacentem cum adultero uxorem meam deprehendissem, excitaturus tantum? quid deinde? recepturusne, an cessurus? si talem habiturus eram animum, dii, gratias ago[2], quod nocte veni. Vos profecto, dii conjugales, hanc illi mentem dedistis, ut domum in dotem daret, ut eadem familia excubaret; ut is janitor esset, qui me admitteret; ut reversus denique nihil novi invenirem, præter adulteros. Ergo uxor[3] sic a me amata, testamento relicta heres, audita morte mariti, non inquisivit, ubi periissem, non aliquos certiores nuntios, non reversuros a supremis officiis servulos exspectavit[4]: sed festinato quoque nupsit, et in novæ libidinis amorem mea judicia protinus transtulit, in eadem domo, in eodem cubiculo, in eodem lecto? adeo mariti prioris etiam memoria abierat[5]. Desii ista mirari, quum adulterum vidi juvenem, propter quem tamdiu vidua esse non

1. *An me in alium cubiculum.* Scribe, *in idem cubiculum.* Gron. *In meum cubiculum,* Obr. *In aliud,* Schult. cujus emendationem recipimus, etsi omnes nostræ edition. *alium cubiculum* habeant, quippe quæ gravius latinitatem lædant. Ut valde miremur mendosam masculini generis cum neutro conjunctionem doctis interpretibus esse prætermissam. Ed. *In illud cubiculum,* Francius.

2. *Animum, dii gratias ago.* Hic malim: *Si talem habiturus eram animum, diis gratias ago, quod nocte veni.* Gron.

3. *Ergo uxor.* Pertinet et ad hoc l. uxor. C. de Repud. Pith.

4. *Reversuros a supremis officiis servulos exspectavit.* Porcius de Terentio: « Eorum ille opera ne do« mum quidem habuit conducti« ciam; saltem ut esset, quo refer« ret obitum domini servolus. » Quod male mutavit Scaliger: « Qui « referret obitum domini, servo« lus. » Gronov. *Reversos,* volebat Francius. — *Et in novæ libidinis amorem.* Puto *auctorem. Mea judicia,* id est, quod ego ei testamento reliqueram. Ne facias cum Ærodio, *mea judicia eludens.* Gron. *Mea judicia protinus eludens, transtulit mœchum in eadem,* Ærod.

5. *Etiam memoria abierat.* Credo e libro esse Pithœi Alioqui non incommode Thaddæus et Ærodius, *memoriam abjecerat.* Gron.

Digitized by Google

posset, quamdiu peregrinari poteram ego, qui uxorem sic amavi. Temere profecto, temere in longius ituri[1] iter conjuges nostras domi relinquimus: subito absentium obliviscuntur, et pæne cum ipsis toris uxorum pectora refrigescunt. Mirer nunc ego, unde rumor? quæ tam maligno mendacio causa? cui fingere istud expedierit? ille profecto in causa fuit juvenis, qui ad domum meam inductus est: quæsitus est locus. Jam vero[2] bonorum meorum dira populatio, sicut notissimo Græciæ duci Ulixi, qui felicior tamen, solam in adulteris ultus est gulæ voluptatem. Scio, judices, quam difficile sit alienorum malorum imaginem capere: sit tamen, quantum[3] cogitatione permittitur: unusquisque se illo loco ponat: ac primum illa, quæ intra animum meum volvo, mente concipiat; quum reverterer ex peregrinatione longa, quam mihi attulerit cogitationem primus adspectus.

1. *Ituri iter. Iter* omisit Ærod.

2. *Jam vero. Quam vero b. m. depopulatio fuit, ut notissimo.* Sch.

3. *Sit tamen quantum.* Ærodius, *sic.* Malim: *Se tamen, quantum cogitatione permittitur, unusquisque, se, illo loco ponat.* Deinde, *volui.* Gron. *Sed tamen,* Obr. *Sic tamen,* Schult. — *Volvo.* Francius volebat *volvi.*

Digitized by Google

CCCXLVIII.

Cum proditoribus carcer incensus.

IMPERATOR IN BELLO SUMMAM HABEAT POTESTATEM. Imperator proditionis suspectos in carcerem conjecit: ex transfuga comperit eadem nocte finitum iri proditionem. Incendit carcerem: perierunt illi, qui erant in carcere: hostes recesserunt. Accusatur, quod de indemnatis sumpserit supplicium.

DECLAMATIO.

Si ratione defendi non possem, jure defenderer. IMPERATOR IN BELLO SUMMAM HABEAT POTESTATEM. Id quod objicitis, ut nondum objiciam[1], propter bellum factum est, in bello factum est: usus sum igitur lege; viderimus, quam utiliter constituta, et necessaria quoque. IMPERATOR IN BELLO SUMMAM HABEAT POTESTATEM. Ante omnia non id tempus, quo judicia exerceri, quo leges retinere vim suam possint: ista pax spectat[2], et diligentiorem rerum inquisitionem securitas habet: non vacat in bello curam agere singulorum. Ad hanc rationem accedit illud quoque, quod administrare non potest bellum, nisi tantam potestatem habuerit, imperator: tot millia conscriptorum militum in aciem educere, assignare loca interim periculosa, tuendos cives, expugnanda hostium castella, non potest sola ratio;

1. *Ut nondum objiciam.* Ærodius, *ut nondum proditionem objiciam.* Malim. *Id quod objicitis, ut nondum diluam, propter bellum factum est.* GRON. *Objicitis duci nondum objectum*, Schult. *Objicitis* (*ut nondum adjiciam propter bellum factum esse*) *in bello f. e.* Obrecht.

2. *Ista pax spectat. Ista pacem spectant.* SCHULT.

Digitized by Google

opus est et metu. Quid si pleraque accidunt, in quibus præsenti pœna castigare necesse est eos, qui peccaverunt? ad hæc igitur omnia provisum atque prolatum est[1], ut imperator summam potestatem haberet. Quid tamen a nobis exigi oportet? bonam voluntatem : erraverim sane, si id satis probationi existimavi, si hoc ad utilitatem civitatis pertinere credidi. Quis damnaverit eum, qui duabus potentissimis rebus defenditur, jure et mente? quid si etiam ratio hoc faciendi fuit? Forsitan et lente et nimium periculose fecerim, quod suspectos proditionis, tantum in carcerem duci jussi. Nihil egeram, non satis civitati prospexeram[2] : hostis idem speravit : tamen hoc ne ab accusatore quidem reprehenditur. Jam igitur de his, qui in carcerem duci debuerunt, levius est supplicium, quacumque ratione sumptum est. Nunc quare sumptum? proditionis finis atque effectus omnis, in proximam nobis noctem denunciabatur, puta falsum : quis non ignoscit rem tantam timenti[3]? non enim discrimen paucorum capitum[4] agebatur. An ali-

1. *Prolatum est. Perlatum*, Latinius. *Probatum est*, Ærod.

2. *Nihil egeram, non satis civitati prospexeram.* Sensus est, quantum ex his verbis colligi potest. Si quid in eo peccavi, id fuit tum maxime, quum proditores non statim jussi interfici. Sed aliqua tamen adhuc hujus facti excusatio est, quæ tamen in majorem accusationem venire possit, si ab accusatore reprehenderetur. Quia videlicet nullum tam diligentem delectum militum habueram, nec ita civitati prospexeram, ut viris et viribus undique, et adversus omnem proditionis metum tueri posset : debueram, inquit, statim de suspectis supplicium sumere, nec exspectare indicium transfugæ. Ærod.

3. *Rem tantam timenti. Rem tamen timenti*, Ærod. *Rem talem timenti*, marg.

4. *Capitum agebatur. An aliquid.* Ærodius, *agebatur. Agebatur an aliquid.* Sensum procul dubio tenuit. Sed idem salvus est, nihil aliud quam mutata distinctione : *Non enim discrimen paucorum capitum ; agebatur, an aliquid esset hæc civitas.* Sic breviter et efficacius dicitur, quod integrum est : *Non discrimen paucorum capitum agebatur, sed agebatur.* Gron. *Agebatur : sed an.* Schult. Gronovium sequitur Obrechtus.

Digitized by Google

quid[1] esset hæc civitas, an templa, an vetustissimæ vestigium saltem urbis relinqueretur? an liberi vestri conjugesque traditam a majoribus per manus in hoc usque tempus libertatem semel perderent? Pro his animadvertere in paucos indignum est? et exercitus partem dicimus[2], et in aciem ductis militibus, certe innocentibus*, multum contigisse imperatori videretur, etiamsi non incruentam victoriam referat. Pro hac se-

1. *An aliquid.* Vide ad Procem. Inst. Orat. §. 20.

2. *Et exercitus partem dicimus.* Videtur legendum, *et exercitus partem ducimus* (seu *decimamus*) *et in aciem ductis militibus certe innocentibus multum contigisse imperatori videtur, si etiam incruentam victoriam referat.* Pith. Multos adhuc torquebit hic locus, si restitutio nostra non placeat. Decimari vero olim exercitum, nemo est qui ignoret. Vide Plut. in vita M. Crassi. Cicero pro Aulo Cluentio, cap. 46: « Statuerunt ita majores nostri, ut « si a multis esset flagitium rei mi- « litaris admissum, sortitione in « quosdam animadverteretur; ut « metus videlicet ad omnes, pœna « ad paucos perveniret. Nam miles, « qui locum non tenuit, qui hos- « tium impetum vimque pertimuit, « potest idem postea et miles esse « melior, et vir bonus, et civis uti- « lis. Quare ne in bello propter hos- « tium metum delinqueret, amplior « ei mortis et supplicii metus est a « majoribus constitutus: ne autem « nimium multi pœnam capitis sub- « irent, idcirco illa sortitio compa- « rata est. » Quod autem hic dicitur, *Pro securitate*, etc. eodem pertinet, quo illud Declam. CCLIII supra. Atqui ego etiam si plurimi vitam esse civium in hac civitate spectarem, bene tamen redimi capite unius civis pacem putarem. Ærod. *Partem decimari vidimus, et in aciem eductis militibus, certe innocentibus multam contigisse, si imp. videatur: etiamsi non incruentam victoriam referant.* Aliter Pithœus, in quo cætera utcunque feras, sed tolerari non potest, *etiamsi incruentam.* Verum id alibi: immo laudabilius Spartæ; ab hoc loco alienum. Hic enim paucorum supplicium in bello ita excusatur, quod bellum plerumque sit δημοβόρον: et rem magnam præstitisse imperatorem putare debeamus, etiamsi victor non paucos suorum perdiderit. Sed quid in hac parte attineat milites dicere *innocentes*, haud assequor. Itaque divinabam: *Et exercitus partem decimamus, sorte ductis militibus sæpe innocentibus. Multum contigisse imperatori videtur, etiamsi non incruentam victoriam referat.* Gronov. *Et exercitus partem decimamus, et in aciem ductis militibus certis, innocentibus, m. c. imperatori v. etiam si n. inc. victoriam referat. Certi* ut Virgil. Æn. I, 576: « per litora certos dimittam, » id est, quibus tuto credi possit, opposite ad proditores. Declamat. præced. *Certiores nuntii.* Schult.

Digitized by Google

curitate[2] si perierunt aliqui, ut parcissime dicam, non ignoscerem[1]? Equidem intelligo, hanc esse conditionem omnium, qui administrationem reipublicæ aggrediuntur, ut ea, quæ maxime pertinent ad salutem communem, cum quadam sua invidia efficere cogantur. Quanta vi adversus me inimici consurrexissent, si istud sine causa fecissem? quid, si proditores fuisse, manifestum est? Putemus esse judicium? et quatenus mavultis illos indemnatos dicere, quam innocentes, excutite causam. Sane non consummaverit primum suspicio[2], at certe transfugæ hoc mentiendi causa quæ fuit? homo, relicto exercitu suo, in civitatem nostram transgressus, quum rem periculosissimam fecisset, mentiretur? quum ad probationem rei caput suum obligaret, eadem nobis nocte denunciat. Manifestum est autem fuisse hostibus propositum, civitatis nostræ per proditionem capiendæ. Qui proditores fuerint, recedendo confessi sunt: quid enim est causæ, cur qui ad illud usque tempus civitatis[3] permanserant, post incendium carceris, post mortem suspectorum nobis civium, continuo discesserint? Hic ratio illa quoque est, quod sic exegi supplicium ab illis; si modo hoc est exigere sup-

1. *Si perierunt aliqui, ut parcissime dicam, non ignoscerem.* Lege: *non ignoscetis?* Ærod. *Non ignoscendum:* vel, *non ignosceretis.* Sch. *Non ignoscere me quidem.*

2. *Non consummaverit primum suspicio.* Lege: *Sane non consummaverint proditionem susceptam: certe transfugæ*, etc. Ærod. *Innocentes excutite. Causam sane n. consummaverit, primum suscipiat certe transfugæ. Hoc*, marg. *Sane non consummata*, vel *confirmata, fuerit prima suspicio.* Schult. *Non consummaverit crimen suspicio*, Obr. —*Exercitu suo.* Ærod. pro his inserit *relicto imperatore suo:* at edit. Bipont. utrumque exhibet, *relicto exercitu suo, relicto imperatore suo*, adversantibus Hack. et Burm. Ed. — *Eadem nobis. Condictam nobis noctem denunciat.* Ut « condictus « dies, » Plaut. Curc. I, 1, 5. Sch.

3. *Ad illud usque tempus civitatis.* Ærodius: *in obsidione civitatis.* Lege, *in civitate permanserant.* Gr.

Digitized by Google

plicium. Miratur aliquis, si non timui educere[1], si quum tanta conspiratio in civitate nostra nocentium esse diceretur, ut prodere possent etiam ex carcere, vel cum tota sua custodia eos obrui malui? His illud quoque adjici potest, plurimum differre, utrum quis supplicium exigat ab indemnatis, an si aliquos securitatis publicæ causa occiderit, supplicium[2] vocetur, quod civitas præstitit. Si vero hoc pro salute communi fuit, non odio illorum factum est; imperatoris fortasse consilium reprehendi potest, factum certe damnari non potest.

SERMO.

In summa parte controversiarum talium quæri solet, ecquo[3] animo fecerit hoc imperator? In hanc partem satis firmam causæ fiduciam videtur habere: quid enim huic proferunt inimici, præter odium commune omnium proditorum?

1. *Miratur aliquis, si non timui educere.* Ærodius: *miratur aliquis? exercitum simul educere.* Scribendum est: *si timui educere.* Puta in forum, ut convincerentur apud judices, et tum demum lege cum illis ageretur. Sic Declam. CCCXXII: « Educendus tamen ad magistratus. » Ita enim ibi quoque scribo: non *deducendus.* Declam. CCLXX: « Pater alteram eduxit ad magistratus. Gron. *Si hos timui educere,* Obr. *Si vos timuissem e.* Schult.

2. *Occiderit, supplicium. Occiderit, supplicium vocetur, quod civitati non præstitum.* Schult.

3. *Quæri solet ecquo. Quæri solet id, quo animo,* volebat Francius. *Quæri solet, ea quo animo fecerit imperator,* Ærod.

Digitized by Google

CCCXLIX.

Raptoris pater, dementiæ reus.

RAPTOR[1], NISI ET SUUM PATREM EXORAVERIT ET RAPTÆ, INTRA XXX DIES, PEREAT. Rapuit quidam: exoravit patrem raptæ: suum non exoravit. Dementiæ accusat.

SERMO.

Non dubie pater hic intelligi vult, se filii sollicitudine esse contentum, et hanc XXX dierum moram pro ultione habere: sed hoc si palam indicaverit, perdet artem: et si liberare filium sollicitudine semel destinavit, brevius habet statim ignoscere[2]. Varianda erit ejus actio[3], ut filium dicat morte dignum: an posset[4] ipse perseverare, dubitet.

1. *Raptor.* Similis huic et ejusdem argumenti Declamatio est apud Senecam lib. II, Controv. 11. Judicium ex hac facies. In Sermone item observabis eadem hic præcepta tradi, quæ ab eodem Quintiliano nostro edita sunt, Inst. Orat. lib. IX, c. 2, §. 90: « Est latens, inquit, « et illa significatio, qua, quum jus « asperius petitur a judice, fit ei « tamen spes aliqua clementiæ; non « palam, ne paciscamur: sed per « quamdam credibilem suspicio- « nem, ut in multis controversiis, « sed in hac quoque, *raptor nisi* « *intra trigesimum diem, et raptæ* « *patrem et suum exoraverit, pe-* « *reat.* Qui exorato raptæ patre, « suum non exorat, agit cum eo « dementiæ. Nam si permittat hic « pater, lis tollitur: si nullam spem « faciat, ut non demens, crudelis « certe videatur, et a se judicem « avertat. » ÆROD.

2. *Brevius habet statim ei cognoscere.* Hoc est, non exspectato legitimo tempore, quod fuit XXX dierum. Agit enim hic filius præmature, et mediis diebus accusat, ideo quia exorato patre ejus, quæ rapta est, statim suum exorari putavit oportere, si quidem sanæ mentis esset. Verum pater differt ob eam causam, quod (ut Junius Gallio dicebat) « hinc injuria est, hinc natura: et facilius est injuriam donare, quam crimen. » ÆR. Qui edidit, *statim ei ign.* sed in marg. *cognoscere.*

3. *Varianda erit ejus actio.* Id est, coloribus et ad speciem accommodatis verbis, exornanda erit ejus actio et oratio. ÆROD

4. *An posset. An possit*, Ærod.

Digitized by Google

Non tamen prætereunda sunt illa, quamvis communia cum aliis controversiis generis hujus, quæ circa ipsam quæstionem dementiæ versantur. Negabimus enim crimine uno posse deprehendi dementiam : et hoc propositum nostrum adjuvabimus finitione, ut dicamus, dementiam esse ablatum rerum omnium intellectum : alioqui neminem tam felicem, qui non aliqua pœnitentia digna faciat, qui non subjectus sit errori : et hoc proprium non dementis esse, verum hominis. Atque ad hoc, quod commune cum omnibus est, aliquid etiam proprie [1] applicabimus, quod ejus generis dicitur dementia esse, de qua judicium est, ut emendari uno verbo possit [2]. Porro quum adeo confessum sit, dementiam non posse curari, ut ne illud quidem adhuc inveniri potuerit, quæ causa faceret dementiam, ubi animus consisteret [3] : profecto non poterit videri dementia, quæ est in hominis potestate.

DECLAMATIO.

Si exoratus fuero, statim non modo sanus, verum etiam bonus pater et indulgens ero. Vis scire, fili, quid sit dementia? deducere se in periculum capitis cupiditate [4] : non intelligere pacem, non intelligere leges : et

1. *Proprie applicabimus.* Francius legebat, *proprii. Proprium*, Ærodius.

2. *Ut emendari uno verbo possit.* Seneca ex Gallione : « Tu non me« cum agis, quod non exorasti : sed « quod non exoraturus es. Puta « enim hodie me exorari, num ego « demens videbor, qui uno me verbo « sanare possim? » Ita enim restitui. Ærod.

3. *Ubi animus consisteret.* Nempe illud est, quod ex Arellio Fusco ait Seneca : « Non possum exorare : « tamdiu novo more objicit demen« tiæ constantiam. » Ærod. *Consistere* proprie dictum de sanæ mentis hominibus ; Cicer. Verr. II, 1, 3 : « Religiones, etc. consistere ejus « animum sine furore atque amen« tia non sinunt. » Ad Q. Fratrem, II, 3 : « Ut neque mente, neque « lingua, neque ore consisteret. » Plaut. Pœn. I, 2, 133 : « Facto ac« tutum constiterit lymphaticus. » Burm.

4. *Cupiditate.* An, *stupiditate?* Schult.

Digitized by Google

si quid super hac[1] momenti fortuna præsens judicium habet, accusare eum, qui exorandus sit: non est igitur dementia: nec refert ad præsens judicium, neque ad vestram pronunciationem, an ego durus pater, an ego nimium severus: non de hoc quæritur: satis est, non esse furiosum. Non exoro te, inquit, quum rapuerim: miraris? hoc enim est, quod te in hoc impulerit: adhuc quid feceris, nescis. Non dico illa, quæ fortasse tibi leviora videantur, quæ ad materiam pertinent: Expugnasti domum, et virginis prætextam scidisti, et puellam usque in eam injuriam traxisti, qua nihil gravius bella habent. Tu, qui in id te periculum demisisti, ut tibi exorandus esset pater, miraris, quod non exorasti patrem? Si incidisses in illos felicioribus seculis natos, cum quibus virtus magis commune bonum erat, non exspectassent legem, non exspectassent tricesimum diem[2]. Nunc me merito contemnis: flentem aliquando vidisti: non auderes accusare patrem, si timeres. Tu, si incidisses in illum, qui laudatas filii sui [3]cervices

1. *Et si quid supra hac.* Lege, *Ac, si quid super hoc momenti formula præsentis judicii habet, accusas eum*, etc. Ita contra *fortuna* pro formula, Declamat. CCCXLII. SCHULT. *Supra hoc*, Ærodii edit. et al. *Super hac*, Obr.

2. *Non exspectassent trigesimum diem.* Quæ mora ob duriores et severiores patres lege concessa, ut hoc intervallo mitiores fiant et indulgentiores. ÆROD.

3. *Qui laudatas filii sui cervices.* Nic. Faber mavult, *laureatas*. Cui optimo et amicissimo viro lubens assentior. PITH. Brutum, Cassium, Posthumium Tiburtum, Manlium Torquatum, Aulum Fulvium, et alios ejusdem notæ severitatis intelligit. ÆROD. *Laudati filii sui.* SCHULT. *Laudatam f. s. cervicem*, Francius. Sed *laudatæ cervices* possunt exponi pulchræ. Ovid. Epist. XVI, 131: Sed mihi laudatam cu« pienti cernere formam, etc. » Vid. Heins. ad Ovid. Met. V, 59: nisi hic pro olim laudatis, ob virtutem et fortitudinem præstaret caperc, ut Decl. IV, 11: «Laudatæ ma« nus;» quia tamen hic ad Brutum respici puto, de cujus filii nec forma, nec virtute quidquam referunt scriptores, malim *nudatas filii sui cervices*. Nam Livius, lib. II, 5, *nudatos* conjuratos, virgis cæsos, et securi percussos ait. BURM.

Digitized by Google

amputavit, si incidisses in illum, qui judiciis[1] propinquorum atque amicorum contentus fuit, opinor, habuisses tempus querendi? habuisses tempus, non dico deferendi patrem, sed diutius rogandi? Illi vere fortes, et viri fuerunt, qui quum hoc meminissent, liberos a se reipublicæ gratia procreatos, bene impendi crediderunt exemplo[2]. Ego tacere contentus sum, quum exorari debeam. Sic agis mecum, tamquam etiam, si præstitero tibi, plus alii debiturus sis. Confutabit, opinor, indulgentiam meam ille melior, ille mitior: ego vero facilius frangerer, si ille irasceretur. Aliquis, quum filia illius rapta sit, tam cito exoratus est? quis est ille tam demens[3]? quid est istud, quod ille se accepisse injuriam non putat? quod omnia sic agit, tamquam exoratus ante tricesimum diem? Quid ergo, inquit, occides? debeo, si quid in me fuerit fortis animi: si quid virtutis incorruptæ, faciam: duret tantummodo animus, non deficiam, non deflectar: etiamnum fortis sum; etiamnum posse videor: sed supersunt dies. Non blandior tibi: quotidie me hortor, et instigo animum meum, et totam sceleris tui deformitatem pono ante oculos: et illud[4] nescio quid, quod persuasioni meæ repugnat, volo perdomare. Bene facis, quod accusas: turpiter deficiebam, prodebamque necessarium civitati exemplum: jamque in eam venturus eram hominum suspicionem, tamquam me permittente[5] fe-

1. *Qui judiciis.* Ad Cassium respici putat Schultingius. Vide Flor. I, cap. ult. et ibi comment.

2. *Bene impendi crediderunt exemplo.* Frontin. Strateg. IV, 1, 33: « Circumacta ad litus universa classe comprehensum supplicio affici « jussit, et quem occisuri per ignominiam hostes fuerant, exemplo « potius impendit. » Gron.

3. *Quis est ille tam demens. Clemens,* Obr.

4. *Et illud. Sed i. n. q. meæ rep.; volo perdonare,* Ær. — *Prodebam. Perdebam* dat ed. Bip. Ed.

5. *Tamquam me permittente.*

Digitized by Google

cisses. Hoc age : dic insanum, dic furiosum, dic longe ab intellectu sanguinis sui positum : vide ne rogaveris : quid enim acturus ad genua provolvendo, adhibendo amicos, flendo in pectus[1] meum? insanus sum, nihil sentio, ad illum patrem tuum.

CCCL.

Aqua frigida privigno data.

Qui habebat filium, amissa matre ejus, aliam uxorem duxit. Incidit in gravem valetudinem filius : convocati sunt medici. Dixerunt moriturum, si aquam frigidam bibisset : dedit illi noverca aquam frigidam : perit juvenis. Noverca accusatur a marito veneficii.

DECLAMATIO.

Veneficii ago[2] : filium meum periisse, et ea potione, quam dederit noverca, periisse, non difficile probabo : nam et datam a se potionem non negat : et eam[3] peri-

Quint. Inst. supradicto loco, « Nam « si permittat hic pater, etc. » Senec. lib. II, Decl. 3 : « Putas me accu- « satori permissurum, quod filio « negavi? » Ita enim legendum est, non, *promittendum*. Et postea, « Me miserum, quia pæne permisi, » non, *qua pæne*. Ærod. Qui, *me permittentem*. *Hoc age* : edidit.

1. *Flendo in pectus*. An, *flendo durum pectus meum?* an, *ut flectas pectus meum?* Schult. — *Insanus sum nihil sentio*. Seneca, Controv. II, 11, ex Papirio Fabiano : « Ego « moriar, inquit, hoc si reo dicis, « non curo : si judici, videbo : si « dementi, non intelligo. » In iis, quæ sequuntur, aliquid deest. Æa. — *Ad illum patrem*. *Adi il. p. t.* Sc. Fr. et Obr. et nos cum Bip. Forte, *adi ad il. p.* ut sæpe Cic. Nepos, et alii.

2. *Veneficii ago*. Vide Torr. ad Horat. Epod. V, 73. Almel. — *Non difficile probabo*. Vell. Paterc. II, 63 : « Sibi difficile consentiens. » Sch. Ita in sermone Decl. CCCLII : « Non difficile persuasisse. » Quare Francius frustra malebat, *non difficile probatu*.

3. *Eam periculosam*. *Ea peritu-*

Digitized by Google

culosam fuisse, quæ prædicta[1] sunt, ostendunt. Ne ignorantia quidem defendi potest: id quod accidit, denunciatum est: itaque non tam in defensione fiduciam habet, quam in lege: nec tam dicere potest, scelus se non fecisse, quam illud, impune fecisse: negat enim se teneri posse veneficii, quoniam non dederit venenum. Postea videbimus, et quomodo intelligendum sit venenum, et an hoc, quod datum est, illo tempore fuerit venenum: interim putemus nullam legem huic sceleri proprie esse constitutam: nonne proxima utendum est? Non ignoro esse frequentem hujusmodi in judiciis minoribus dumtaxat contentionem, ut excidisse formula, si aliter[2], quam potuerit agere, dicatur. Sed hæc tunc valent, quum ostenditur jus aliud, quo agendum sit: itaque si dicis, qua lege alia accusare debuerim, merito excludis hanc, qua lege ago. Sed neque hanc actionem meam admittis, neque aliud demonstras, quo recedam ab hac lege depulsus: hoc contendis, ut istud, etiamsi scelus sit, facere licuerit. Atque hoc etiamsi non proprie conscriptum, [3]consuetudine judiciorum consequens est, quoties aliqua propria actio in rem non detur, uti proxima et simili. Nulla tanta

rum fuisse, Ærod. *Ea pericula fuisse*: vel, *eam periculo fuisse*, marg.

1. *Quæ prædicta. Iis, quæ prædicta sunt, ostenditur.* Schult.

2. *Ut pecuniam excidisse formula, ut aliter.* Ærodius: *ut pecuniariis, an excidisse formula, qui egerit aliter.* Conjiciebam: *contentionem de pecunia, ut excidisse formula, qui aliter, quam potuerit, egerit, dicatur.* Gron. *Ut pecuniarum excidisse quem formula, ut vel aliter: ut* pro quod. Schult. *Ut petentem excidisse formula, ut*, etc. Obr. *Ut petitor excidisse*, Brisson. de Verbor. sign. in verbo *cadere*. Ego credo hæc, *ut pecuniam*, adscripta a glossatore, ut explicaret illa, *in judiciis minoribus*, vel *contentionem*, quibus ut exemplum adscripsit, *ut pecuniæ*, vel *pecuniariam*. Et legendum, *contentionem, ut excidisse formula, si aliter, quam potuerit agere, dicatur.* Burm. —Hæc porro recepit edit. Bip. cui facile assentimur. Ed.

3. *Consuetudine. Consuetudini*, Ærod.

Digitized by Google

esse potuit prudentia majorum, quamquam fuit summa, ut ad omne genus nequitiæ occurrat[1]: ideoque per universum, et per genera singula conscripta sunt jura. Cædes videtur significare sanguinem et ferrum: si quis alio genere homo fuerit occisus, ad illam legem revertemur: si inciderit in latrones[2], aut in aquas præcipitatus, si in aliquam immensam altitudinem dejectus fuerit, eadem lege vindicabitur, qua ille, qui ferro percussus sit: igitur et alia similia. Lex de aqua frigida scripta non erat; redeamus necesse est tamen ad eam, quæ venena coerceat, quum aqua frigida id effecerit, quod venenum. Hæc, ut remittam[3] non fuisse hoc veneficium, nunc vero venenum quomodo interpretari et intelligere possumus? ut opinor, potionem mortis causa datam. Non quæritur qualis sit, sed quid efficiat: nam ipsorum venenorum plura genera, plura nomina sunt; diversi etiam effectus. Aliud ex radicibus herbarum contrahitur, aliud ex animalibus mortiferis[4] reservatur; sunt quæ frigore sanguinem[5] gelent, sunt quæ calore nimio vitalia exurant; omnia tamen hæc sub unam legem veneficii veniunt. Quin illud etiam in rerum natura manifestum atque deprehensum est, alia esse aliis venena: quædam mortifera nobis, etiam in remedium quorumdam animalium cedunt: quædam, quæ

1. *Ut ad omne genus nequitiæ occurrat.* Regula loquendi præcipit, *occurrerit.* Gron.

2. *In latrones.* Al. *latrinas*; fortasse rectius, vel *lautumias* Pith. Rectius habemus *inciderit* cum Bip. pro *incideret.* Quod mox sequitur relativum *vindicabitur.* Ed.

3. *Hæc ut remittam. Hæc vult remittam*, vel *præmittam*, pro *prætermittam.* Schult.

4. *Ex animalibus mortiferis.* Vid. Corn. Celsum, lib. V, 17, 5 seqq. ubi agit de morsu serpentum multorum. Ed.

5. *Frigore sanguinem gelent.* Idem lib. et cap. citt. §. 3 fin. posteaquam præcepit antidota calori movendo idonea, hæc addit: « Nam maxima « pars venenorum frigore interi- « mit. » Quam sententiam non confirmare sustineam. Ed.

Digitized by Google

in voluptates etiam et luxuriam adhibentur, multis animalibus afferunt mortem : similis ratio et remediorum est. Cur igitur non sit differentia cum veneno, etiam temporis? nihil interest, quid faciat alias[1], nunc venenum est. Quomodo enim comparare ista possumus? ante omnia animo dantis, deinde effectu. Animus dantis qualis fuerit, non probavimus[2]: interim de effectu constat : vultis æstimare? adeo certum fuit hoc venenum esse, ut prædictum sit. In summa, quid plus pati potuerat adolescens, si venenum bibisset? ponamus ex altera parte illam potionem, cujus tu nomen subinde jactas : pone ex altera potionem, quam tu dedisti : de utraque idem medici dicent : si nihil interest mortis, nihil interest criminis. Hæc ad jus ; sed ad ream legi suæ applicandam, sane scrutemur et animum : non dico, quæ sit quæ dederit : interim hoc respondeo, Aquam frigidam dedit : sane medici non vetuerunt, non [3]timuerunt : satis est, non permiserunt. Personam non onero, denunciationem dissimulo : dedisti ægro, quod pater non dedisset. Si unus aliquis ex medicis nocituram tantum potionem esse dixisset; dicerem tamen, Fortasse [4]mori-

1. *Qui faciat? alias. Qui faciat alias, nunc venenum est.* Pith. *Quid faciat alias : Nunc*, Latin. et Francius. *Cur i. n. s. differentia eadem venenorum. Etiam tempore* (vel *temporis*) *non nihil interest. Quod sanat alias, nunc venenum est*, Sch. *Quum igitur tanta sit diff. e. v., an etiam temporis n. i. quo quis id capiat? alias nunc venenum est, nunc non est*, Ærod.

2. *Animus dantis qualis fuerit, non probavimus.* Priores, *probabimus.* Scribe : *mox probabimus.* Mox enim : *sane scrutemur et animum.* Gron. *Nondum probabimus.* Scr.

3. *Medici non vetuerunt, non timuerunt.* Ærodius : *hoc vetuerunt, hoc timuerunt.* Lege : *Sane medici non vetuerint, non timuerint : satis est, non permiserunt.* Pone, fac non vetuisse, non timuisse : satis peccasses, si dedisses illis inconsultis. Gron. In Ærodii editione est, *hoc metuerunt, hoc timuerunt.* In marg. *non met.* Sed *non timuerunt : quod satis est, n. p.* Schult. — *Personam non onero.* Non urgeo, quod sit noverca. Schult.

4. *Moriturum. Moriturum non*

Digitized by Google

turum non putaveris? nocere voluisti: hoc inter omnes medicos constitit, periturum esse, si aquam frigidam bibisset: dedisti, postquam certum erat. Velim scire, an aliquid tale in valetudine ejus et ante feceris; nam sive fecisti, apparet, quomodo ad tantum periculum deductus sit: sive non fecisti, apparet fuisse causam, propter quam faceres. Non putavi, nec credidi medicis: adeone ignota medicinæ experimenta sunt egenti vita bona[1]?

M. FAB. QUINTILIANI

FINIUNT COLORATÆ,

INCIPIUNT EJUSDEM[2] TRACTATÆ.

CCCLI.

Exsul index tyrannidis.

EXSULEM INTRA FINES DEPREHENSUM LICEAT OCCIDERE. EX SUSPICIONE TYRANNIDIS SIT ACTIO. Exsul, apud quem dives fuerat hospitatus, scripsit senatui, se facturum indicium tyrannidis, si reditus sibi decerneretur. In curia quum ageretur, solus dives contradixit. Decreto tamen reditu, exsul ille intra fines est occisus. Dives tyrannidis reus est.

SERMO.

Exsulem illum, qui occisus sit, dicemus, antequam

putaverit, nocere noluit, tamen hoc inter, etc. SCHULT.

1. *Egenti vita bona.* An, *egisti vitam bene*: ut sit ironia alludens ad veneficium: vel *egisti invita bona*: nempe te pœnitet, quod non ante noveris vim medicamentorum. Ita necessitate bona fuisti. SCHULT. *Exigenti tribui: da bona*, Obr. Forte, *intelligenti vitæ bona.* An tibi, qui sentis et intelligis bona et voluptates vitæ, ignota sunt medicinæ experimenta? Plin. XIV, 14: « Jam « intelligente bonum suum Italia. » Vide ad Petron. LXXV. Ærodius hæc verba abjecit. BURM.

2. *Ejusdem tract.* Vet. cod. *coloratæ*: quod ordo non patitur. PITH.

Digitized by Google

damnaretur, fuisse civem seditiosum, omnibus sceleribus confessum[1]: sed in illis quoque diu non fiducia innocentiæ, verum audacia nescio qua omnia fingendi atque dissimulandi, latuisse; et quemadmodum multos similes sui amicos habuerit, sic non pauciores habuisse inimicos: vix quidem illum, quamvis in manifestis sceleribus, nescio qua audacia repugnantem damnari potuisse. Expulsum autem, quod fere sceleratis pectoribus eveniat, graviter tulisse pœnam: ac præcipue auctoribus ejus fuisse infestum, quibus ut referre gratiam posset, quæsisse occasionem reditus: quod ut posset contingere, prius [2]conterrere voluisse patriam, ut in communi servitutis metu, non tanti unius exsulis reditum, quanti securitatem omnium judicaret. Dictitare igitur cœpisse, apparari tyrannidem, instare patriæ gravem servitutem, quædam se comperisse. Has ejus voces frequentes, quum forte eadem iter faceret, ad divitem perlatas: et protinus motum tali rumore, certius aliquid ex ipso voluisse scire, quidnam exsul loqueretur; an arma aliqua apud eum, an vestigia saltem tyrannidis reperiri possent. Sibi quoque exsulem dixisse, apparari tyrannidem, sed nihil præterquam inania verba se apud eum comperisse, illum autem hoc ipso accensum, quod fabulis suis judicaret etiam a divite haberi fidem, non distulisse, quod diu cogitasset; misisse ad senatum indicii epistolam[3]. Ad nuntium tam atrocis rei attonito universo senatu, divitem indicasse, quid ipse comperisset; quemadmodum sibi quoque eadem denuntiasset: intellexisse vanam illius, sine ullis argumentis, vocem: itaque dixisse

1. *Sceleribus confessum. Confossum* edit. aliæ, ut *præjudiciis confossus. Coopertum* Sallust. Catil. 23. SCHULT. Puto respicere Clar. Virum ad Liv. V, 11: qui, « tot judiciis « confossos prædamnatosque » dicit: sed an, *sceleribus confossus*, aut etiam *confessus* dicatur recte, dubito. BURM. — *Auctoribus. Actoribus*, al. *Exactoribus*, marg. Ærod.

2. *Conterere.* Lege, *conterrere.* PITH. *Prius eum terrere*, Ærod.

3. *Indicii epistolam.* Francius volebat, *indicem epistolam.*

Digitized by Google

nihil scire exsulem[1]; supervacuo revocari. Cæteros autem, qui attoniti erant, decrevisse, tanti non esse unius exsulis reditum, ut diutius tali metu sollicita teneretur civitas. Hoc decretum senatus non omnibus fuisse notum: etenim festinatione quoque in ejusmodi metu, præcipitari solere omnia: legem illam, quæ exsulem intra fines juberet occidi, nemini fuisse ignotam: eum igitur, qui multos inimicos haberet, non omnibus decreto senatus, omnibus jure exsulis noto, intra fines occisum, non esse mirandum. Multum adjuvat in defensione personæ divitem, quod est integer: in qua parte etiam gloriari potest, ut dicat se odisse etiam aliena[2] scelera.

DECLAMATIO.

Tyrannidem paro: vides enim: cum sceleratis mihi convenit: revocari exsules volo, non etiam ficta[3] illorum consilia deprehendo. An ego, si hoc cogitassem, tam aperte omnia egissem? et ipse potissimum ad exsulem misissem[4]? protinus me ac propositum meum nocenti

1. *Nihil scire exsulem. Nihil scire, exsulem sup. revo.* Ærod.

2. *Aliena scelera.* Hunc qui inscribitur sermonem a Declamationum genere non multum distare liquet, et tantummodo ex oratione obliqua differre; in quo enim ut in cæteris non status quæstionis habendus agitur, aut præcepta de ratione dicendi, aut dividendi expromuntur, sed ipsa res diligentius et explicatius, quam in plurimis, veluti nuncupantur, Declamationibus, tractatur. Cæterum inde usque ad Declam. CCCLXV, videre est tales sermones, in quibus confunduntur Declamationes, quas aut nullas, ut plerumque fit, aut admodum exiguas, jam nunc deprehendemus. Itaque, si istud orationis genus, quod supra non semel quidem, at passim nos offendit, cum redivivo harum Declammatt. *Tractatarum* titulo conferimus; forte licuerit hinc nobis effingere quid tractatas Declam. Fabius esse voluerit; nempe in quibus thematis argumenta simpliciter exponuntur, causæ viscera nudantur, remotis coloribus, et omnibus quæ ad affectus movendos pertinent. Vide Fabric. ex Bibl. lat. quod in nost. vol. V, præf. excerpsimus. Ed.

3. *Non etiam facta.* Vet. cod. *ficta*, rectius. Pith. *Non enim facta illorum, non consilia deprehendo.* Schult. *Quin etiàm ficta*, Ærod. *Volo non; Quin*, marg.

4. *Et ipse potius ad exsulem misissem.* Immo, *ivissem.* In Themat.

Digitized by Google

aperuissem? non hoc ipsum timere debui? Adjecissem huic suspicioni sententiam meam, ut viderer timere indicem? nihil debui minus, quam in metu, ipsum metum prodere.

CCCLII.

Reus tyrannidis, qui deliberavit victor arma[1] *deponere.*

Ex suspicione tyrannidis sit actio. Quædam civitas, quæ bello laborabat, quum duobus prœliis victa esset, adolescens dives, nobilis, cum servorum et clientium manu armata processit in prœlium; fugavit hostes. Populus redeunti portas clausit, quum aperturum promitteret, si arma posuisset: respondit dives, se deliberaturum: triduo deliberavit, rediit in civitatem, positis armis: reus est tyrannidis.

SERMO.

Divitem hunc dicemus natum honesta domo, patre militari, forti viro: a primis statim annis assuevisse studio armorum, magnum per se militiæ usum collegisse. Quum autem subito bellum incidisset, factum alium ducem non judicio, sed quodam casu, et incerta populi aura, nec sane vacasse tam subitum[2] delectum ducum agere: factum ducem, qui nullum militiæ usum haberet, nec aliunde[3] victam duobus prœliis urbem. Tum demum intellexisse populum, qualem haberet ducem: et ante omnes amicos

apud quem dives fuerat hospitatus. Gronov. Sed *mittere* simpliciter amat uti Cicero, et alius quisque optimus latinæ linguæ auctor. Vide præter alios ipsum Gronov. ad Liv. VIII, 23.

1. *Deliberavit victor arma deponere. D. v. an arma deponeret.* Sch.

2. *Tam subitum. In tam subitis.* Schult.

3. *Nec aliunde. Nec aliud. Devictam d. p. u.* Ærod.

Digitized by Google

paternos frementes venisse ad divitem, palam questos de duce: adjecisse, Pater tuus, si viveret, pro patria arma cepisset: non esset passus vexari rempublicam et hostium armis, et imperiti ducis consiliis. Accensum his vocibus, pro salute, ac libertate omnium, pia arma cepisse, privatas quoque adjecisse vires: urbe egressum, solutos lætitia victoriæ hostes, et nihil minus, quam eruptionem timentes, oppressisse. Hac victoria accensum, quasi in æmulatione[1], gravi dolore exarsisse ducem, quum diceret malo exemplo militare privatos: et quum omnes amici divitis cum divite[2] essent, non difficile persuasisse, ut portas clauderet. Milites autem confecto prælio ad gratulationem redeuntes, portas clausas obstupuisse: posteaquam vero jussi sint arma ponere, aliquanto gravius exarsisse, veluti parricidas se excludi, et armatis hostibus inermes objici. Hanc seditionem volentem sanare divitem, tempus petiisse non magis deliberandi, quam rogandi; et triduo illo nihil aliud egisse, quam modo singulos, modo universos rogasse: illos quoque securiores fuisse[3], posteaquam ex toto recessisse hostem crediderint. Rediisse autem se a bello ad judicium, et in conscientia maximi meriti gravissimum sibi crimen objici, ut qui solus rempublicam defenderit, opprimere voluisse dicatur.

1. *Quasi in æmulatione. Accensam quasi illi æmulationem: Gravi dolore exarcisse ducem.* Schult. Malim, *accensum quasi in æmulationem.* — *Quum diceret. Quum duceret*, Ærod.

2. *Divitis cum divite. Divitis, divites essent;* et mox, *cluderent*, Ær. Forte, *persuasisse populo, ut p. cluderet.* In marg. Ærod. est, *ut parens cluderet.*

3. *Securiores fuisse. Securiores fecisse*, marg. Ærod. — *Ex toto.* Ut Plautus, *ex virili.* Schult. *Ex tota regione cessisse*, Ærod. Ego nihil muto: elegans enim usus ille præpositionis *ex* cum adjectivo, pro *omnino.* Sic Ovid. Epist. XVI, 158: « Nec venus ex toto nostra » fuisset iners. » Vide Schult. ad Senec. Declam. VII, p. 115. Ita *ex alto, ex facili*, et similia. Burm.

Digitized by Google

CCCLIII.

Dispensatores torti.

Quidam ab inficiante petebat depositum. Dispensatores utriusque torti, contraria dominis dixerunt: de integro lis est.

SERMO.

Petitor necesse est infamet dispensatorem suum, et dicat ab adversario corruptum; et ea fiducia esse illum inficiatum, quum promitteret[1] dispensator, negaturum se etiam in tormentis: itaque ab adversario natum, quum lis esset, Dispensatores torqueamus. Alterum hunc dispensatorem sani propositi dicet, qui semper accepisse se palam dixerit, et statim quum datus sit in tormenta, hoc sibi proposuerit, Quid? ego quo præmio mentiar? confessum esse[2]. Et hoc in locis valens est, Tuus dispensator accepisse se ait, meus dedisse negat: hujus potentior vox est, potest enim etiam per alium numerata videri pecunia. Initio autem dicet hic sibi[3] placuisse servum: et ideo supra rationes esse positum, sed postea et licentia sua et securitate domini, qui illi plurimum crediderit, esse in vitia a multis corruptum, antequam ab hoc: et ideo[4] se deposuisse. Hanc sibi deponendi fuisse causam, quum videret in malo statu rationes esse. Hoc necesse est adji-

1. *Quum permitteret. Quod promitteret;* sed confundit et Plautus. Schult.

2. *Confessum esse. Sic confessum esse*, Schult. *Ideo confessum esse*, Ærodius. — *Hujus potentior. Utra potentior*, Ærod.

3. *Hic sibi. Hunc s. p. servum.* Schult. — *Supra rationes.* Sueton. Claud. 2, 4: *Suprajumentarius.* Ubi vide Casaub. Schult. Vide ad Petron. cap. XXX.

4. *Et ideo. Et ideo negasse se deposuisse*, Ærod.

Digitized by Google

cere, quia urgetur per interrogationem, quam causam deponendi habuerit. Inficiator dicat oportet, dispensatorem suum finem tormentorum quæsisse; ideo confessum, ut dimitteretur.

CCCLIV.

Morietur, antequam nubat.

Quidam nubilem filiam habens, uxorem secreto loquentem cum adolescente vicino formoso deprehendit; quæsivit, quid loquuta esset: respondit mulier, de nuptiis filiæ se loquutam. Ei maritus filiam despondit: mater ait, MORIETUR ANTEQUAM NUBAT. Ante diem nuptiarum puella subito perit: livores et tumores in corpore fuerunt. Mulier rea est.

SERMO.

Dicet hæc mulier[2], juvenem illum nunquam sibi placuisse, et repugnasse se, quum videretur illi puella destinari: illum autem utique volentem hanc uxorem habere, ad satisfactionem venisse, tunc vero minus placuisse matri generum. Itaque quum desponsam audisset filiam, quotidiana consuetudine vulgi iratam dixisse, Morietur celerius, quam nubat. Cæterum de fato puellæ, una cum accusatore queretur. Causam fati crudelitati[3] fingitur.

1. *Morietur.* Vide Calp. Flacc. Decl. XXXIX.

2. *Dicet hæc mulier.* Vid. Senec. lib. VI, Decl. 6. ÆROD.

3. *Causam fati crudelitati fingitur.* Malim, *crudelitati affinget.* PITH. *Causa, facti crudelitate, finitur,* Ærod. *Casus fati crudelitati affingatur;* vel, *causam nullam tantæ crudelitati fingit.* An, *causa fati crudelitate finitur;* aut *finiatur?* ut velit finem fore Declamationi, querelam de crudelitate fati. SCH. Forte, *causa fati cruditas fingetur.* Ita sæpe *cruditas* et *crudelitas* confusa sunt.

Digitized by Google

CCCLV.

Tutor lenocinii reus.

Pupillus cum tutore agebat tutelæ; tutor cum pupillo, adulterii: remiserunt invicem actiones. Lenocinii tutor reus est.

SERMO.

Fuisse quosdam utrisque inimicos, hic tutor dicet, qui ab initio moleste tulerint[1], non ipsis potius relictam esse tutelam: et quoniam ab hac præda exclusi sint, distulerint spes suas in diem ultimum tutelæ, ut rudem et imperitam pupilli ætatem fraudibus suis circumscriberent. Se autem tutelæ rationes, ut debebat, reddidisse: cæterum metuentem, ne dimissus a se pupillus fraudibus et insidiis inimicorum circumscriberetur, velut alteram ejus tutelam gesturum, in domo retinuisse. Tunc vero consurrexisse illos, qui tutelam ipsis non commissam moleste tulerant, et graviter excanduisse, ne peracto quidem tutelæ tempore, a domo tutoris pupillum dimitti: nullam occasionem ad despoliandum imperitum juvenem dari. Cogitasse igitur, quemadmodum pupillum, ac tutorem mutuo dolore distraherent: nam si rationes tantum infirmarent, videbant futurum, ut optima[2] conscientia tutor non exspectaret ultimam contentionem judicii, sed per communes amicos, propinquosque pupilli, satisfaceret. Invenisse illos rationem, qua mutuo dolore distraherent: summisisse, qui

1. *Moleste tulerint. Tulerunt*, Ærod. nihil ad sensum. Ed.

2. *Ut optima.* An, *Ut non optima conscientia*, etc.? Schult. — *Ultimam contentionem.* Quam sequitur sententia, ut *ultimum supplicium*, quod sequitur mors. Sic Deol. seq. « ultima ultio. » Schult.

Digitized by Google

dicerent, male tractatas a tutore rationes: non omnia nosse pupillum, qui taceat[1]: si litigare velit, futurum, ut sua recipiat. Per alios inde internuncios sollicitatum maritalem animum, qui pupillum falso crimine adulterii inquinarent. Se, utique maritum credulum, nihil tanti putasse, ut suspicioni suæ satisfaceret[2]. Diu hac fraude inimicorum, pupillum tutoremque deceptos: sed posteaquam veriores amici intervenerint, et se interrogaverint, quam actionis haberet fiduciam; pupillum item seduxerint, et querelæ causas quæsierint: tum demum apparuisse mutuum errorem: et se quædam certius etiam ab uxore quæsisse. Detecta igitur fraude inimicorum facile depositas, quæ nullis fundamentis niterentur, actiones, et reditum in gratiam: sed tamen nondum inimicos effugisse, a quibus reus factus sit. Accusator autem non committet[3], si in pupillum dixerit: id enim crimen illi objiciet, quod ille noluerit diluere[4]. Dicet ergo, propter amorem adulteræ illum in domo tutoris remansisse: nam ante quatuordecim annos, incredibile est crimen; remansisse ergo [5]amorem, nec illam indulgentiam in retinendo pupillo fuisse tutoris, sed conscientiam, quum sciret male redditis rationibus, non esse offendendum pupillum: mulieri autem multa donata; quæcunque desideraverit, concessa. His sceleri-

1. *Qui taceat. Qui tacet*, Ærod.

2. *Nihil tanti putasse, ut suspicioni suæ satisfaceret.* Si τὸ *suæ* in codice suo reperit Pithœus, admittimus: nam Thaddæus ignorat: Ærodius quasi ab sese interposuit, sic tamen: *ut* [*suæ*] *suspicioni satisfaceret.* Sed alia hic fraus. Si enim intellexissent illud, *Est tanti*, quod alibi quoque male perceptum monuimus; vidissent utique, scribendum, *nihil tanti putasse, ut non suspicioni suæ satisfaceret:* id est, nulla re deterreri potuisse ab inquirendo. Vulgata contrarium significat, nempe nulla re perpelli potuisse, ut ob suspicionem aliquid faceret, aut inquireret. Gron.

3. *Non committet. Nihil committet*, id est, peccabit. Schult. — *Si in pupillum dixerit.* Aut hæc corrupta, aut aliquot verba exciderunt. Gron.

4. *Noluerit diluere. Noluerit crimen adulterii diluere*, Ærod. explicatiori sensu. Ed.

5. *Remansisse ergo amorem.* Potius, *propter amorem*, aut *ob amorem*. Gron. *Amore.* Schult. Vid. ad Declamat. I, 7.

Digitized by Google

bus invicem cognitis, primo utrumque excanduisse: deinde tutorem ex conscientia rationum, omisisse potius matrimonii vindictam, quam mutuis caderet actionibus: sic pares acceptasque factas[1] actiones.

CCCLVI.

Filius[2] *pro meretrice patris, suam redimens.*

Quidam luxurioso filio, amanti meretricem, dedit pecuniam, ut sibi emeret eam meretricem, quam ipse pater amabat: ille eam redemit, quam ipse adolescens amabat. Abdicatur.

SERMO.

Hic senex dicet filium fuisse luxuriosum, et non sine maximo patrimonii ac famæ damno amasse meretricem; cui malo voluisse mederi patrem; sæpe objurgatum filium; sæpe secreto, sæpe etiam palam castigatum. Quum jam nec sumptibus, nec verecundiæ[3] finis imponi posset, habuisse cum cognatis consilium, quidnam se facere oporteret. Abdicaret? sed tanto liberior fuisset luxuria: castigaret? sed nihil castigando profecerat. Succurrisse cognatis et amicis rationem, qua putarent juvenem posse emendari, si simularet pater, amari a se meretricem, et daret pecuniam potissimum ipsi filio ad redimendam: quod si fecisset, futurum ut meretrix, redempta altera meretrice, deinde ab ipso adolescente redempta[4], indignaretur, et

1. *Factas actiones.* An, *rationes?* quod præfero. SCHULT. Mallem, *sic pares factas, acceptasque rationes,* vel *actiones.* Ut ita *paria facere* sæpe in Declamationibus. Vide Decl. IX, 16; et XII, 24, et alibi. BURM.

2. *Filius.* Vid. Calpurn. Declam. XXXVI. — *Quam ipse adolescens. Quam ipse (adolescens) amabat,* ut ab alio sit inserta vox, *adolescens.* SCHULT.

3. *Nec verecundiæ. Nec invere-cundiæ.* SCHULT.

4. *Ab ipso adolescente redempta.*

Digitized by Google

illum amare desineret. Nam initio statim dicendum est, et culpa meretricis juvenem[1] hæsisse; et ideo quæsitam, quæ avocaret[2]; et illa ratione datam juveni pecuniam. At illum protinus cucurrisse ad meretricem suam: patrem autem, quoniam nullo modo sanare filium potuerit, ad ultimam ultionem confugere: abdicare filium, quia emendare[3] non potest.

Ab ipso adolescente non redempta. SCHULT.

1. *Juvenem hæsisse. Restitisse*, scilicet patris et parentum monitis: marg. Ærod. Sed proprium in libidinibus verbum, *hærere:* ut quasi laqueis captus, non potuerit se expedire; ut seq. Decl. « Captum, ut « revocari a cupiditate non posset. » Ovid. Art. Am. III, 543: « Nos fa- « cile hæremus, validoque peruri- « mur æstu; » Amor. I, 8, 24: « Hæsit, et in vultu constitit usque « tuo. » Proper. Eleg. II, 2: « Qui « nullam tibi dicebas jam posse no- « cere, Hæsisti, cecidit spiritus ille « tuus. » Et ita passim poetæ, vide ibi Passerat. BURM.

2. *Quæ avocaret.* Et hoc elegans, desumptum ex re militari: quæ averteret eum, alienum a meretrice redderet. Vide Gron. ad Liv. I, 6; XLIII, 16, 5, ubi *avocatam concionem;* et Tennul. ad Frontinum, Strateg. I, 4, 14. BURM.

3. *Quia emendare non potest.* Francius malebat, *emendari*, vel, *emendare non posset.* Quintilian. Institut. VII, 4, 27: « Mavult enim « pater corrigere, quam abdicare. » Cæterum hic est, velut in Declam. seq. ex abdicationis formis altera, quam Fab. eod. loco vocat *criminis imperfecti;* in qua nempe « abdica- « tur filius, quia non pareat patri; » at errore non inemendabili. Quod idem Fabius Inst. VII, 1, 14, jam exprompserat: « Nam quædam le- « ges in scholasticis ponuntur ad « conjungendam modo actæ rei se- « riem; ut: minus dicto audientem « liceat filium abdicare, etc. » Vid. utcunque notas, quæ de hoc passim occurrunt. ED.

Digitized by Google

CCCLVII.

Uxor non relinquens ob adulterium cæcatum.

ADULTER EXCÆCETUR. UXOR VIRUM IN CALAMITATE NE DESERAT. Quædam patri de marito ter questa, et tacere jussa, postea ab excæcato ob adulterium viro quia non recedit, abdicatur.

SERMO.

Hæc mulier dicet acceptum a patre maritum, se ab initio amare cœpisse: adolescentem, lenociniis adulteræ illius usque eo captum esse, ut revocari a cupiditate non posset. Ut necesse erat, modeste[1] se tulisse, et eo magis, quod maritum diligeret: voluisse ergo experiri, quid de adulteris pater sentiret; indicasse ei adolescentis errorem: respondisse illum, esse quædam ætatibus concessa[2], nec reprehendi lusus in ejusmodi juventa debere. Tum vero cariorem sibi virum factum, posteaquam lusibus ejus patrocinari etiam senex cœperit. Sed quum videret nequissimæ mulieris illecebris maritum teneri[3], et jam vindictam adulterii, atque occasionem captare adulteræ maritum; iterum ad patrem venisse, ut illius saltem auctoritate emendari adolescens posset. In eadem voce illum perseverasse iterum, ac tertio: miserrimum ergo juvenem fraude et insidiis deceptum, eam fortunam sustinere, quam illi semper uxor timuerit. Accessisse novum amori suo sacramentum, et judicio patris[4] factum juvenis affectum. Hoc

1. *Modeste. Moleste*, Ærodius.

2. *Quædam ætatibus concessa.* Ita Decl. XVIII, 9, vocat « juventutis excursus; et Decl. CCCLXXV: « Lusus, qui donari ætati possunt. » SCH. Et hic *ætati* malebat Francius.

3. *Maritum teneri.* Et hoc in amoribus verbum proprium, de quo vide Gud. et alios ad Phædr. II, 2. Vide et supr. Decl. XIV, 3. BURM.

4. *Et judicio patris factum juvenis affectum.* Forte: *factum juvenis*

Digitized by Google

colore optime defendetur mulier, alioqui lege [1] imbecilla. Nam ex contraria parte infinitum potens est illud, maritum esse damnatum.

CCCLVIII.

Exposito[2] *pulsatori amputatæ manus.*

TALIONIS SIT ACTIO. QUI PATREM PULSAVERIT, MANUS PERDAT. Quidam exposito[3], quem in locum filii sustulerat, pulsatus, tamquam pater manus incidit. Agnitus ille, advocato naturali patre, talionem petit.

SERMO.

Hic adolescens jure infirmus est: nam quod lege agitur, non solet vindicari lege: cur enim potius ab educatore, quam a carnifice, petatur talio? Sed præterquam[4] lege agitur, etiam facto laborat, quod quamvis educatorem, tamen patris loco pulsaverit. Dicat tamen educatorem fuisse hunc ab initio crudelem, et hinc suspicatum juvenem, non esse illum verum patrem: sæpe amicis questum: quibusdam etiam mandasse, ut inquirerent, qui

excusatum. GRON. Forte, *auctum juvenis affectum*, vel, *juveni*. SCH. Prius probo, ut *affectus juvenis*, sit amor, quo juvenem, auctore patre, magis amaret.

1. *Lege imbecilla. Lege, et imbecilla natura*, Ærod. — *Infinitum. In infinitum*. SCHULT. *Infinitum patris est illum m.* Ærod.

2. *Exposito*. Contrariam partem vide infra Decl. CCCLXXII. ÆROD. — *Pulsatori*. Adde Decl. CCCLXII et CCCLXXII.

3. *Quidam exposito*. Omnino, *ab exposito*. GRON.

4. *Sed præter quam. Sed præter quam lege, etiam f. l.* Ærod. An legendum, *præterquam lege, etiam facto laborat*. Lege laborat, qui ad illam infirmus est, nec ea quidquam potest obtinere: vel, *præterquam quod lege agitur*. SCHULT. Francius legebat, *præter quod lege agitur*. — *Tamen patris loco*. Notanda locutio, pro: qui patris loco sit. SCHULT.

Digitized by Google

aliquando infantes[1] exposuissent. Hac re validius offensum senem : itaque dedisse operam, ut se pulsandum præberet : deceptum certe ab eo etiam tempore ipso juvenem, incidisse in eum, quem minime provocatum injuria vellet. At illum confestim tamquam de alieno non deliberasse sanguine : et quia redditurus esset expositum, debilitasse. Certe eum lege patris usum, qui sciret, nec se patrem, nec hunc filium. Adolescentem autem, quia nondum perspectum illo tempore patrem habuerit, certe quia probare non potuerit, tacuisse : nunc petere talionem.

CCCLIX.

Lis publicani de unionibus.

PRÆTER INSTRUMENTA ITINERIS, OMNES RES [2]QUADRAGESIMAM PUBLICANO DEBEANT. PUBLICANO SCRUTARI LICEAT. QUOD QUIS PROFESSUS NON FUERIT, PERDAT. MATRONAM NE LICEAT ATTINGERE. Matrona iter faciens, quum ad publicanos venisset, uniones habens cccc, in sinum abdidit : hos quum requireret publicanus, matrona scrutandi potestatem fecit, publicanus noluit scrutari. Translatis manum injecit, et suos dicit.

SERMO.

Quæstiones sunt, an instrumenta itineris videri uniones

1. *Infantes. Infantem*, Ærod. — *Certe ab eo. Certum habeo*, marg. Ærod. — *Deceptum juvenem.* Hæc in tali re præcipit Fabius, VI, 1, 16 : « Pulsatum querimur ; de re pri- « mum ipsa dicendum, tum si non « errore, etc. nempe invidia crescit « ex his, etc. » ED. — *Tempore ipso. Ipsum* Francius volebat : sed *tempore ipso* de tenebris capiebat Schultingius, quibus in errorem deductus erat. Ut Decl. CCCLXIV, « be- « neficio temporis » cædis auctores dixit latere. — *Lege patris. Eum non lege patris*, Ærod. — *Perspectum. Prospectum*, edit. aliæ. *Profectum*, marg. Ærod.

2. *Quadragesimam.* De hoc vectigali egimus in Dissert. de Vectig. populi romani. cap. V.

Digitized by Google

possint? an, etiamsi non possint videri, tamen quoniam ad usum, et ornamentum matronæ parati sint, in commissum[1] venire potuerint? an in usum parati sint? an, si in usum parati sint, non ostensi teneri possint, quum ostensi nihil debuerint? an, quamvis scrutari matronam non liceat, et ipsa permittente et publicano licuerit, perinde sit scrutationem permisisse, ac rem ostendisse? an dimissa res peti possit? an hæc dimissa sit? Dicit enim publicanus non rem, sed controversiam dimissam.

CCCLX.

Lis de dotibus, socrus et nurus.

PRIMA RATIO DOTIS HABEATUR. Quædam apud filium, amisso viro, dotem reliquit. Adolescens, ducta uxore dotata, decessit. Res solvendo non est. Contendunt socrus et nurus, utra primum dotem accipiat.

SERMO.

Mulierem illam socrum nurus dicet, hanc ruinam patrimonii post mortem viri statim sensisse: non sumpsisse dotem, ne et filium decoloraret[2], et dotem quoque perderet. Itaque etiam dotatam filio quæsisse uxorem, quo facilius posset ruentis patrimonii rationem fulcire. Addat, donasse illam filio petitionem[3]; hodie, quia decessit, retractare. Sed et præscribat.

1. *Parati sint in commissum. Parati sint, videri possint: an si in usum parati sint, non ostensi*, Ær.

2. *Decoloraret.* Id est, infamem redderet, ne posset uxorem invenire, si statim apparuisset, rem non esse solvendo. Ita « fama decolor » Ovid. Epist. IX, 4, ubi plura dicentur. BURM.

3. *Filio petitionem. Filio petitionem, quam hodie retractare iniquum est; sed et præscribat*, Ærod.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Sero petis; et aliud patrimonium est. Dudum heres mariti tui erat[1]: a filio petere debuisti; ego ex bonis mariti mei repeto: nam duæ mortes maritorum, diversas successiones habent. Bona mariti mei, morte ejus facta sunt: dum viveret, patris fuerunt. Dos est, si a viro, aut ab herede ejus repetatur: tu amisso viro, quum dotem non petiisti, fecisti creditum[2] ex dote.

SERMO.

Circumscriptam se nurus queretur: et in ultimo[3] quæret, in quem usum anus dotem desideret? Contra illa dicet, hanc mulierem ambitiosam et profusam fuisse, non minime propterea ad egestatem perductum virum.

DECLAMATIO.

Nurus oportet a viro dotem repetat, socrus a patrimonio[4].

1. *Dudum heres mariti tui erat. Tu dum h. m. t. erat*, Ærod. *Eras:* nam dos herede uxore confusa fuisset, marg. Ærod. — *Mariti mei, morte. Mariti mei morte, ejus f. s.* ita distinguit Ærod.

2. *Fecisti creditum.* At non crediti, sed dotis prima habetur ratio. Ærod.

3. *Et in ultimo. Et ultimo*, Ærod. — *Anus dotem. Ante dotem*, Ærod. — *Non minime.* An non præstaret, *non dubie? Non mirum*, Ærod. — *Perductum. Productum*, editiones aliæ. Vid. ad Declam. CCCV.

4. *A patrimonio.* At in patrimonio filii est patrimonium patris. Ærod.

Digitized by Google

CCCLXI.

Depositi rapti quadruplum.

QUI DEPOSITUM PERDIDERIT, JURET, ET SIBI HABEAT. Quidam quum depositum furto amisisset, juravit: postea furem damnavit, exegit quadruplum[1]: dominus hoc quoque petit.

DECLAMATIO.

Meæ pecuniæ accessio ad me pertinet. Quid si enim cognitor meus, quid si procurator hoc idem respondeat? denique, quid si damnatus fur non totum solvisset? nempe meum damnum erat: an jacturam debeo sentire, accessionem non debeo? Ego enim a te recessi, quum jurasti; jam cum fure mihi negotium est: hic quidquid solverit, ad me pertinet.

SERMO.

Contra, ille suo nomine egisse se dicet, investigasse, laborasse: illud præterea potens est pro illo; non potuisse dominum illum furti agere. Itaque judex quid pronunciavit? nimirum mihi furtum esse factum.

1. *Exegit quadruplum.* Quintil. Inst. VII, 4, 44, certissime ad legem furis damnati, seu manifestarii, ut vocat Turneb. ex jure civili, spectat: immo legem ipsam recitat, VII, 6, 2: « Fur quadruplum solvat. » ED.

2. *Itaque judex.* Hæc verba videntur esse Declamationis, et separatim ponenda, ut sæpe. SCHULT.

Digitized by Google

CCCLXII.

Invicem pulsatores patrum.

QUI PATREM PULSAVERIT, MANUS EI INCIDANTUR. Duo adolescentes æquales juraverunt, ut alter alterius patrem cæderent: ceciderunt: petuntur manus: patres vindicant.

SERMO.

Fuisse duos sodales: patribus ex austero [1] indulgentibus, sæpe coisse ad lusum, frequenter una fuisse. Quodam tempore, quum alter ex his serius in convivium venisset, dixisse alterum, Fortasse te, ut solet, ille senex [2] retinuit, sed non feret impune: ego illum verberabo: hunc deinde respondisse, Et ego tuum cædam. Quum alternis verbis jactarentur minæ, et uterque metueret, ne inultum haberet patrem, jurasse in ultionem magis parentum, quam injuriam.

1. *Ex austero indulgentibus. Ex austero vix indulgentibus*, Schult. ad Senec. Contr. VII, pag. 115. Forte, *nec austeris, nec indulgentibus*, ut medium tenuerint inter duritiem et indulgentiam. BURM.

2. *Senex retinuit.* Franciùs volebat, *detinuit;* me non invito. Ovid. Ep. IV, 68: « Gnosia me vellem, de« tinuisset humus. » Et vers. 110: « Illum Pirithoi detinet ora sui. » Et ita passim. Vid. Brouckh. ad Tibul. I, 1, 40: « Admonuit dominæ deti« nuitque Venus; » ubi al. *deseruit.*

Digitized by Google

CCCLXIII.

Vestiplica[1] *pro domina.*

MALÆ TRACTATIONIS[2] SIT ACTIO. Quidam pauper formosæ maritus, a peregrino vicino negotiatore, ter de stupro uxoris, adjecto pretio appellatus, vestiplicam dominæ habitu misit. Malæ tractationis reus est.

SERMO.

Maritus illo colore defendendus est, ut dicatur fuisse diligens custos pudicitiæ uxoris; natura quoque sollicitus et sedulus. Quum esset de stupro uxoris appellatus, admiratum tantam peregrini negotiatoris audaciam: quum deinde etiam repetitus, suspicari aliquid etiam de uxore cœpisse, quantum nunc appareat, suæ naturæ potius vitio, quam culpa uxoris. Quum vero tertio quoque instaret adulter, non potuisse dissimulare suspicionem et sollicitudinem suam: itaque quia putaret aliquid ante cum sua uxore loquutum adulterum per vestiplicam, advocasse illam[3], et quæsisse, num aliquid de adulterio sciret: illam

1. *Vestiplica. Vestispica* ex Varrone, lib. VI de L. L. ÆRODIUS. Etiam apud Plautum Trin. II, 1, 22; et Nonium *Vestipica* legitur, et Pignor. de Serv. p. 416 videtur facile mutaturus *vestiplicas*, in *vestispicas*, vel *vestificas*: quales et fuisse ex lapidibus apud Gruter. DLXXVIII; et Reines. IX, 70, apparet, et ipse quidem fuisse *vestificas* in familiis plures, quam *vestiplicas*, non negaverim: sed quo rariores *vestiplicæ*, ita a communi sorte ancillarum magis exemptas et honoratiores crediderim, ut facilius *vestiplica* pro domina potuerit mitti, quam *vestifica*. Præterea nihil mutandum docet lapis apud Reines. IX, 64, ubi Cæsaris Germanici *vestiplicus* memoratur. BURM.

2. *Malæ tractationis*. Quæ a Græcis τῆς κακώσεως, in foro *rei uxoriæ* dicitur; Quintil. Instit. lib. VII, cap. 4, §. 11 passim. ÆROD.

3. *Advocasse illam*. Forte, *avocasse*, id est, seduxisse in secretum.

Digitized by Google

respondisse, innocentem esse dominam, et ne notam quidem negotiatori: denique si dubitas[1], me uxoris tuæ habitu mitte: videro, an possit discernere.

CCCLXIV.

Conviciator pauper occisus.

Pauper ad divitis domum nocte conviciari solebat. Quodam tempore, dives processit, et insanire eum dicens, decem servis imperavit, ut eum domum ducerent. Cum iisdem occisus, postero die inventus est. Dives cædis reus est.

SERMO.

A parte divitis color ille introduci potest, ut dicatur pauper fuisse factiosus, aut turbulentus: habuisse hujusmodi furoris sui comites, quibus in insidiis dispositis, ipse tantum ad concitandam rixam se ostenderet; cæterum illos in præsidio haberet, si quid forte dives moliretur. Et hoc ipsa rei conditio monstrat; quum sit incredibile pauperem solum, et præterea nocte ad convicium diviti faciendum venisse. Quare enim die tacuit[2]? quare in foro non maledixit? Apparet illum noctem exspectasse, quo facilius comites absconderet: paratum ergo ad rixam cum telo venisse. Divitem nihil tale suspicatum, magis insanire credentem, dedisse, qui deducerent. Tunc vero pauperem quasi custodia excanduisse: accessisse et cæteros ejus conscios, qui dum[3] eripere pauperem vellent, rixam concitaverint, et fortasse illum pauperem silentio occiderint, ne

1. *Denique si dubitas. Denique, inquit, si dubitas.* Schult. — *Videro. Videto.* Schult.

2. *Quare enim die tacuit. De die* Francius malebat. — *Comites absconderet. Comites se absconderent,* Ærod.

3. *Qui dum. Qui quum,* Ærod.

Digitized by Google

postea comprehensus pauper auctores facinoris cogeretur fateri. Et hoc dubie ponendum est; quæ constitutio in reliqua quoque causæ parte servanda est: nihil enim [1]pro certo affirmare debemus; sed tantum suspicionem judicum a nobis alio prævertere. Ergo ab illis videri factam cædem, qui adhuc beneficio temporis latent: divitem super damna patrimonii, et tot servorum cædem[2], reum esse.

CCCLXV.

De vi septem judices.

DE VI SEPTEM JUDICENT[3]. QUOD MAJOR PARS JUDICUM STATUERIT, REUS PATIATUR. Duo ignominiam statuerunt, duo exsilium, tres mortem. Petitur ad mortem.

DECLAMATIO.

QUOD MAJOR PARS, inquit, JUDICUM STATUERIT. Ego existimo majorem partem esse, in qua plures idem sentiunt, eamdem pœnam pronunciant, in eadem verba jurant: et hoc verum esse ab ipsis verbis legis disce, QUAM PŒNAM. Non de pluribus suppliciis, sed de [4]uno loquitur: etenim nemo potest plura supplicia unus nocens ferre. Scrutare et alia verba, STATUERIT, inquit, nonne tibi consentientis per omnia partis illius videtur

1. *Nihil enim. Enim* abest Ærod.

2. *Et tot servorum cædem. Et tot servorum, cædis reum esse*, Schult.

3. *De vi septem judicent.* Hæc non habet Ærodius; sed post *patiatur* legit, *divisi septem judices, duo*, etc. — *Quod major pars.* An, *quam pœnam?* ut in Declamatione. SCHULT. Controversiam hanc de septem judicibus, diversas sententias pronunciantibus, vide disceptantem Cujac. Obs. XII, 16. BURM.

4. *Sed de uno.* Sic Bip. et Hack. *Sed uno*, Burm. ED.

Digitized by Google

unam vocem includere? QUAM POENAM STATUERIT, id est, quod genus supplicii placere sibi pronunciaverit, qua pœna nocentem affici voluerit. Sed quatuor, inquit, judices me noluerunt mori : tu nunc indicas, quam pœnam transierint, non quam statuerint : lex autem certam illorum sententiam exigit. Quid enim aliud diceres, si nondum pronunciassent? si negassent liquere sibi de supplicio tuo? numquid sententias illorum numerares? minime. Horum enim primum[1] jam verba signavi : illorum quatuor quæ signabo? dubitare illos? nescire, quid pronuncient? etiamnum ergo suspensos? cur dimitti postulas, si judex deliberat? Plures, inquit, me mori noluerunt : quid igitur velint, pronuncies oportet[2] : illorum sententiam signare volo : accusator recitare his judicibus volo, ut habeant, quod sequantur. Duo, inquit, exsilium mihi injungunt : jam igitur aperte una plures[3] facis : jam turbam istam, quæ universa noceret, dividendo exstinguis : duo exsilium, duo ignominiam pronunciant : vis ego illos jungam, qui se ipsi dividunt? Revertere nunc ad verba legis, ut paullo ante : QUAM POENAM, inquit, MAJOR PARS JUDICUM STATUERIT. Partem intelligimus eidem[4] numero applicatam, quemadmodum sententia conjunctam, sic turba : alioqui si miscere[5] tibi et in genere dissentientes

1. *Horum enim primum. Horum enim trium*, Ærod.

2. *Pronuncies oportet. Enunties* volebat Francius.

3. *Ex una plures. Nullos plures.* SCHULT. *Aperte una plures facis*, ed. al. quod minime mutandum erat : trium enim judicum sententiæ si opponantur duorum, sunt *una plures;* ut egregie hanc locutionem explicat Gronov. ad Liv. V, 30. Vide et Schult. ad Senec. Decl. XXVII, p. 279, quia vero præcessit *duo*, mallem hic, *uno plures*, nisi *sententiæ* subintelligantur. BURM.

4. *Eidem numero. Eodem numero app. Q. sententia conjuncta*, Ær.

5. *Si miscere tibi et in genere. Si miscere tibi et jungere dissentientes licet*, Obr. ~ijungere, Ærod. *Congerere*, vel *injungere*, pro, conjungere, ut supra, marg.

Digitized by Google

licet, cur hos tres separas? Quomodo enim hi ab illis quatuor discrepant, sic illi inter se pugnant: ergo non idem sentientes non potes jungere: idem sentientes compara. Ego, qui mortem pronuncient, tres habeo: produc illos, qui exsilium pronunciant; vinco; produc qui ignominiam; æque vinco: dubitari potest valentiorem esse partem, quæ composita neutri succumbit, utramque superat? Quid si enim quatuor illi in totidem disputarent sententias[1]; numquid illos pro una parte opponeres? Nemo sine dubio cum tribus meis staret, sed nemo alteri esset adjunctus: numquid ex quatuor sententiis unum corpus efficeres? minime. At quid interest, bini an singuli dissentiant? æque numerari pars non potest, si in partes scinditur? Quid? si duo ignominiam pronunciarent, duo exsilium, duo mortem, unus, ut plerumque evenit, taceret? sine dubio pares essent sententiæ. Si ergo detracto uno, pares essent, adjecto, non sunt superiores? At enim, ut scias non utique duas partes legem exigere, verba inspice, QUOD STATUERIT, inquit, non utrum statuerit[2]. Denique, judices, breviter agendum est: reus damnatus, quam tandem pœnam pati debet, si mortis[3] pœnam relinquit? quam? scilicet exsilii: ergo quum tribus senten-

1. *In totidem disputarent sententias.* Lege, *discreparent.* Ærod. An, *dispartirentur,* id est, dividerentur, an *dispararent?* ita Gell. XI, 11. Schult. Vulgatam retinet Obrechtus, et certe Cicero sæpe dicit, « disputare in illam partem, in illam sententiam, » sed an judicibus conveniat vox, dubito. Burm. — *Pro una parte opponeres.* Al. *apponeres.* Ærod. *Oppones.* Marg. scripsit forte, *pro una parte apponeres.* An quatuor dissentientes opponeres, tamquam unam sententiam efficerent, parti aliter sentienti, nimirum tribus? Burm.

2. *Non utrum statuerit.* Ærodius, *non utraque pars statuerit.* Immo: *Quod statuerit, inquit, non utrum statuerit.* Gron. Et ita Schult. et Obr.

3. *Si mortis pœnam relinquit.* Forte, *pœna remittitur.* Gron. *Relinquitis,* Obr.

Digitized by Google

tiis quatuor non cedant, duabus quinque succumbent? At eadem est iniquitas : quid acturus es[1]? pœnarum controversia utrumque ferre non potes, sive ignominiam sustines, in patria morandum est, sive expelleris, patriam relinquis. Quid ergo, inquit, moriar, quum tres tantum me perire voluerint? quid enim autem iniquum est[2] te mori damnatum, confessum, etiam tuo judicio supplicio dignissimum? Cui enim te reservabimus? videlicet egregium exemplum civium futurus es, qui sic vivis, ut damnari potueris.

CCCLXVI.

Legatus filius proditoris occisus.

LEGATUS SACROSANCTUS SIT. PRODITOR CUM LIBERIS EXSULET. Cujus filius legatus erat, proditionis damnatus est. Revertentem legatum quidam occidit: cædis reus est.

SERMO.

Fatetur cædem reus, sed jure defendit.

1. *Quid acturus es?* etc. Ærodius: *Quid igitur acturus es in hac pœnarum controversia?* Valde corruptum agnosco locum, cujus sententiam tamen videor mihi exprimere posse. *Atque eadem est iniquitas in altera pœnarum :* nempe ignominia, ut duabus quinque succumbant. *Sine controversia utramque ferre non potes: sive ignominiam sustines, in patria morandum est: sive expelleris, patriam relinquis.* GRON. *At eadem iniquitas. Quid igitur acturus es in hac pœnarum controv. utramque ferre n. p. At sive ignominiam sustines.* Ærod. *Ac eadem iniquitas est, quidquid electurus es :* etsi scil. non eligas exsilium. Deinde, *Pœnarum sine controversia utramque ferre non potes.* SCHULT. *At eadem est iniquitas, quidquid acturus es : est pœnarum controversia : utramque ferre non potes,* OBR. — *Relinquis. Relinques,* Ærod.

2. *Quid enim autem iniquum est.* Lege : *Quid enim? an tam iniquum est.* ÆROD. — *Exemplum civium. Civibus* malebat Francius.

Digitized by Google

DECLAMATIO.

Exsulem, inquit, occidi. Exsul ille quando factus est? quis illum accusavit? quis damnavit? quis expulit? Atqui sic fieri exsulem, pater illius exemplo est: et inde exsul quoque dictus est, quasi ex solo patrio expulsus. Pater, inquit, illius proditionis damnatus est: lex autem exsulare et proditoris liberos jubet: ut omnes lex puniat, huic tamen ignoranti damnatio patris nocere non debuit: puta in privatum compendium peregrinatum: non ante exsul erit denique, quam scierit se esse exsulem. Aliquis pœnam sustinet, quam ignorat, et ejus est conditionis, cujus se esse nescit? Quem talem sacrilegum audistis, quem homicidam, quem veneficum? novi generis nocentem producis, tam securum, ut se ne nocentem quidem sciat. Sed quod paullo ante remiseram, nego: non omnes lex punit, sed conscios, sed participes sceleris: illis irascitur, qui cum patre peccant. Neque enim innocentes ulla lex punit: et hic non solum innocens, sed etiam honoratus fuit; legatus fuit: ut proditoris filium licuerit occidere, legatum non licuit. Quid enim lex ait? LEGATUS SACROSANCTUS SIT. An hoc dubium est, fuisse legatum? creatus est, missus est: atqui si fuit legatus, non potuit, antequam renunciat legationem[1], desinere, tamquam magistratus intra suum annum, tamquam sacerdos. Patris, inquit, damnatione desiit esse legatus: ad alium forsitan filium pertineat paterna damnatio: ad legatum non pertinet: ante enim legatus hic factus est. Ita in eo jure fuit, in quo illum respublica ante jusserat: id est, ante legatus

1. *Antequam renunciat legationem.* Vid. ad Instit. Orat. lib. VII, cap. 4, §. 36. *Antequam renunciaret.* Ærod.

Digitized by Google

fuit, quam damnati filius. Sed puta licuisse, non oportuit[1].

SERMO.

Hic de injuria publica querendum, quod ignoretur, quid renunciaturus fuerit: ultima descriptio erit, qua nihil tale[2] merens occisus sit, etiam inter hostes tutus.

CCCLXVII.

Luxuriosi pater fortis.

Luxuriosi pater fortiter fecit: præmium non optavit ex lege. Dementiæ reus fit a filio.

DECLAMATIO.

Dementiæ reo quid objicis? usitata fortasse crimina; tractas per publicum vestes, non reddita salutantibus nomina, non discretos ab inimicis amicos, aut dissipata luxuria bona, et aliena ætati vitia: habet hoc crimen domus nostra, si reum mutas[3]. An vero desidiam objicis? bellum non sentio[4]? hostem non intelligo? patriam

1. *Sed puta licuisse, non oportuit.* Consulendus est omnino Fabius, Inst. VII, 7, 7, ubi agitur de legibus contrariis, et unde hæc præcipue ad nostram Declamat. spectantia deprehendimus: « Utra lex « potentior? an ad rempublicam, « an ad privatos? permittat, an im« peret? Utrum fieri sit melius et « æquius? etc. » Vide etiam lib. VII, cap. 10, §. 3. Ed.

2. *Qua nihil tale. Q. n. tale metuens,* marg. Ærod. *Quod nihil tale meritus,* Schult.

3. *Si reum mutas.* Id est, si tu ipse reus sis, et te ob luxuriam abdicem. Ærod.

4. *Non sentio.* Ambigua posset esse sententia: *bellum* enim *sentit,* qui mala et calamitates, quas secum trahit bellum, experitur, de qua significatione verbi hujus egimus ad Petronium, cap. CXXXIX; et Ovid. Epist. IX, 46. Sed quia

Digitized by Google

non vindico? Præmium, inquit, non optas : puta me rationem non posse reddere : non est unius [1] criminis dementia. Ut hoc sit argumentum dementiæ; infirmum est, quia solum est : deinde nunquam in uno dementia deprehenditur, objice et alia. Sed quid si ne hoc quidem objici potest? Quid? tu liberalitatem, dementiam vocas? non expedit tibi, adolescens, hanc legem introducere : non optas. Age, quisquis non est avarus, demens est? varii sunt mores : puta me nolle optare, non concupiscere præmium : non invenio, quid optare possim : deinde patriam onerare nolo bello [2] afflictam : deinde gratuitæ debent esse virtutes : deinde hoc est præmium, intueri debitorem populum. Licet differre : permittes et tua causa, uxorem tibi opto, honores opto : statim, inquit, opta. Ergo [3] si facio, sanus sum : en crimen, quod statim tolli potest! Quid vis optem? opto statuas? vultum contrahit : dies festos? irascitur. Quid igitur? pecuniam? et si hanc desideras, cur non fortiter pugnabas? descende in aciem : an ego pro te pugnavi? Si perseveras in foro potius militare, quam in prælio, absolutionem opto : tolle judicium.

sequitur, *hostem non intelligo*, explicari debet, imperitus sum belli. Ita artifices et artium peritos *sentire* et *intelligere* proprie dici, vidimus ad Petron. cap. LII. Burm.

1. *Est unius criminis. Non u. est criminis dementia*, Ærod. Vid. Sermon. Decl. CCCXLIX. — *Nunquam in uno. Nunquam nisi in numero*, Ærod. Fab. Inst. VII, 4, 31, de actionibus dementiæ : « Est enim « domestica disceptatio, in qua se- « mel peccasse absolutioni non- « nunquam sufficit. » *Quid? tu libertatem.* Ita Burm. at Bip. et Hack. *liberalitatem.* Utrumque intelligi potest, *libertas*, scil. optionis, liberalitas, sc. ilremissio præmii. Ed.

2. *Afflictam. Deinde patriam nolo bello afflictam præmiis ultra onerare*, Ærod. Al. *afflictam tam gravi servitute juris obstringere :* ut supr. Decl. CCCVI, marg. Ærod. — *Permittes*, etc. *Liceat d. permittes vel tua causa, uxorem tibi optabo, honores optabo*, Ærod.

3. *Opta. Ergo. Opta: si facio sanus sum : id crimen est, quod*, Ærod.

Digitized by Google

CCCLXVIII.

Alens patrem rapta abdicata.

Rapta invito patre nuptias optavit, ob hoc abdicata,[1] tacuit: egentem patrem quia invito marito alebat, est repudiata; ingrati agit adversus maritum.

DECLAMATIO.

Beneficium dedit, vitam donavit: magnum beneficium est, lucem dare: ideo sunt parentes carissimi; et illi vitam dant[2] non sentientibus. Quid? quod beneficium dedit, quum accepisset injuriam? jam non tantum vitam tuam donavit tibi, sed etiam ultionem suam: nec tantum non exegit supplicium, sed etiam concessit matrimonium. Quid his vis adjiciam? exorata est: solent dolere raptæ: et contineri non possunt, nec a patribus. Dedit ergo beneficium: quid? si etiam contra patris voluntatem te servavit? illum offendit, ut tibi parceret: et quam graviter? etiam abdicata est. Quum tibi beneficium dat, ipsa accipit injuriam. Donavit tibi etiam testamentum patris[3]: accepisti ergo beneficium, non retulisti gratiam: quid? si fecisti etiam injuriam? Exspectatis, ut dicam: Cultus negavit, viduam fecit: quan-

1. *Abdicata tacuit. Abd. aluit egentem patrem. Quia i. m. a. e. r.* Ærod. *Et repudiata*, marg.

2. *Et illi vitam dant.* Al. *at illi:* marg. Ærod.

3. *Donavit tibi etiam testamentum patris.* Quidam apud Ærodium: *etiam contra mentem patris.* Sed hi non intellexerunt vim τοῦ *donare*, de qua diximus alibi. Hoc dicit, in tuam gratiam caret hereditate patris. Sic Decl. CCCLX: « Addat « donasse illam filio petitionem. » Hoc est, in gratiam filii non petisse, petitionem remisisse. Gron. Quem vid. Obs. III, 24.

Digitized by Google

tum est vestis et ornamentum? Matrimonia sunt ab ipsa rerum natura inventa: sic mares feminis junguntur, ut imbecillior sexus præsidium ex mutua societate sumat. Puta illam habere patrem, ad quem se recipiat: infamata est[1], nunc bis vidua est, mendico patre. Ergo maritum eripis, quem tandem maritum? quem tantopere dilexit, ut patri præferret. Potuit tibi controversiam facere de nuptiis juris sui, si ad ingratum reverti vellet: quid his objicis? Patrem, inquit, alit: accusas, quod miseretur: patrem ali non solum oportet, verum etiam necesse est. Sed me, inquit, perire voluit: ecquid ignoscitis, judices, si talem oderat, qui ante cognoverat[2]? nam hæc ignoravit. Perire voluit merito, rapueras: lex te occidebat, non hujus pater. Sed non defendo illum, qui non ad te venit. Peccavit: idem te non rogat, filiam rogat, te uxor: nempe hæc ei petit cibum seni, cui alieni porrigunt: nec multum est, quod detur, et hæc misericors est: sed expellis, et cum patre mendicare cogis, non es ingratus? ergo matrimonium eripis: quid? quod matrimonium? juris sui: poterat[3] injusti repudii agere:

1. *Infamata est.* Al. *infirma est:* marg. Ærod. — *Si ad ingratum. Si ad ingrati crimen.* Schult.

2. *Si talem oderat, qui ante cognoverat.* Sic et Thaddæus. Ærodius: *quem ante non cognoverat.* Sed sententia est. An non videtur vobis pater raptæ jure exosus fuisse hunc raptorem, et merito voluisse, ut rapta mortem optaret, qui sciebat, hunc tam pravo esse ingenio, quam nunc ostendit? Sequitur: *nam hæc ignoravit:* id est, huic tamen etiam ignoscendum raptæ: nesciebat enim tam mali moris maritum se optare. Ærodius: *nam hoc ignoravit:* et ad marginem: Supple, *a filia raptorem diligi.* Gron.

3. *Quid? quod matrimonium? juris sui poterat.* Non aliter Ærodius. Distinctiones omnem abolent sensum. Reforma: *Matrimonium eripis. Quid quod matrimonium juris sui?* Ut paulo ante: « Potuit tibi « controversiam facere de nuptiis « juris sui. » Tales erant, quas raptæ optaverant. Deinde: « Poterat « injusti repudii agere: vellet. » Hic aut addendum, aut intelligendum τὸ *si.* Solet enim non ineleganter sic dissimulari. Tantum abest, ut totum huc inculcari debeat e supe-

Digitized by Google

vellet. Inimicum, inquit, meum alebat: miraris? misericors est: et hoc [1] accusas? forsan non personam æstimavit, sed fortunam: est hoc vitium illius: nuper et raptoris miserita est. Sed quid tam valde iste peccavit, ut mori debeat? me, inquit, perire voluit. [2] Imitaris, quod arguis: ergo peccavit, idem facis; crudelitatem et accusas et imitaris. Sed ille merito; quippe raptorem: puta peccasse: satisfecit, rogat, miser est: hostes quoque parcunt: denique hæc meruit: hanc respice. Te quoque, inquit, abdicavit: relinque æstimationem ipsi doloris sui: sine ipsa vindicet[3]. Sed cur vindicet? merito abdicata est: te servaverat, meruit exsulare. Sed puta injuste abdicasse, pater est: non respicimus in ejusmodi fortuna, quid meruerit. Denique quid faciet mulier, quum ad januam[4] venerit? et quantulum est, quod præstat? quo nunc se misera conferet? cum patre nimirum mendicandum habet: facile tamen maritum inveniet: tantum ne impune læsa sit, solatium petit.

rioribus: *si ad ingratum reverti.* Gron. *Matrimonium? jure suo poterat*, etc. Schult. Distingue, *Quid? quod matrimonium? sui juris: poterat* sui juris, ut ante, *nuptias sui juris*, quia invito patre optaverat, et ita sui arbitrii et consilii erat hoc matrimonium, non patris, qui non elegerat generum. Male distinxit etiam Obrechtus. *Si vellet* mallem; nam hic durior illa ellipsis videtur, quam alias agnoscimus. Vide ad Ovid. Am. I, 4, 29. Burm.

1. *Hoc accusas. Et hoc accusas forsan. Non personam*, Ærodius.

2. *Imitaris. Imitaris: quid arguis ergo? peccavit*, marg. Ærod. — *Et accusas. Cr. ejus accusas: sed imitaris*, Ærod. — *Quippe raptorem. Quippe raptorem lex punit.* Ærod.

3. *Sine ipse vindicet.* Lege: *sine ipsa vindicet.* Rapta dolorem abdicationis. Gron. Ita Schult. et Obr. *Ipse se vindicet*, Ærod.

4. *Ad januam.* Al. *ad genua venerit;* supple, *pater*, marg. Ærod. — *Maritum inveniet.* Al. *mortem:* marg.

Digitized by Google

CCCLXIX.

Armis sepulcri victor.

SEPULCRI VIOLATI SIT ACTIO. Quidam arma de sepulcro viri fortis, suis consumptis, sustulit, victor reposuit: reus est violati sepulcri.

DECLAMATIO.

Potui inficiari[1], quod objicitur. Detracta arma dicis? nego: mentior? eamus in rem præsentem, annumerare volo: si quidquam defuerit, damnari volo. Sed non corrumpam gloriam meam, ut dissimulem, propter quod vir fortis honoratus sum: sed quid faciam? non licet mihi ista narrare: instat livor; et id, quo salvus est, odit. Sepulcrum, inquit, violasti: non, utcunque attingitur sepulcrum, violatur: alioqui nec inferre mortuos[2] liceret, nec collapsa reficere, nec ornare: aut si utcunque attingitur, violatur, bis ergo peccavi, et quum sustuli, et quum reposui: sed non ita est: et mens absolvitur. Sic Romani gloriose spoliarunt Jovem[3]: sic

1. *Potui inficiari.* Seneca lib. IV, Decl. 4, non ita quidem diserte. ÆROD. — *In rem præsentem.* Familiaris Livio, Ciceroni et JCtis formula. Vide ad Quint. Inst. IV, 2, 123; et Cl. Græv. ad Cicer. de Offic. I, 10. BURM.

2. *Nec inter mortuos.* Fortasse melius, *nec inferre mortuos.* PITH. Scribe: *nec inferre mortuos liceret.* GRON. *Nec inter mortuos licet collapsa reficere*, Ærod. *Nec orare*, marg. — *Bis ergo.* Francius corrigebat, *bis ego.* — *Sed non ita. Non ita est; sed mens aspicitur*, Ærod. Al. *observatur*, vel, *absolvitur:* marg.

3. *Spoliarunt Jovem.* Flor. II, 6; Liv. XXII, 57, qui *templis detracta* narrant; omnibus scilicet, non unius Jovis. Sed idem Livius lib. XXIV, 21, Syracusanos ex Olympii Jovis templo spolia Gallorum et Illyricorum detraxisse narrat: « Precantes « Jovem, ut volens propitiusque

Digitized by Google

Saguntini fecerunt parricidium. Si ergo mens in factis spectatur, meam inspicite : quare violo? inimici sepulcrum est; immo etiam commilitonis amici : credibile enim est similes propositis amicos fuisse. Deinde, ut etiam vivo nocere voluerim, mortuo tamen parcendum est : deinde, quo tempore? bello inter pericula odiis vacua. Sed quid sustuli? aurum credo, aut defossam pecuniam? arma : ista virtutis instrumenta, non sceleris sunt pretia, quibus præmia merui : nisi illa sustulissem, non accusasses; non haberes leges [1]. Sustuli, confiteor; sed publicæ salutis causa : miraris? ipsorum sepulcrorum ruina, si possem, hostem repellerem : tecta in subeuntes, et sacra, quin etiam templorum fastigia, desperantium tela sunt : certum est omnia licere pro patria. Denique vos interrogo, quid faciam? magna pars exercitus in me cessat : armati sunt interim etiam inertes, etiam mortui : solus nudus steti [2]. Quamquam quod quæro, habeo : sententiis vestris honorastis, et sciebatis his me armis vicisse; nec sane aliud dedissetis consilium, quam locus et tempus. Visus est mihi emergere tumulo vir fortis.

« præbeat sacra arma, pro patria, « pro deum delubris, pro libertate « se armantibus. » An ergo legendum *Syracusani?* Vide et de hoc more Lucan. I, 240. Burm. Sunt loci communes, ex ipsa materia velut sponte emergentes, quos et Seneca in promptu habuit et expressit, loc. cit. : « Pro republica « plerumque templa nudantur, et « in usum stipendii dona conflamus. » Ed.

1. *Non haberes leges.* Libertatem perdidisses. Vid. supr. ad Declam. CCLXVII, et alibi. — *Certum est omnia licere pro patria.* Senec. l. c. : « Quidquam non fit legitime pro « legibus? ». Ed.

2. *Nudus steti.* An, *stetissem?* Schult. Ærodius abjecit *steti.*

Digitized by Google

CCCLXX.

Rapta[1] *competitrix divitis filia.*

INSCRIPTI MALEFICII SIT ACTIO. QUI INGENUAM STUPRAVERIT, DET DECEM MILLIA. Pauperis et divitis filiæ petebant sacerdotium : rumor erat, pauperis filiam futuram sacerdotem. Eam parasitus sub diem comitiorum rapuit. Dives offert pro eo decem millia : inscripti maleficii reus est.

DECLAMATIO.

Non est, inquit, inscriptum ; quia certa lege comprehensum est : hoc diceret raptor, si cum illo agerem. Sed aliter mecum tibi consistendum est : rapere enim usitatum est ; subjicere raptorem, novum : nunquam hoc timuere majores.

CCCLXXI.

Viri fortis pater[2]*, reus proditionis.*

ABDICARE LICEAT. VIR FORTIS OPTET, QUOD VOLET. Qui proditionis patrem reum habebat, fortiter pugnavit. Rogante patre, ut optaret abolitionem suam, non optavit, sed in judicio reo affuit. Absolutus pater abdicat filium.

DECLAMATIO.

Quid peccavi, cur abdicer? num adversus patriam

1. *Rapta.* Vide Decl. CCLII, eodem argumento. En.

2. *Viri fortis pater.* Adde Decl. CCLXXXVII et CCCLXXV.

Digitized by Google

iners sum? luxuriæ deditus? bella fugio? an adversus patrem impius? reor[1]. In qua parte filii cessat officium? non optasti, inquit, quod volui. Jam excedis legem tuam : pater filio debes imperare, forti non potes : potes peregrinationem, potes militiam; sed non sententiam judici, non decretum[2] magistratui, non præmium forti. Quid enim lex ait? FORTIS OPTET : me nominat, et æquum est hoc mihi contingere : pugnavi. Cum quo mihi res est? cum patre : non est contumaciter agendum : ego vero etiam viri fortis optionem remitto, si æquum petis[3]. Quid petiisti? ut abolitionem optarem : memento non omnia, pater, nos posse petere : præmium accipimus, non regnum : nescis, quantum sit abolitionem petere, accusatori silentium indicere, reum eximere, leges tollere : nec pro te tenuissem[4], et præmium perdidissem. Sed cujus abolitionem? meam, inquit : animadvertitis quodammodo parricidii reum : agam potius causam : hoc præmium primum turpe est; deinde supervacuum; turpe : damnaberis tuo judicio[5] in per-

1. *Reor. Vereor.* SCHULT. *Id certe non vereor,* Ærodius, qui in margine *reor.* An quia verbo illo usus non esset Fabius, quod horridum appellat? sed nos ad Instit. VIII, 3, 26, de eo egimus. Forte, *non reor.*

2. *Non sententiam judicii, non decretum magistratus,* voluit auctor : *sed non sententiam judici, non decretum magistratui, non præmium forti.* GRON. *Judici* cum ed. Bip. prætulimus. ED. Ita et Obrecht. et Schult. ex Decl. CCLVII : « Ut « sententiam judices dicere veli- « mus, ut testimonium non ad ar- « bitrium parentum reddere, etc. » Ærod. habet *sententias.*

3. *Si æquum petis. Putas.* SCH.

4. *Tenuissem.* Vide supr. ad Decl. CCLXIII.

5. *Damnaberis tuo judicio.* Filius iisdem rationibus nititur, Declam. CCCLXXXVII, loco quem restituimus ex edit. Bip in cæteris edd. curtum et mutilum : « Nihil aliud « egissem quidem; et quid futurum « erat? si non impetrassem, dam- « nareris; si impetrassem, non ab- « solvereris. » Fabius autem patrem hæc refellentem inducit Declamat. CCCLXXV : « Sed turpis est, in- « quit, abolitio : quid ad te? ego « meæ conditionis arbiter sum. Sed, « inquit, supervacua erat : inno- « cens eras : quid autem? ego quia « nocens eram, petieram? Verebar

Digitized by Google

petuum : quanto gravius est a se damnari? tamen alii possunt dicere, gratia victi sumus : deinde supervacuum : innocens eras. At enim dubia est judicii fortuna ; sed nobis non timenda : diluendum judicium est : invidia tantum criminis[1] fiducia erat et in timore tuo. Itaque apparuerunt judicibus una omnia; et profuit tibi, quod abolitionem non optavi : apparuit certa innocentiæ fiducia. Ergo advocatum tuum abdicas, participem laboris? de me[2] facile est, inveniam patrem : sed tibi timeo; soles enim periclitari.

CCCLXXII.

Pulsator[3] *educatoris expositus.*

QUI PATREM PULSAVERIT, MANUS EI INCIDANTUR. TALIONIS SIT ACTIO. Quidam expositum sustulit, pro filio educavit. Pulsatus ab eo, tamquam pater, manus incidit. Agnitus est adolescens : advocato naturali patre, cum educatore agit talionis.

DECLAMATIO.

Sceleratissimus omnium, judices, juvenis, ingratus,

« fortunam judiciorum et exem- « pla. » Conferendæ sunt omnino inter se hæ Declamm. ED.

1. *Invidia tantum criminis.* Ærodius : *invidia tantum fuit : criminis fiducia.* Malim : *in invidia tantum criminis fiducia erat et in timore tuo.* GRON. *Diluenda in judicio est invidia tanti criminis. Fiducia*, etc. SCHULT. *Diluendum indicium et invidia tantum criminis, fiducia erat : et in timore tuo itaque apparuerunt judicibus sana omnia.* Obr.

2. *Laboris? de me. Laboris, periculi? facile et inveniam patrem, sed tibi. Timeo ; soles periclitari,* Ærod. qui in margine notat, licuisse ex Platone abdicatum sumere in adoptionem. — *Soles enim. Enim* non habet Ærod.

3. *Pulsator.* Vid. Decl. CCCLVIII, ubi filii partes aguntur in sermone.

Digitized by Google

vel quia lucem beneficio meo accepit; vel quia in patrem bis parricida est, semel domi, iterum in foro. Quam merito cruentas perdiderit manus, si quis adhuc dubitabit, adspiciat; iterum me in conspectu vestro pulsat; etiam truncus ac debilis, sola rabie integer, in miserum senem incurrit. Quid? si haberet manus? ac ne quis illum coercitum pœna putet, etiam audacior factus est: debilitatem meam concupiscit, et ei præcipue corporis parti irascitur, per quam vivit. Fateor, judices, fateor præcidendas[1] fuisse has manus, sed quum istum tollerent. Nec erubesco (quod ab isto minimum est) male audire, et crudelitatis quoque reus fieri · sane crudelem[2] me vocet, dum se ostendat: non timeo, ne istud in me crimen credibile sit, quum misericordiæ meæ adversarius ipse monumentum sit: nam quod pater parricidæ adest, non miror: debilem non timet; aliquando crudelior[3], quum exposuit. Neque enim dubito quibusdam illum somniis et prodigiis commotum, quia videlicet istum parricidio defungi utique in patrem fatale erat, ut se metu liberaret, projecisse. Ille[4] ergo

1. *Præcidendas. Non præcidendas*, Ærod. male; et mox, *istum colerent*. Ita apud Pomp. Melam, lib. I, cap. 8: « Ex uxoribus qui « nascuntur, quos pro suis colant, « formæ similitudine agnoscunt. » Ubi recte *tollant* repositum a Vossio.

2. *Sane crudelem*. V. c. *sane crudelitatem me vocet, dum ostendat*. Pith. Potius *ostendit*. Gronovius *Ostendat* rectum est: *dum* enim hic notat, dummodo aperiat ingenium suum. Vid. ad Declamat. XVII, 1. — *Monumentum sit*. Florus, lib. IV, cap. 12: « Ut victoriæ roma- « næ stans potius esset, quam in- « censa monumentum. » Schult.

3. *Aliquando crudelior*. Forte: *aliquanto crudelior*. Nisi malis: *At quanto crudelior, quum exposuit*. Gronov. *Aliquanto*. Schult. — *Istum parricidam*. Scribe, *parricidio*. Gron. Ita Obrecht. et hoc præ aliis conjecturis probat Schultingius, ex Justin. qui lib. I, 5, *defungi somnio*; et XII, 2, *oraculo* dicit.

4. *Ille ergo*. Malim, *ille ego*. Ovid. Met. I, 757: « Ille ego liber; « ille ferox; » et alibi sæpius. Sic, *ille tu*, de quo ad Petron. CXXVI; et *ego ille*, ad Calpur. Decl. XVII. Burmannus.

Digitized by Google

crudelis, judices, quem [1] solus iste carnificem vocat, accessi miti vultu; misertus sum : ad summam, alienus sustuli, quem projecerat pater; nec contentus, filii loco habui. Quid hac indulgentia, quid profecerim, quæritis? effeci, ne deesset, qui pulsaret senem : ille, quem præsidio sustuleram, ille, quem vindicem etiam adversus alienos speraveram, tam aperte pulsaverat, ut ne inficiari quidem posset. Stultus, eadem indulgentia etiamnum perseverabam, et quærentibus amicis, a quo essem pulsatus, mentiebar. Quid tu, inquiunt, exspectas, donec occidat? rapuerunt me in forum; ostenderunt verberati oris notas! iste fassus est : judex damnavit : carnifex manus abstulit : nihil in illo judicio meum, nisi fletus, fuit. Dum jactatur tota civitate [2] parricidium, invenit impietas originem suam : en, ut videtis, iterum pulsat : talionem, inquit, peto. Quid agis [3]? crudelitatis arguis? quem saltem pulsavi? misereri soleo etiam alienorum. Ego te, quum meus esses, debilitavi : num per vinum? num per furorem? num iratus? talio, injuriæ ultio est. In hoc scripta est lex, ne quis impune petulans sit. Hoc ergo dicis, me injuria abstulisse : lege incidi : nec ego, sed carnifex. Quidquid lege factum est, vindicari lege non [4] solet : et qua lege? QUI PATREM PULSAVERIT. Sed tu, inquit, pater non fuisti : puta [5] : judicia tamen judiciis rescindi non possunt.

1. *Quem solus iste. Quem scelus iste*, Obr. — *Alienus sustuli. Alienum s.* marg. Ærod.

2. *Dum jactatur tota civitate.* Ovid. Amor. III, 1, 21 : « Fabula, « nec sentis, tota jactaris in urbe. »

3. *Quid agis. Quid ais?* Ærod. Vid. ad Ovid. Amor. III, 9, 57.

4. *Quidquid lege factum est, vindicari lege non solet.* Sic Declam. CCCLVIII, qua idem tractatur, sermo incipit : « Hic adolescens jure « infirmus est : nam quod lege agi« tur, non solet vindicari lege. » Ed.

5. *Puta.* Scilicet id verum esse. Ærod.

Digitized by Google

SERMO.

Hic de sanctitate judiciorum.

DECLAMATIO.

Sera post damnationem innocentiæ defensio est : istud, quod nunc dixisti, ante dixisses : sed non potuisti dicere. Pater tuus eram, jure præsentis conditionis : abdicare itaque potui ; occidere potui ; omnem potestatem, tamquam in filium, exercere. Miraris? nec ille potuit contradicere, qui pater erat. Non eras, inquit, naturalis : tanto igitur plus merueram : alienum sustuleram, quum essent, qui suos projicerent. Sed ut non fuerim, tu tamen putasti patrem : lex autem mentem punit : ut scias verum esse hoc[1], impetravi. Sed tu, inquit, sciebas, non esse filium tuum : poteram quidem scire : sed meritis pater eram, sed tu tamquam patrem cecideras. Sed testor, nolui : expositum quoque collegeram : indignati sunt amici : ipse fassus est. Quid nunc facies? præcides manus, quæ te sustulerunt?

1. *Verum esse hoc. Verum esse : hoc impetravi*, Ærod. — *Meritis pater eram.* Vide Decl. CCLXXVIII. Schult. — *Expositum quoque. Expositum quandoque*, marg. Ærod. — *Collegeram.* Proprie : idem enim est quod *tollere*, *suscipere.* Ita in L. 1, Cod. Theod. de Expositis, « quicunque puerum vel puellam « projectam de domo patris vel do- « mini (ita distingue), voluntate « scientiaque collegerit. » Et ita sæpe eo titulo. Just. XXIV, 4 : « Par- « vulum recolligit. » Et ita mox sermone Declamationis CCCLXXVI. Burm.

Digitized by Google

CCCLXXIII.

Ornamentis redemptus.

ABDICARE LICEAT. SEPULCRI VIOLATI SIT ACTIO. Amissa uxore, et defossis in sepulcro ejus ornamentis, superduxit filio novercam pater, qui dein captus a piratis, de redemptione scripsit. Morante filio, uxor a sepulcro prioris uxoris eruit ornamenta, et misit. Ob hoc a privigno sepulcri violati accusata, et damnata est. Pater redit, et abdicat filium.

DECLAMATIO.

Antequam parricidium[1], inertiam objicio : non es peregrinatus, etiam me peregrinante : coactus sum tuas vices sustinere. Sed dices, non totam domum in periculum committi debuisse : remansisti, ut redimeres patrem captum ; deseruisti ; maximum crimen, immo parricidium : quantum in te fuit, occisus sum, et gravissimis quidem tormentis. Neque est, quod paupertatem excuses : impietas fuit : moraris : et quid facis[2]? ut sciam non otiosum, accusas. Hoc vacat? et quam accusas? uxorem meam : sepulcrum, inquit, violaverat : quid ad te? mea injuria est ; ego vindicabo : sed ne ego quidem debeo : recte violavit. Ut scias, inquit, peccasse,

1. *Antequam parricidium. Antequam parricidium objiciam, inertium objicio*, Ærod. — *Remansisti ut redimeres. Ne redimeres.* SCHULT. *Rem auxisti*, Ærod.

2. *Moraris : et quid facis? ut sciam occisum.* Ærodius : *Moraris : sed ad quid hoc facis? ut scias me interim a piratis occisum. Quid postea? sepulcri violati accusas : hoc adeone vacat.* Anceps et periculosa hæc corrigendi ratio. Fortasse : *Moraris : et quid facis, ut sciam te non otiosum? Accusas, hoc vacat?* GRON. *Ut sciam non otiosum*, Schult. et Obrecht.

Digitized by Google

damnata est: miraris, absente viro? Ego te, uxor, damnavi, optima feminarum: sed vindicabo.

CCCLXXIV.

Abdicatus heres ob tyrannicidium.

ABDICATUS DE PATERNIS BONIS NIHIL HABEAT [1]. Quidam hortatus est in tyrannicidium filium: nolentem abdicavit. Moriens scripsit heredem, qui tyrannum occidisset. Abdicatus occidit: petit bona.

DECLAMATIO.

ABDICATUS, inquit, NE QUID DE BONIS PATRIS CAPIAT.

1. *Abdicatus de paternis bonis nihil habeat.* Hujus legis meminit Quintilian. Institut. lib. III, cap. 3, Quid sit status, ad finem §. 95 sqq.: « Quoties, inquit, aliud alii peti- « tori opponitur, dissimiles esse « status necesse est, ut in illa con- « troversia, Testamenta legibus fac- « ta, rata sint. Intestatorum paren- « tum liberi heredes sint. Abdica- « tus ne quid de bonis patris capiat. « Nothus ante legitimum natus, le- « gitimus filius sit: post legitimum « natus, tantum civis. In adoptio- « nem dare liceat. In adoptionem « dato redire in familiam liceat, si « pater naturalis sine liberis decес- « serit. Qui ex duobus legitimis al- « terum in adoptionem dederat, « alterum abdicaverat, sustulit no- « thum: instituto herede abdicato, « decessit. Omnes tres de bonis « contendunt, etc. » Diserte et pau- cis hanc controversiam illic tractat, et adeo ex harum Declamationum more, genere loquendi, et modo, et ratione legum, thematis, et locorum seu argumentorum, ut facile has Quintiliani Declamationes esse quilibet affirmare audeat. Similis quoque est ille, V, 10, 111: « Quum « Thebas evertisset Alexander, in- « venit tabulas, quibus centum ta- « lenta mutuo Thessalis dedisse « Thebanos continebatur, etc. » Illa item controversia (quæ quasi ex hoc Declamationum volumine, si omnes haberemus, transcripta videretur) de rustico et diserto, lib. VII, cap. 3, et alia de eo, qui meretricem in matrimonium duxit, et ex ea natum abdicavit, lib. II, c. 1. Si ergo hos locos cum illis, et Quintilianum ipsum, cum aliis Declamatoribus comparaverimus, apparebit, et quam sit hic sui similis, et reliquos quam longe superarit et vicerit. ÆNOD.

Digitized by Google

Paterna hæc esse bona constat: abdicatum te esse æque patet: quæ ultra quæstio est? Heredem, inquit, scripsit tyrannicidam; ego autem tyrannum occidi: nihil refert, an aliquod jus postea acquisieris; filii perdidisti: lex enim, quæ abdicatis paterna bona negat, per omnia illos amovet: supervacuum namque erat, abdicatum summovere, qui alioqui perdiderat paternam domum. Igitur lex ista scripta [1] est, ne qua lege reverti in domum posset: licet ergo sis tyrannicida, non prodest tibi: nec ulla lex reducit, quem aliqua exclusit: et semper, judices, potentior lex est, quæ vetat, quam quæ permittit. NE QUID, inquit, EX BONIS CAPIAT. Hoc etiam in magistratuum potestate servatur: et plus potest, inquit [2], unus qui vetat, quam omnes qui jubent: in permittente enim, libera potestas; in vetante, pœna est. Deinde hæc lex publica est, ad omnes pertinet: testamentum privatum est; potentius est, quod in albo [3] lego, quam quod in testamento. Sed pater, inquit, voluit me esse heredem, et ideo tyrannicidam scripsit, quia sciebat me facturum tyrannicidium: falleris; te namque minime voluit; nam si voluisset, scripsisset, Filius meus, si fecerit tyrannicidium, heres mihi sit. Nunc autem apparet dolentem, iratumque scripsisse; et adoptare in locum filii tyrannicidam voluisse, quia in virtutem tyrannicidæ filium excitare non poterat: iratum timido

1. *Lex ista scripta. Lex ita scripta.* SCHULT. — *Licet ergo.* Ante hæc verba, legis verba, *ne quid ex bonis capiat*, ponebat Cl. Schulting.

2. *Plus potest inquit. Plus potest in his unus*, Obr. — *In permittente.* An *a permittente*, an, *in permittendo?* et mox, *in vetando.* SCHULT.

3. *In albo lego. In albo legitur,* Ærod. — Album autem, ut appareat ex Cic de Orat. II, nil erat, nisi tabula, ubi pontifices inscribebant res omnes gestas, et ideo leges, quam et populo spectandam præbebant. Erat etiam album tabula prætorum, in qua edicta de juris dicendi norma in posterum habenda inscribebant. ED.

Digitized by Google

fuisse[1]: abdicavit. Nunquam leviter excandescunt patres: et qua causa? quod tyrannum non occideras. Vides, quemadmodum inertiam exsecratus sit, ne judiciis quidem malis excitatam[2]. Tantum abdicavit? immo non reduxit; passus est exsulare; ne moriens quidem miseritus est; etiam testamento exheredavit, etiam alios adoptavit.

SERMO.

Ultimæ partes æquitatis.

DECLAMATIO.

Tamen, inquit, tyrannum occidi. Puta te meruisse: habes præmium a republica: illud, virtutis præmium debet esse, hoc, inertiæ supplicium. Sed quando occidisti? testamentum te[3] excitavit.

SERMO.

In ultimo tuenda mortuorum judicia: commendabimus judicibus testamenta: nullam autem majorem illi fieri posse injuriam, quam si hunc heredem habuerit.

1. *Iratum timido fuisse. I. t. fuisse patet. Abdicavit.* Schult. *Iratum tibi dico fuisse*, Ærod. et aliquid simile requirere videtur.

2. *Ne judiciis quidem malis excitatam.* Lege, *ne publicis quidem malis excitatam.* Gronov. Ita jam Ærod. et Obr. *Ne judicii quidem*, marg. Ærod. — *Miseritus. Misertus*, Ærod. *Interfectus*, marg.

3. *Testamentum te. Quum te testamentum excitavit*, Ærod.

Digitized by Google

CCCLXXV.

Fortis[1], *filius proditionis rei, frater desertoris.*

Proditionis reo patre, alter ex filiis deseruit, alter fortissime pugnavit. Rogavit pater, ut abolitionem suam optaret. Ille fratris impunitatem optavit: et in judicio affuit patri. Pater absolutus abdicat. Ille C. D.

DECLAMATIO.

Fateor, non possum lusus arguere, qui donari ætati possunt: non est luxuriosus, sed contumax: hæc minus ferenda sunt vitia. Dicas licet[2] fortissimum: quid mihi prodest, si magis patrem contemnis? Mea, inquit, lex est: quidquam tibi me vivo tuum est? Ego te in aciem misi, mea est virtus, mea lex, mea optio. Non iniquam rem postularem, si dicerem, Amicum reum vindica: quid si patrem, etiam innocentem[3]? urget conspiratio. Sed turpis est, inquit, abolitio: quid ad te? ego meæ conditionis arbiter sum. Sed, inquit, supervacua erat: innocens eras: quid autem[4]? ego, quia nocens eram, petieram? verebar fortunam judiciorum et exempla.

1. *Fortis.* Vid. Cur. Fortunat. Art. Rh. lib. I, p. 43; et Declamm. CCLXXXVII et CCCLXXXVII.

2. *Dicas licet. Dicas te licet*, Ær. — *Si magis patrem non temnis.* Ærodius: *patrem contemnis?* Forte: *si magis patrem hoste temnis.* Nam fortis viri est hostem temnere hactenus, ut eum non metuat. Gron. *Patrem contemnis*, Schult. Obr.

3. *Quid si patrem, etiam innocentem? Urget conspiratio.* Sic et Ærodius. Ut sensus appareat, distingue: *Non iniquam rem postularem, si dicerem, Amicum vindica: quid si patrem? Etiam innocentes urget conspiratio.* Gron. *Etiam innocentem, quem urget c.* Schult. *Patrem? etiam innocentem urget c.* Obrecht.

4. *Quid autem. Quid ad te? Ego quia innocens eram*, Ærod.

Digitized by Google

Sed fratris, inquit, salutem optavi: jam ergo noli dicere; Supervacua abolitio fuit: alium enim mihi prætulisti, et innocenti nocentem, reo damnatum, qui certo perire debebat. Si misereris tuorum, eos saltem adjuva, de quibus judex etiamnum dubitat. Quid ergo, inquit, periisset? si me interrogas, occupatus sum, non audio: si patriam, desertor est. Quædam, judices, comparatio minuit: per se crudele fuit, perire fratrem; sed comparatum mihi, tolerabile: quid ergo? ego periissem? Fratrem, inquit, servavi: itaque nunc frater[1] te abdicat: ille beneficii gratiam debet, ego peccati pœnam. Sed quid, si non pietati servisti, sed ut me occideres? quantum in te fuit, damnatus sum. Affui, inquit: alioqui abdicareris[2] tantum.

1. *Nunc frater.* Vet. Cod. *frater:* videtur leg. *pater.* PITH. *Nunc fratrem advoces,* Ærod. Forte, *Frater te alat.* — *Pietati servisti. Pietate servasti.* SCHULT.

2. *Alioqui abdicareris tantum.* Ærodius: *Affui, inquit, alioqui: abdicaveris tamen.* Rectius Pithœus. Sensus: si non affuisses, abdicareris tantum; non etiam responderes: nihil foret, cur recusares abdicari. GRON. *Alioqui non abdicareris tantum:* non solum bonis et domo, sed vita exturbareris. SCHULT.

Digitized by Google

CCCLXXVI.

Expositus[1] *juratus ob nuptias educatoris filiæ.*

Quidam moriens adolescenti, quem pro filio educaverat, indicaturum se veros parentes pollicitus est, si jurasset se filiam, quam relinquebat, ducturum uxorem: juravit adolescens: ille decessit[2]: post mortem educatoris, a naturali patre receptus, quia non vult orbam divitem ducere uxorem, abdicatur.

DECLAMATIO.

Abdicat tam cito? si non eram idoneus, non eram recipiendus: tam exiguo tempore quid peccare potui? etiam si quid peccavi, ignosce: nondum novi mores tuos: novitiis etiam servulis ignoscitur. Sed quid objicias? uxorem, inquit, non ducis, quam volo. Quid tum? nescis nostri arbitrii esse matrimonia[3]? affectus nostri vobis non serviunt[4]: non potes efficere imperio, ut vel

1. *Expositus.* Quintilianus, lib. VII, c. 1, 14: « Quædam in scholasticis controversiis ponuntur, ad « conjungendam modo actæ rei seriem: ut, pater, expositum qui « agnoverit, solutis alimentis recipiat. Minus dicto audientem filium « liceat abdicare. Qui expositum recepit, imperat ei nuptias locupletis propinqui: ille ducere vult « filiam pauperis educatoris. Lex « de expositis ad affectum pertinet: « judicium pendet ex lege abdicationis. » Ærod.

2. *Ille decessit.* Sup. pater educator: nam *duxit*, pro *dixit*, reponere omnino non possumus: quum ex sequentibus, et ex adducto illo a me Quintiliani loco, appareat, non id agi, ut ea, quæ jam ducta sit, repudiata, orbam divitem ducat: sed pater unam ducere filium jubet, vult filius alteram. Aut vero ita legendum est, *Ille dotem dixit:* quantacunque videlicet a paupere educatore dici potuit. Ulpianus tit. de dotibus, « Dos aut datur, aut « dicitur, aut promittitur, etc. » Cicero pro Flacco, « Quæcunque « sine tutore auctore dos dicta est, « nulla est. »

3. *Esse mat Non esse m.* Schult.

4. *Vobis non serviunt. Nobis n. s.* marg. Ærod.

Digitized by Google

amem[1] quem velis, vel oderim. Matrimonium vero tum perpetuum est, si mutua voluntate jungitur: quum ergo quæratur mihi uxor, socia tori, vitæ consors, in omne seculum mihi eligenda est: alioqui quid proficis invitum cogendo? repudiabo. At enim, inquit, lege cogeris orbam ducere[2]: quid? tu illius patronus es? sine me illi respondere: si potest, lege illa cogat: interim noli mihi patriam majestatem opponere. Sed nimirum non potest cogere, et ideo non cogit: alioqui forsitan illi responderem, non habere orbas privilegium, sed vacuis[3] in-

1. *Ut amem, quem velis.* Immo, *quam velis.* Gronov.

2. *At enim, inquit, lege cogeris orbam ducere.* Quintilianus, lib. VII, c. 4, 24: « Huic parti subjungit Virginius causas abdicationis, dementiæ, malæ tractationis, orbarum nuptias indicentium. » Lex fuit Athenis, qua utroque parente orbata, cui opima et opulenta successio evenerat, eam, ut ordinum dignitas familiarumque salva esset, proximus agnatus, aut cognatus ducere cogeretur: lex item altera, ut si qua indotata et egens orba esset, eam aut uxorem ducerent agnati et proximi, aut dotatam alii collocarent. Quem morem conqueritur Aristoteles Politic. lib. II, cap. 7, suis adeo temporibus vix observari, et orbam cuilibet jam, neque ex lege collocari. Gr. ἐπίκληρος καὶ ἐπικληρῖτις appellatur. Demosth. περὶ στεφάνου: « Ὁ νόμος κελεύει ἐπιδικασίαν εἶναι τῶν ἐπικλήρων ἀπασῶν καὶ ξένων καὶ ἀστῶν. » Et postea, « τῶν ἐπικλήρων ὅσαι τὸ θητικὸν τελοῦσιν, ἐὰν μὴ βούλωνται ἔχειν ὁ ἐγγύτατα γένους, ἐκδιδότω ἐπιδοὺς, etc. » Terent. in Phorm. I, 2, 75: « Lex est, « ut orbæ, qui sint genere proximi, « Eis nubant: et illos ducere eadem « hæc lex jubet. Ego te cognatum « dicam, et tibi scribam dicam, « etc. » Item, act. II, sc. 1, 65: « ...Verum si cognata est maxime Non « fuit necesse habere: sed id quod « lex jubet, Dotem daretis: quæ- « ret alium virum. Qua ratione inopem potius ducebat domum? G. « Non ratio, verum argentum de- « erat, etc. » Ex his apparet, cur Virginius has causas orbarum nuptias indicentium, *materias officiorum* appellaret. Hic vero juvenis abdicatus respondet, se ab orba illa divite cogi non posse, vel quia proxima non esset, nec generis ejusdem aut familiæ; vel quia, si orbæ id ex lege possunt, non tamen inter eas, una majus altera privilegium habet: hic vero utraque orba est, licet non ambæ divites: nec, si privilegium habent, eo adversus eum utuntur, qui jam alii mulieri pactus est, aliisque nuptiis occupatus, qualis hic est, fide jam maritus et sacramento. Ænod.

3. *Non habere orbas privilegium, sed vacuis.* Ærodius: *sed agnatis indicere.* Præclare *indicere.* Reliqua ita sunt concinnanda, ut aut delea-

Digitized by Google

dicere nuptias, non occupatis. Quid ergo, inquit, orbam non ducis? gaudeo, pater, quod misereri fortunæ potes: et hæc orba est, et hæc patrem perdidit: fortuna similis, indulgentia propior est. In eadem domo educati sumus: novi mores, probo verecundiam, probo genus: quid, si mihi a patre commendata est? quid, si rogatus sum? quid, si etiam juravi? vis me fidem non præstare? et cui? qui me sustulit, qui patrem egit, qui te mihi patrem dedit, quemadmodum rogavit. Non est quod dicas, Ego cogo: æque tamen pejero [1]: et quales futuræ nuptiæ, quæ perjurio junguntur?

SERMO.

Ultima comparatio puellarum; illam esse divitem, facile inventuram maritum; hanc, in totum destitutam, et nunc vere orbam, si eam hic quoque deserat: referendam esse gratiam expositos colligentibus.

tur particula negandi, aut pro *sed* scribatur *nisi*. Utroque enim modo constat sensus, qui requiritur. *Non habere orbas privilegium, nisi vacuis, indicere nuptias.* Et, *responderem, habere orbas privilegium, sed vacuis indicere nuptias, non occupatis.* Et hoc posterius magis placet. Fortasse et malis *indicendi.* Gron. *Responderem non; non habere orbas p. s. v. inducere,* Obr. Et *vacuis indici, nuptias, non occupatis,* Schult. *Inducere,* quod retinuit Obrechtus, minime admittendum. Ita enim Quint. lib. VII, 4, 39, ubi, *vindicare* antea malueram, sed nunc muto sententiam. Vide de verbo *indicere* Gronov. ad Senec. Œdip. I, 17. Burm.

1. *Pejero. Pejeravero,* Ærod.

Digitized by Google

CCCLXXVII.

Vocatus[1] *a patre in militiam, venenum terens.*

PARRICIDII SIT ACTIO. Pater filium in militiam vocavit: ille ornatus donis ad patrem rediit; adhibitis amicis petit a patre, ne se amplius mitteret: non impetravit. Iterum fortissime pugnavit: rediit: terens venenum à patre deprehensus est. Interrogatus, dixit se mori velle. Parricidii reus[2] est patri.

DECLAMATIO.

Parricidii reus sum: quædam crimina ipsa magnitudine fidem non impetrant: parricidium aliquando legem non habuit, nec immerito. Quis enim facile vinclis naturæ se exsolvat[3]? vos estis, qui nascentes excipitis: itaque ad tantum nefas, magna oportet serie parricida veniat, et per hominum deorumque contemptum, ad ultimum nefas conscendat. Quid hoc est, judices: maximum omnium reo crimen objicitur, et solum: non circumscriptus amicus: cessant etiam familiaria adolescentiæ crimina: et ne in scortis quidem reus male audio[4]. Plus fortasse quam putatis, judices, pollicebor: non quemlibet ex illis subselliis, sed accusatorem ipsum, lauda-

1. *Vocatus.* Huic corruptissimæ Declamationi junge Senec. lib. VII, Decl. 3; et Controv. III, 18. ÆROD. Vid. et Fabii Decl. XIX. — *Vocatus.* Vet. cod., *locatus.* PITH. Ita Ærod.

2. *Reus est patri. Reus est patre accusante*, Ærod.

3. *Exsolvat. Se exsolvat*, Ærod. Schult. Obr. et nos cum Bip. adv. Burm. et Hack. Franc. volebat, *vincla naturæ dissolvat*, vel *exsuat*, ut mox. Malim, *se solvat.* — *Ad ultimum nefas.* Vide volumen V nostri Quintiliani, pag. 8, not. 1. ED.

4. *In scortis quidem reus male audio.* Ita locutus et Macrob. Sat. II, 2: « Nam Plancus in Mævia « Galla nupta male audiebat. »

Digitized by Google

torem dabo : nunquam abdicavit. Quidni non abdicaret[1]? cujus non solum innocentiam, sed etiam virtutem cognoverat? Facinus indignum! inter speciosa militiæ opera, impietatis privatæ reus sum, sponsor salutis publicæ. Non sunt ejusdem pectoris vitia et virtutes : etiam pro alienis patribus dimicare soleo. Sed forsitan non solum puram, sed etiam speciosam innocentiam gravet[2] in parricidium causa : numquid abdicaveras, et exuere naturalem indulgentiam prior docueras? An etiam hereditatis cupiditate volebam te occidere? scilicet immensis luxuriæ oneratus damnis[3]. An infeliciter te jubente pugnaveram et inertiæ pœnam verebar? Immo, inquit, invitus militabas. Sic fit ergo, ut quisquis hostem timet, patrem occidat : ergo iners sum : atqui parricida non solum audax debet esse, sed etiam temerarius invitus[4]. Quid ergo? rogare non possum, ad preces[5] decurrere, non ad venena, iterum allegare

1. *Quidni non abdicaret.* Francius legebat, *Quid si non abdicaret.*

2. *Innocentiam gravet.* An, *migravit in p. causam*, id est, transtulit; ut Gell. II, 29. An *urgebat?* An, *puræ sed etiam speciosæ innocentiæ prægravaverit.* Sch. *Innoc. desideras. Gravis*, etc. Ærod. *Innocentiam urgeat in parricidia causa*, Obr. Ego mallem, *innocentiam trahat in p. causa.* Quod elegans, quia invita innocentia trahitur a gravi causa. Ita et apud Ovid. Met. VII, 19 : « Sed trahit invitam nova vis. » Ubi in plurimis codicibus est, *gravat;* unde videmus lapsum solemnem librariorum : potuit et excidisse vox, et scripsisse olim auctor, *gravis trahat in par. causa.* Burm. — *Docueras.* Al. *debueras.* Supp. ut causam parricidii haberes. Marg. Ær.

3. *Oneratus damnis.* Id est impensis, sumptibus. Vide Barth. ad Stat. Thebaid. VI, 82; et Menag. Amœn. Jur. cap. 39, unde *damnosus.* Terent. Heaut. V, 4, 11; et Suet. in Nerone, cap. 30, 1, ubi vide Grævium. Burm.

4. *Temerarius invitus. Temerarius, impius.* Schult. *Temerarius. Invitus militabam. Q. e. amplius rogare n. p.* Ærod. *Temerarius. Invitus : Quid ergo? rogare n. p. id est ad preces decurrere, n. a. v. iterum al. a. n. possum? sin denique perseveras m. n. p.* Obr. Forte, *temerarius, invictus.* Vide ad Val. Flac. I, 116, ubi similis permutatio, et ad Sil. Ital. IV, 679; et ad Calp. Decl. XXII. Burm.

5. *Ad preces decurrere, non ad venena.* Sic Pith. Nam Thadd. : *decur-*

Digitized by Google

amicos non possum? denique perseveras[1], mori non possum. Finge enim, qualem te velis esse; crudelem? et hunc judex[2] vindicabit : et propter hunc occidit filium. Sed melius ego de te judico : puto te omnia indulgenter imperare filio : avida est gloriæ paterna pietas : nostra tirocinia timidiora sunt : numquid offenderis, si te laudo[3]. Sed ne tali quidem patri parco : quemadmodum occidere volo? conducam percussorem? insidiabor peregrinanti? nihil horum est : meas manus inquino, et sic paro venenum, ut deprehendar? secreta sunt parricidarum scelera. Cur ergo, inquit, venenum habuisti? o miseram liberandæ adolescentiæ meæ sortem, et malis quoque ipsis tristiora remedia! Excusandum est, quod ne diluerem, mori volueram : et ultimæ cogitationes revocantur ad judicem : paullo[4] minus, quam post fata, arcessor reus. Sed ne fallam te, pater, respondebo verbis fortunæ meæ, respondebo quod soleo, id est, non alius reus, quam filius, mori volo. O quanto facilius tibi mortis causas, quam parricidii reddam? immo passim objectas et publicatas, tantum[5] non

rere non advena iterum. Ærodius : *non ad preces decurrere, non ad genua.* Scribe : *rogare non possum? ad preces decurrere non audeo? iterum allegare non possum.* Gr. Hor. Od. III, 29, 57 : « Non est meum, « si mugiat Africis Malus procellis, « ad miseras preces Decurrere. » Posset et legi, *non ad preces decurrere, non accidere ad genua :* et, *denique si perseveras, mori nunc possum.* Ut in fine Declam. « si per- « severas, venenum redde. » Burm.

1. *Perseveras. Si perseveras,* Ær. et Francius. — *Mori non possum. Mori possum,* Ærodius. *Mori non possum* cum interrogatione. Ed.

2. *Hunc judex. Hunc judex vindicabis. Mitem? et petes hunc occidi filium?* Ærod.

3. *Si te laudo.* Ostendit egregie se revereri patrem, dum metuit, ne laudando offendat. Vide Calpurn. Declam. XXX. Schult.

4. *Paullo minus.* Sueton. Tiber. « 26, 1 : Paullo minus quam privatum « egit. » Schult. Vide ibi Casaub. et supr. ad Decl. XII, 18. Burm. — *Verbis fortunæ meæ.* Hoc est, ut dixit Eumenes apud Just. XIV, 4, 4 : « Non miseros convicia decent. »

5. *Tantum non. Tantum nunc.*

Digitized by Google

transibo. Mori volui : quæris quare? quia natus sum ad miserias[1] hominum, incendia, naufragia, bella : felices, qui suo arbitrio moriuntur. Scipio[2], inquit, bene habet; puto quia ultra pugnaturus non erat. Cato num et ille peccavit? idem feci, quod Cato : ad quietem hoc iter est, et dulcis quædam ad securitatem via. Quare mori voluerim quæris? en; quia vivam[3] reus sum; quare mori volui : vides enim, ex voto adolescentiam egeram : nihil unquam me offendit : quamquam interim et secunda[4] ad usum meum faciunt, quidquid rogavi te, pater, etiam solus, exoravi. Pace majestatis tuæ dictum sit, non omnes tam fortes sumus, non omnes bella sustinere possumus : sed non quisquis occidere hostem non potest, continuo patrem potest. Varia sunt ingenia : alii otio delectantur : ego tecum volebam militare[5] : en parricidam! sub judicio tuo vivere volo, in hoc etiam ambitiosus apud te, pater, amicos adhibui. Sed post-

SCHULTINGIUS. *Tamen non*, Ærod.

1. *Natus ad miserias hominum.* Flor. I, 13 : « Gens nata ad hominum « interitum, urbium stragem. »

2. *Scipio.* Vid. Val. Max. lib. III, c. 2, 13. ÆROD.— *Bene habet. Scipio ille peccavit? qui transfixus, quærentibus ubinam esset imperator : imperator, inquit, bene se habet,* Ærod. Quæ intrusit ex Flor. IV, 2 : « Scipio, ubi esset, quodam requi- « rente, respondit hoc ipsum, bene « se habet imperator. » Ubi vide Freinshemium et alios. Idem fere Epaminondæ tribuitur dictum apud Justinum, lib. VI, cap. 8.

3. *En, quia vivam. Reus sum.* Scribe : *Quare mori voluerim, quæris? en! quia vivo, reus sum. Quare mori volui?* Neque enim fecerim cum Ærodio : *vivam. Reus sum : Quare? quia mori volui.* GRONOV. *Ne, quia vivam, reus sim.* SCHULT.

4. *Quamquam interim et secunda.* Hæc fœdissime sunt contaminata. Sensum video, verba an divinando assequi possim, haud scio : *Quare mori volui? Vides enim : ex voto adolescentiam egeram : nihil unquam me offendit : quidquid incepi, secundavit eventus : fecit, quidquid rogatus est, pater : etiam solus exoravi.* Perpetua ironia est. Omnia enim contraria evenerant : et ideo causas moriendi sibi fuisse significat. Τὸ *vides enim* illustravimus ad M. Senecæ Contr. XII. GRON. — *Rogavit te.* Sic Burmannus. Nos cum editione Bipontini, *rogavi te.* Hack. *rogavit et.* Male. ED.

5. *Ego tecum volebam militare.* Forte, *laborare.* GRON.

Digitized by Google

quam jussus sum[1], obsequendum est, inquam, patri, eamus in bellum : quid habeo quod pro me timeam, si de filio pater securus est? vidi alios sterni, alios fugari, universos exercitus cædi : dedi me[2] periculo; subjeci, tamquam vilis mihi, fortunæ : et ideo puto, miser vici. Tum vero in æstimatione periculorum ac vulnerum, Quid hic, inquam, nemo vincere potest, nisi mori voluerit? Redii in domum patris; nulla erat missio, ne post victoriam quidem. Si necesse est, moriamur, inquam, sed domi : ibi certe pater sepeliet; inter hæc tamen, paternam clementiam sperans, videat, inquam, pater, deprehendat; qui roganti non credidit, morienti credat : ipse me cum veneno obtuli, ut essem miserabilis. Sed, ut video, crudeliorem feci patrem : et nunc intelligo, filium perire voluisti, quum in aciem misisti : si perseveras, venenum redde : liceat meis instrumentis mori. Sed miserere heredis, miserere viri fortis : judicio impetrem, quod per amicos exorare non potui.

SERMO.

Hoc est difficillimum in hac controversia, quod in eadem conditione et parricidii, et mortis, est militiæ metus :

1. *Jussus.* Scil. in militiam ire. Æb.

2. *Exercitus cædi, dedi me periculo, subjeci.* Ærodius : *dedi me, me periculo subjeci.* Ego hic nihil moveo : sæpe enim exercitus integri in deditionem venerunt : sed sequentia non placent. Scribe : *me periculis objeci, tamquam vilissimæ fortunæ : et ideo, puto, miser vici.* Intellige : *tamquam vilissimæ fortunæ homo*, vel, *aliquis.* Gron. *Cædi. Dedi me periculo : subjeci, t. v. m. fortunæ*, Obr. Quæ maxime placet lectio : non enim *vilis mihi* mutatum volo, id est, qui vitam non magni facio, in cujus morte nulla jactura. Ita « viles animæ, » Virgil. XI, 372, ubi vid. Serv. « Vilia capita, » Liv. IX, 9; et XXV, 6. Decl. CCCLXXXVIII : « Mater non « recipiat, quem tam vilem habet. » Et ibidem, « vilitas sui. » Ita « gens « vilis mortis, » vel ut Salmasius malebat, *morti*, Flor. II, 6. Ut Lucan. IV, 506, « Morti faciles animas » dixit. Burm.

Digitized by Google

quem si inficiamur, non habuimus, cur ipsi vellemus mori: si fatemur, habuimus, cur patrem vellemus occidere: medio igitur temperamento opus est.

CCCLXXVIII.

Auctor pacis abdicandus.

Victa duobus præliis civitate, tertia instructa acie, pollicitus pacem adolescens, si permitteretur sibi cum duce hostium loqui: post discessum eorum, quia non indicat patri, abdicatur.

DECLAMATIO.

Non esse privilegium parentibus datum mentior: datam esse video liberis respondendi potestatem, et de abdicatione judicem cognoscere. Dico igitur certa esse, quæ imperent patres, navigationem, militiam; quædam excipi, senatoris, magistratus, judicis sententiam; et liberos esse, quia cives. Hanc vero novam legem; Silentium crimen esse. Quum abdicetur procacitatis petulantia[1]; sub hoc patre tacere non licet? Finge te quærere, quid amico deliberanti suaserim, extorquebis? quare judex reum damnaverim? quam rationem senator in sententia secutus sim? Isto modo levissimis quoque causis expellemur, et utcunque delicatis visum fuerit, testamenta perdemus. Abdicas: amavi? potavi? et fortasse ista donasti: tanti supplicii quod crimen est? Non indicas, inquit, quid locutus sis: finge nolle: licet: magistratus non exigit, patria non exigit; si proditio-

1. *Procacitatis petulantia.* Forte, *abdicetur, procacitatis postulatur*; et reliqua cum interrogatione. Ed. — *Suaserim, extorquebis. Suaserim; dicam? extorquebis quare*, etc. Schult.

Digitized by Google

rem putas, accusa. Sunt quædam[1] secreta, judices, et animi parentum imperiis vacant.

CCCLXXIX.

Dives a parasito sacrilego[2] *reus cædis.*

Pauper et dives inimici. Dives pauperem quodam tempore cum uxore occisum, adulterii crimine in publicum [3]abjecit. Postea dimissus ab eo parasitus in sacrilegio deprehensus, e lege tortus, inter alia dixit, a divite pauperem illum inimicum injuria occisum. Dives cædis reus est.

DECLAMATIO.

Reo cædis quid objicitur? petulantia, improbitas, cir-

1. *Sunt quædam. Sunt quadam secreta, judices, nec animi parentum imperiis parent.* Schult. Forte, *sunt quædam secreta, judices, et animi: nec parentum imperiis patent.* Animi vel mentis secreta non omnia debent prodi, ubi imperant parentes. Ita apud Lucan. IX, 691, pro « Sideribus Phœboque vacat. » In Codice Thuaneo legebatur, *patet.* Burm.

2. *Parasito sacrilego.* Burm. *sacrilegio*, errore, puto, operarum. Ed.

3. *Occisum, adulterii crimine in p. abjecit.* Nescio an hæc recte se habeant: ego in ultima syllaba τοῦ *occisum* latere præpositionem *sub* puto, et legendum, *occisum sub adulterii crimine i. p. a.* Suet. Neron. XXXV, 7: « Occidit sub crimine « adulteriorum. » Et Tacit. Hist. II, 26: « Quum fratrem ejus Julium « Frontonem Othoniani sub eodem « crimine vinxissent, » ex quibus olim Drakenborchio meo probavi, nihil apud Silium XIV, 288, mutandum. Ovid. Fast. VI, 643: « Hæc « æquata solo est, nullo sub crimi- « ne regni. » Ita et ille, quem Pindarum vocant, Epit. Iliad. vers. 38: « Aut si, quam ut luerem sub acer- « bo crimine pœnam, Inscius ad- « misi. » Juvenal. Sat. X, 69: « Sed « quo cecidit sub crimine? » Ita Declam. CCCLXXXV: « Reum sub « hac culpa esse. » Et ita alii: si cui vulgata placet, *crimine* capiat pro criminatione falsa. Ut apud Terent. Hecyr. V, 2, 13: « nam si compererit « crimini tua se falso uxor credi- « disse, » ubi apud Donatum legendum, « crimen proprie dicitur id « quod falsum est; » vulgo *factum* circumfertur. Vid. et Serv. ad Virg. Æneid. XI, 122. In quo loco Donatus a Lindenbrochio editus le-

Digitized by Google

cumscriptio? ista ne pauper quidem objecit: nec potuit latere anteacta vita sub ejusmodi inimico, quem usque eo vehementem dicitis, ut mea manu esset jugulandus. Sed inimicum occidi: quem? pauperem, qui nihil in curia, nihil in concione poterat. Inimici sunt ex [1] pari: sed puta inimicum fuisse, statim ad cædem confugiendum est? verborum contentiones armis finiuntur? etiam hostibus parcitur: Cæsar Catoni voluit ignoscere. Deinde mea manu occido: tam efferati animi sum? non venenum est, non percussor, et dives sum? Deinde cum uxore? ne illi quidem parco. Deinde quemadmodum rapio [2]? de publico: non clamat: non Quiritum fidem invocat: et tanti facinoris parasitum conscium advoco: et eumdem postea ejicio: non timeo indicem. Quemadmodum ergo, inquit, uxorem corrupit? alieni facti rationem a me exigis: quî scio, an hoc genere vindicare se voluerit, qui aliter non poterat? Pauper, inquit, fuit: quasi tantum pretiis mulieres corrumpantur, præsertim divites: immo illecebris et blanditiis magis capiuntur. Utique si quis domesticorum adjuvit, per parasitum factum: et ideo ejectus, ideo a nullo receptus, quod eum læsisset, a quo liberalissime exceptus est. At enim dixit parasitus. Primum unus testis est; deinde parasitus. Tortus dixit: eo minus credo; mentiuntur plerum-

git, « Semperque odiis, sed crimine « Drances infensus; » Ut esset sensus, semper odiis infensus, sed *crimine*, id est, falsa odia fingens et prætexens, ut falsas causas. Vide Munker. ad Hygin. fab. XIX. Burm.

1. *Ex pari.* Dictum, ut *ex æquo;* de quo ad Decl. CCLI. — *Statim ad cædem. Statimne a. c.* Ærod.

2. *Quemadmodum rapio?* Obrechtus distinguit, *quemadmodum? rapio te publico? non clamat? non Q. f. invocat?* etc. — Sensus hæc interrogationis signa tolli requirit: hæc intelligimus, ut sibimet interroganti *quemadmodum rapio?* respondeat sqq. *de publico:* etc. usque ad indicem: et suum agendi tenorem rationemque his denunciet. Non hebes tamen alter sensus. Ed.

Digitized by Google

que torti : deinde hic habuit mentiendi causam, quod expulsus est, quod sacrilegium propter inopiam admisit. Adstiti præsens ; inde ille exarsit validius, et fefellit ; hinc reus factus sum.

CCCLXXX.

Crux scripta[1] *servo non danti venenum.*

DE INJUSTO SUPPLICIO TRIBUNOS APPELLARE LICRAT. Æger a servo, cui libertatem scripserat, venenum petit : nolenti dare crucem scripsit. Heredes volunt supplicium sumere, servus appellat tribunos.

DECLAMATIO.

Testamento, inquit, cautum est : ideo tribuni cognoscunt, non utrum scriptum, sed quare scriptum sit. Crux scripta est : quare ? quid commisit ? anteactam vitam scrutemur : video, illi prius libertatem fuisse scriptam. Quid igitur tam subito peccavit ? numquid venenum dare domino voluit, quo citius libertate frueretur ? in contrarium incidi[2] ; non periclitaretur, si dedisset. Petenti, inquit, domino non dedit.

SERMO.

Quæstio an omnibus imperiis parendum, an ægro[3], an huic imperio : hic primum non debuisse ; deinde non potuisse parere : ultima supplicii figuratio, sub ejusmodi titulo.

1. *Crux scripta.* Vid. omnino ejusdem argumenti Declam. Senec. lib. III, 9. ED.

2. *Incidi. Incidit.* SCHULT. et ita Ærod.

3. *An ægro.* Forte, *an ægri ?* GRON. *An ægri etiam huic imperio.* SCHULT. — *Hic primum. Hinc primum*, Schult. — *Figuratio.* Vid. ad Decl. VI, 4.

Digitized by Google

CCCLXXXI.

Noverca[1] *torta filiam consciam dicens.*

VENEFICA TORQUEATUR, DONEC CONSCIOS INDICET. Quidam filio superduxit novercam, et ex illa aliam filiam suscepit. Amisso filio, ambiguis signis, uxorem ream fecit: confessa illa in tormentis commnnem filiam consciam dixit. Adest filiæ pater.

DECLAMATIO.

Ut sciatis, judices, nocentes tantum a me veneficii reos fieri, et hanc non immerito præteritam, profert a sinu[2] nutricis ream. Non peccant hi anni, ne in novercis quidem: parvulæ serpentes non nocent: feræ etiam mansuescunt. Persona, virgo est; causa, soror: quam valde a fratre dilecta est! quemadmodum mortuum flevit[3]! Sed mater, inquit, consciam[4] habuit: primum sceleratis naturale est, alienam conscientiam

1. *Noverca.* Vid. Senec. lib. IX, Decl. ult. et lib. IV, Controv. 29. ÆROD. Vide Calp. Flac. Decl. XII.

2. *Profert a sinu.* Vet. Cod. *proferre a sinu.* PITH. Lege: *profero.* GRON. *Proferte a sinu*, Obr. — *In novercis. In novercas*, volebat Francius: nihil opus: ita « in matre « peccas, » Senec. Herc. OEt. 1029. « In ancilla delinquere, » Ovidius, Amor. II, 8, 9, ubi plura dicemus. BURM. — *Feræ etiam mansuescunt.* Contra pars altera in Decl. Senec. IX, 6: « Quarumdam ferarum ca- « tuli cum rabie nascuntur: venena « a radicibus statim pestifera sunt. » At contra Controv. IV, 29: « Puel- « laris ætas non est idonea parrici- « dio. » ED. — *A fratre dilecta est.* Senec. Controv. IV, 29: « Non pro- « desset tibi, puella, ne hoc qui- « dem quod frater te amavit. » ED.

3. *Quemadmodum mortuum flevit.* Senec. ex Triario, loco citato: « Amissum fratrem flevit in fune- « re, etc. » ED.

4. *Sed mater, inquit, consciam habuit.* Corrige: *Sed mater inquit: consciam habui.* GRONOVIUS. Ita Schult. et Obr.

Digitized by Google

fugere : deinde si quærant[1], adjutores quærere : quod autem adjutorium in puella esse potuit? emit venenum, an confecit, ut fratri daret? Quid? ipsa privigno[2] non potuit dare?

SERMO.

Hic verba matris, appellantis filiam : illius, expavescentis[3] timorem.

DECLAMATIO.

Ego certe interrogavi : quid est, inquit, [4]venenum? cur ergo dixit consciam? ut me orbaret. Nihil dulcius est ultione læsæ : et prorsus non frustra hoc cogitavit : certe si non aliud, judicio patrem torquet.

1. *Si quærant.* Francius volebat, *si queant.*

2. *Ipsa privigno non potuit dare.* Senec. Controvers. IV, 29, ex Marillio : « Et hanc quisquam pu« tet, non potuisse venenum sine « conscia dare. » Ed.

3. *Illius expavescentis timorem. Timor,* Schultingius, et *illius* explicat *hujus*, ut mox Declamat. CCCLXXXIII : « Illud judicium vo« cari quæstionem, « pro *hoc.*

4. *Quid est, inquit, venenum? Inquit* non habet Ærod. — *Nihil dulcius est ultione.* Vid. Forner. Select. I, cap. 10. Almel. — *Si non aliud. Si non alio judicio, ut patrem torqueat,* Ærod. Vid. ad Decl. I, 9. — *Judicio patrem torquet. Indicio,* Schult. Obr. — Eodem sensu Senec. Declamat. IX, 6 : « Ego torqueri « cœpi, noverca torquere. » Et « Contr. IV, 29 : Similis facta tor« quenti est. » Ed.

Digitized by Google

CCCLXXXII.

Tyrannicida conductus[1].

CUJUS OPERA TYRANNUS OCCISUS FUERIT PRÆMIUM PETAT. Dives senex, adolescentem robustum in tyrannicidium pecunia data conduxit: occidit adolescens tyrannum: certant de præmio.

DECLAMATIO.

CUJUS[2] OPERA? inquit: operam puto laboris esse, prælii, armorum. Tu, quam dicis operam? consilii: atqui nemo, ut proposuit sibi tyrannicidium, continuo tyrannicida est: tuum ipsum consilium quid profuisset citra manum meam? Ergo operam lex desiderat: ideo tantum concedit præmium: atqui si hæc opera est, ego pugnavi. Sed ego, inquit, conduxi: puta, nempe conduxisti, ut tyrannicida essem, tamquam si conduxisses, ut gladiator, aut histrio essem; si conduxisses, ut hominem occiderem: nempe et ego tenerer. Non tua sponte tyrannicidium fecisti. Age, si hortatus esses in tyrannicidium, præmium peteres? sed tu me propter mercedem tuam putas tyrannicidium fecisse? tantum meritum mercenariæ operæ imputas? Non est humilis pectoris libertatem publicam capere[3]. Etenim si tua

1. *Tyrannicida conductus.* Vide Declamat. CCCXLV.

2. *Opera.* Ita in legibus, *cujus ope, consilio*, etc. l. 10, ff. ad L. Jul. Majest. 14, ad L. Jul. de adult.

3. *Libertatem publicam capere.* Id est, sentire, intelligere, quanti pretii sit libertas. Senec. Hercul. Furent. 412: « Hoc ipsum placet, « Animo ruinas quod capis magno « tuas. » Vide Heins. ad Ovid. Remed. 392; et Casaub. ad Spart.

Digitized by Google

merces movere me potuit, multo magis præmium movit: et ideo ad me venisti, quia intellexisti[1] a vultu cogitationem tyrannicidæ. Cur ergo, inquit, mercedem accepisti? non cupiditatis causa, sed pignoris: quia tentari me putavi, et te a tyranno summissum. Quid ergo, duo præmia feres? ideo tyrannicida sum: at tu[2], jam habes præmium, patrimonium, liberos, tyranni mortem desideratam.

CCCLXXXIII.

Rapta male tractata.

QUÆ VIRUM MALÆ TRACTATIONIS DAMNAVERIT, DUPLAM DOTEM RECIPIAT. SI INDOTATA NUPSERIT, LITEM ÆSTIMET. Rapta nuptias optavit, postea virum malæ tractationis damnavit: litem morte æstimat.

DECLAMATIO.

Nimio amore, et sollicita inquisitione hic [3]offendit uxorem. Venit illa in forum gratiosa: ne nos quidem obstitimus, quo minus vinceret, ut sciremus, quanti dotem æstimaret. Judices dixerunt: quid nos interce-

Æl. Ver. 4, ubi ex Juvenali adducit Sat. XI, 169: « Non capit has nu« gas humilis domus. » BURM

1. *Intellexisti a vultu.* Francius malebat, *e vultu*, et ita Ovid. loqui notaverat: puto respexisse ad Am. lib. I, 11, 18. — Decl. CCCXLV: « Ausus es committere tam pericu« losum alieno secretum: videras « vultum, etc. » ED.

2. *Sum, ut tu*, hæc ita edit. Hack. *Ego tyrannicida sum. At tu tria jam habes præmia.* SCHULT. et Obr. nisi quod ille, *at tu j. h. præmium*, Et sic habemus ex Bip. Fabius, Declamat. CCCXLV: « Illa quam « dederas, pecunia redimebas for« tunas, pecunias tuas, immo sa« lutem, etc. » ED.

3. *Hic offendit.* Al. *hic non offendit:* ut a sequentibus incipiat Declamatio, marg. Ærod.

Digitized by Google

dimus? optime ipsis conveniet : hæc tamen, ne sine causa in forum videatur venisse, ferat aliquid solatii : bene credimus illi ejus patrimonium, cujus capiti pepercit. Veneramus hilares ad æstimationem : at ista, quid mihi, inquit, cum pecunia est? mortem desidero : putat se, ut occideret, vicisse, quæ vicit, quia non occiderat. Obsequendum est tibi, adolescens : nihil in mulierem dicam ; sed patiaris causam tuam defendi. Dicimus pecuniarias lites esse : litigatorem esse, non reum, non qui de capite sortiatur : illud judicium, vocari quæstionem, quidlibet potius, quam litem. Æstimet, inquit : quam familiare, quam quotidianum verbum est! si quid commodatum non redditur, nota sunt verba postulantium, QUANTI ÆSTIMET : ergo pecuniarium verbum est : huic tu mortem putas subjici? Veneficus exsulat, alii scelerati mitius puniuntur : malæ tractationis damnatus occidetur? Mea inquit, æstimatio est : immo judicum : tua, in una lege est[1], quam habuisti : et lex ubi perire vult hominem, aperte significat : DESERTOR OCCIDATUR.

SERMO.

Ultimæ sunt preces, ut exoretur mulier.

DECLAMATIO.

Serves munus[2] : nam removeas licet secures, si ira-

1. *Tua in una lege est.* Malim, *tua, in bona lege est.* PITH. *Judicum, non tua*, Ærod. — *Significat, desertor occidatur.* An, *significat et diserte, ut occidatur.* SCHULT. Nihil muto, sunt verba ex alia lege, de desertore : vide similem legem Declamat. CCCXV.

2. *Serves munus.* Id est, me, qui sum tui muneris, quum me rapta optavisti. Ita Plancus Cicer. Epist. lib. X, 11 : « Quod reliquum est, « tuum munus tuere. » Liv. XLV, 11 : « Potentibus, ut suum munus « tueretur. » Calp. Decl. XLI, contra dixit, « fortunam ipsam suis

sceris, morietur alioqui. Putas illum dilaturum nuptias tuas: denuncio, iterum rapiet.

CCCLXXXIV.

Virgo immolata pestilentiæ.

In pestilentia[1] responsum est, virginem immolandam. Sorte ductam pater virginem negavit. Magistratus immolavit: non finiebatur pestilentia: iterum sortiti sunt: altera immolata est: sedata est pestilentia. Prioris patri magistratus reus cædis est.

COLORATÆ.

Sortem filiæ tuæ Deus inter virgines esse noluit: sed tamquam alienæ[2] turbæ exemit.

CCCLXXXV.

Lenoni[3] *reus, qui meretrici amatorium dedit.*

Damni injuria dati sit actio. Adolescens quum amaret ancillam meretricem, et multa ei donasset, amatorium ei dedit: videbatur amare ancilla adolescentem: agit leno cum eo damni injuria dati.

DECLAMATIO.

Si quis utramque partem inspexerit, intelliget pro-

« muneribus invidere: » ubi vide. In Ærodii editione erat, *senes munus*, quod non intelligo. Burm.

1. *In pestilentia.* Vid. ad Petron. cap. 1. Ærod. distinguit, *Virginem immolandam sorte ductam. Pater.*

2. *Alienæ.* Lege, *alienam*, vel explica, *alienæ turbæ*, nihil ad se pertinenti, ut sit magistratus oratio. Schult.

3. *Lenoni.* Vid. Quintil. lib. VII, cap. 9, 2. Ærod.

Digitized by Google

fecto, ex utra parte sit damnum : nam lenonis impudentiam satis admirari non possumus, qui non contentus in lupanari venditare ancillam, in foro venditat, quo plures amatores inveniat. Quod si aliquid valet amatorium, fateor, hic[1] bibit.

SERMO.

Rei gestæ ordinem cui necesse est exponere, in ejusmodi persona necesse est erubescere. Quæstiones illæ sunt, an leno damni injuria dati agere possit; an impune illi injuria fieri : an, quum suam injuriam non possit vindicare[2], mancipii possit : an si mancipii non potest, prostituti possit. Quid sit damnum datum esse : quum quis non habeat, quod ante possederit. Etiamnum, ut in [3]primo loco comparatio personarum, utrum credibilius sit, adolescentem intulisse damnum, an accepisse. Felicem esse ætatem, si servare possit sua : et lenonem circumscriptum quis crediderit?

DECLAMATIO.

Quamquam ut fecerim damnum[4], merito relata tibi talio est, propter quem damna omnes faciunt : leno est publicum damnum. Atqui tuam ancillam habes : malo, inquit, exemplo datum est : quidni ait civitatem stare non posse[5], quia meretrix amet. Amatorium, inquit, dedisti : damni agis, et veneficium objicis.

1. *Hic bibit.* Adolescens fraude lenonis. Schult. Al. *hæc :* marg. Ærod.

2. *Non possit vindicare. Non potest v.* Ærod. — *An si mancipii non potest, prostituti possit.* Potius, *prostitutæ.* Gron.

3. *Ut in primo. Ut primo loco sit comp.* Ærod. — *Ætatem si. Ætatem hanc, si servare.* Schult.

4. *Ut fecerim damnum. Ut dederim.* Schult. Vid. ad Calp. Decl. X. — *Propter quem. Propter damna sua omnes l.* Ærod. — *Atqui tuam. At quia non tuam a. habes, et malo, inquit, ex. d. e.* vel, *at quia tu meam anc. habes.* Schult.

5. *Quidni? ait civitatem stare non*

Digitized by Google

SERMO.

Hic an amatorium[1] effectum habeat: quid enim si deformis det, si debilis, si cæcus, si pro absente? numquid enim mandata medicamentum accipere? et illud prius. Quomodo animum mutet, quod corpori non noceat, per quod transit? et mutat animum, ut indulgentiam præcipiat, isto modo lenonem divitias in manu habere. Cur ergo, inquit, dedisti? multa miseros etiam sine ratione tentare. Huic, quum tristis esset, supervenisse anum: monstrasse: hunc, antequam[2] daret monstratam potionem, ne quid noceret, priorem bibisse: reum autem sub hac culpa esse, quod non tacuerit. Ultima figuratio, quemadmodum leno damnum æstimaturus sit: nimirum voluisse æstimare ancillam, et fortasse huic vendere. Supra etiam illud quæremus, unde intelligat amare ancillam: quod sæpius veniat. Hoc illam sæpe fecisse dicet: nempe amat[3]; sine illa non potest vivere: hoc est miseri juvenis amatorium. Et illo loco dicemus, non posse alium aliquando damnum sentire, qui nullo labore tantos quæstus faciat: invidendum illi, nisi leno esset.

posse. Sic et Ærodius. Atqui uno spiritu continuandum: *Quidni ait civitatem stare non posse, quia meretrix amet.* Non enim hoc dixit leno; sed adversarius illudens, parum abesse ait, quin dicat. Gron. *Quid ni? At civitatem stare n. p., si qua meretrix amet.* Schult. *Quid ni? ais civitatem,* Ærod. — *Venefícium. Damni materiam et venefícium obj.* Ærod. Aliud hoc debebat esse judicium, et quæstio. Schult.

1. *Hic an amatorium. Hic quem am. poculum eff. h.* Ærod. — *Mandata. Mandatum m. acciperet? illud prius,* Ærod.

2. *Hunc antequam. Hanc, anteq.* Ærod. — *Nimirum voluisse. Illum* interserit unus Bip. Ed.

3. *Nempe amat.* Al. *nempe illam amat juvenis: sine:* marg. Ærod. — *Sine illa non potest vivere.* Lege, *sine illo:* nempe adolescente: nam de meretrice loquitur. Gron.

Digitized by Google

CCCLXXXVI.

Iphicrates cum gladio.

Reus est Iphicrates, quod vim judicio[1] fecerit, quum Cotyn Thracum regem in id adduxisset, et gladio cinctus ipse venisset.

DECLAMATIO.

Non tulimus tabellas, sed fugientes projecimus : non judices reum absolverunt, sed reus judices. Quid est vis? hæc fit alias patientia[2], alias metu, quorum alterum ad corpus, alterum ad animum pertinet. Si male judicatum est, fuit aliquid, quod judex timeret. Hoc sic probo, qualis in judicium venis? Ego illum habitum reorum noveram[3] : ad summam, id solent rei a judicibus petere, quod nuper judices petiere a reo, ut sibi parceret.

SERMO.

Reus dicit[4]. Non, inquit, hoc animo feci, ut vim facerem; ideo, inquit, gladium retuli, ut illo me, si innocens oppressus essem, interficerem.

1. *Vim judicio. Vim in judicio*, Ærod. Ita Senec. « Lex : qui vim in « judicio fecerit. » Ed. — *Thracum.* Vide Senec. Excerpt. Contr. lib. VI, Contr. 5. Ærod.

2. *Patientia. Potentia*, Obr. — *Quod judex timeret.* Senec. loc. cit. : « Nemo judicum tuorum non timuit « sic, tamquam de illis judicaturus « esses. » Ed. — *Sic probo. Sic probo, quod talis.* Schult.

3. *Noveram. Non noveram.* Sch. Ita et Ærod.

4. *Reus dicit. Reus dicet*, Ærod. — *Non, inquit. Non, inquam*, Francius legebat. — *Gladium retuli.* Lege, *attuli.* Gron. *Mecum tuli.* Schult. — *Interficerem.* Senec. loc. cit. : « Quum judices sententias « suas ferrent, strinxi gladium, ut « occiderem me, si damnatus es- « sem. » Ed.

Digitized by Google

CCCLXXXVII.

Fortis abdicans servatum.

Desertorem filium[1], cujus desertoris salutem ipse fortis optaverat, abdicat.

DECLAMATIO.

Duas leges habui, viri fortis, et patris: viri fortis legem transtuli in patrem; patris, in virum fortem.

CCCLXXXVIII.

Avia[2] *testis.*

Qui habebat matrem, duxit uxorem, ex qua natum filium, aviæ nutriendum dedit. Moriens heredem filium fecit: substituit uxorem[3]: dispensatorem suum manumitti jussit. Puer reductus ad matrem, et ab ea in fundo maritimo, visis piratis, relictus, non comparuit. Post paucos dies cadaver confusis lineamentis, quod filius putaretur, in idem litus ejectum, mater ductis sepelivit exsequiis. Dispensator manumissus ab ea post aliquot annos negotiatum profectus, adolescentem, quem dominum diceret, apud venalitiarium repertum, judicio asserens, evicit: cum eo revertit in patriam. Puerum agnoscit avia: negat suum mater.

DECLAMATIO.

Causam, judices, probatam peregre, probatam do-

1. *Desertorem filium. Servatum desertorem filium* marg. Ærod. — *Desertoris salutem. Desertoris servari vitam ipse*, Ærod.

2. *Avia.* Hæc Declamatio jam edita cum Quintiliani Institutionibus, et XIX majoribus Declamationibus, Basil. 1548, in-8. Almel.

3. *Substituit uxorem.* Id est, instituit uxorem heredem sub filio

Digitized by Google

mi, propinquis, domesticis, libertis, aviæ (facinus indignum!) matri tantum probare non possumus, usque eo se libenter credit orbatam [1], ut suos, non nisi mortuos, agnoscat. Quod si antea ignotum fuit, quantum pecuniæ cupiditas possit, victrix etiam de natura triumphat. Mulier modo cadaver, tamquam filium, complexa, nunc filium, tamquam cadaver, fugit. Quæ funus suum tantum sibi credidit, gratulationem nemini credidit, infelicem puerum sola non agnoscit ex propinquis: causam quæritis? quia vivit.

NARRATIO.

Habuimus adolescentem optimum propinquum, mitissimum patronum, fidelissimum amicum; maritum vero nimium quoque uxorium; quod ignovimus. Filium sustulerat: puer continuo ad aviam translatus est. Scilicet ab illa [2] matris indulgentia occupata est, et hæc ablatum non indignata est: toto illi corpore innotuit: non tamen ulteriorem aviæ notitiam profiteor, nepotem suum optime facie novit. Moriens igitur propinquus noster, testamentum scripsit breve et simplex [3]: nam neque diu de primo herede cogitandum fuit, habenti filium; nec de secundo, habenti uxorem. Nec sane invidimus isti honorata [4] viri judicia, quibus utinam gratiam referret! neque avia captare testamentum ejus fas

mortuo. Vid. Cicer. in Brut. et pro Cæcina. Ed. — *Cadaver confusis lineamentis, quod filius putaretur.* Omnino *filii*. Gron. Retinet *filius* Schultingius, ut paulo post, *cadaver, tamquam filium, complexa.*

1. *Credit orbatam. Credidit orbatam* Ærod.

2. *Ab illa. Ad alia matris indulgentia occupata hæc hunc ablatum non indignata est.* Schult.. — *Toto illi corpore. Toto illi* (sc. matri) *corpore non innotuit: hanc tamen.* Schult.

3. *Et simplex.* Nam vulgariter tantum filio substituerat. Ærod.

4. *Honorata. Honorantia.* Scr. Vid. ad Declamat. CCLXI.

Digitized by Google

putavit, cui destinaverat suum. Hæc est nostra narratio: ista narret suos piratas: non insequar eam malignis suspicionibus, nisi quod suos libentius mortuos agnoscit. Habetis narrationem pueri, habetis et matris[1], audite liberti. Interposito tempore, libertus notæ probitatis (deorum credo numine, quod rebus humanis, etiam qua non apparet, intervenit) peregre negotiandi causa profectus est; quum forte videt puerum venalibus interpositum, simul et agnovit, et agnitus est. Quis, inquit, vobis narravit, in quas terras delatus essem? num avia vivit? itaque habuit puer assertorem, assertor sponsorem, peregrinus advocatos, quum ipse vultus causam ingenuitatis suæ ageret[2]: filium istius, quid aliud dicam, quam agnoverunt? nec mirum: nihil erat confusum. Fateor multum absentium quoque profuisse nomina, quum diceremus, Habet matrem, habet aviam. In una re, judices, mentiti sumus: affirmavimus enim futurum, ut hunc mater agnosceret.

ARGUMENTA.

Bona paterna filio peto: sed ego, inquit, heres sum. Sed hic[3] prior heres. Periit, inquit: quando? apud aviam valuerat, ad mortem arcessitus[4] est? diutius captivi apud piratas vivunt. Visis, inquit, piratis, relictus, fluctibus obrutus est: quid ais, relictus? ulli metus filii memoriam tibi excutiunt? matrem non agnosco. Quædam animalia ipso ore in periculis catulos suos trans-

1. *Habetis et matris. Habebitis*, marg. Ærod. — *Etiam qua non apparet.* Francius malebat, *etiam quum non apparet.*

2. *Vultus causam ageret.* Simili fere modo, licet in alia re, Lucan. lib. X, vs. 105: « Vultus adest prece cibus, faciesque incesta perorat. »

3. *Sed hic prior heres. Sed hæc pr. he.* marg. Ær.

4. *Ad mortem arcessitus.* Alii, *ad matrem:* ut inde incipiat matris narratio, his verbis interrupta, *Diutius*, etc. Ærod.

Digitized by Google

ferunt : novasque illis indulgentia manus commenta est : noxios alioqui morsus, huic uni officio mitigant. Nidulorum, si infestantur, crebra mutatio est : nec quidquam usque eo ferum est, ut non cum progenie sua migret : adeo illis, quibus omnium rerum intellectus negatus est, hic tamen affectus relinquitur! Romani generis auctor, divisis inter patrem et filium pietatis officiis, quum utrumque ad fugiendum anni deficerent, alterum tulit, alterum traxit : Mater[1], disce fugere. Puto non miramini, cur mater non recipiat, quem tam vilem habet, ut tamquam cadaver relinquat. Primus, inquit, heres periit : nisi fallor, judices, in hoc controversia est, utrum fluctibus submersus sit puer, an a piratis raptus sit. Si doceo non periisse, nimirum raptus est : si raptum ostendo, doceo etiam vivere[2] : si vivit, nimirum hic est, quem invenit libertus, evicit assertor, judex remisit, avia recepit. Verum, ut propositum ordinem sequar, nego in mari periisse. Litus amœnitate notum, nunquam elato alluitur mari, sed molliter devexum, æquali planitie, paullatim superveniente pelago, subsedit[3] : longo spatio ingredientem fatigat, antequam destituat. Porro, tu tranquillo mari, an æstuante, progressa es? credibilius scilicet ad hæc oblectamenta lætiores eligimus dies : horridus[4] vero decidentium[5] undarum fragor, et exæstuantis fluctus mi-

1. *Mater, disce fugere.* An, *mater discedens? fugiet?* SCHULT.

2. *Doceo etiam vivere.* Francius, *dico etiamnum vivere.*

3. *Subsedit. Subsidit*, Schultingius et Francius.

4. *Horridus vero. Horridus enim vero desidentium.* SCHULT.

5. *Decidentium.* Alii, *decidenti die;* et paulo post, *occasio est.* PITH. An, *horridus vero, decedente die, undarum fragor,* etc. Ut Virg. Georg. IV, 466 : « Te veniente die, te decedente canebat. » Auget vero vespera et nox horrorem : *desidere* undæ dicuntur in vorticibus, ut in freto siculo, Just. IV, 1, 10 : « Undas « in imum *desidere* vides. » BURM.

Digitized by Google

nax facies, et[1] tibi opportuna secundum ipsa habitanti litora, non[2] rapienda, sed exspectanda obsessio est: ita habitas, ut tibi etiam tranquillitates eligere fastidiose liceat. Sane tamen adversis tempestatibus, et sævientibus se undis offerre libuerit: ne hoc quidem periculosum: venientis enim fluctus, et consurgentis freti facies ante terret, quam decipit. Utinam quidem ejusmodi tempestatibus productus esses, puer! tu potius matrem reliquisses[3]. Denique quo tempore submersus? dum applicant piratæ, an ante? necdum scis? tam secura es? hoc matri non credo. Cur enim nemo ex pædagogis vidit? si vidit, cur laboranti auxilium non tulit? Dum applicant, necesse est utique tunc fluctus vitaverit, et ipse quoque piratas fugerit. An vero eodem tempore et pirata applicat, et fluctus prædatur? rogo vos, qui ante adventum tutus fuit, adventu piratæ periit? Cur ergo, inquit[4], nemo clamantem audiit? primum vicinus undarum sævientium fragor audientium auribus minorem excludebat sonum, deinde in tanto tumultu fugientium, præteriisse vocem non mirum est. Quid ita non auditus est? ne quæso, infelici puero vilitatem sui imputaverit, quod relictus[5], quod desertus est. Cur non audisti? longius fugeras: sed post paucos dies, corpus expulsum

1. *Facies, et tibi. Facies. Sed tibi opportunitas secundum ipsa habitanti litora, non rapienda, sed exspectanda processio;* vel *progressio:* an, *egressio*, an, *occasio?* Schult.

2. *Non rapienda, sed exspectanda obsessio est.* Alii apud Ærodium, *insessio.* Forte, *oblectatio.* Gron. *Occasio*, Obr. *Possessio*, ed. al.

3. *Tu potius patrem reliquisses.* Supple, *quam matrem*, inquit Ærodius. Immo lege, *matrem:* et supple, *quam illa te.* Tu conterritus tempestate citius illam reliquisses, quam illa te, ut rapereris a piratis. Gron. *Matrem*, Schult. Obr. — *Dum applicant. An dum app.* Er.

4. *Cur ergo inquit. Quum ergo interiit? nemo.* Schult. — *Excludebat sonum.* Val. Flac. I, 319: « Obruat Idæam quantum tuba mar« tia buxum. »

5. *Quod relictus. Imputaveris, qui relictus, qui desertus est.* Scn.

Digitized by Google

est: quid mirum, ubi piratæ vagantur? Quid tu porro, impune sæpe maria[1] trajici putas? non minus possum dicere alienum fuisse, quam tuum filium: signa confusa sunt: immo credibilius est, naufragi fuisse (litus enim amœnum, non infestos scopulos habet) utique post paucos dies, quum dicas expulsum: illum vero longo tempore non expulsum, sed advolutum. Quomodo autem potuit confusa facie agnosci? Ætas, inquit, conveniebat: hoc inter argumenta mea minimum est[2]; statura: hoc in actione loci. Quare ergo mater sepelivit? nescio: hoc unum dico, non potuerat agnosci: festinavit in bona.

SERMO.

Summovimus peregrinum cadaver: restat ut inducamus filium.

DECLAMATIO.

Primus, inquit, heres sepultus est: hic ergo quis est? unde? qua fiducia? Ætas eadem est: quid? si solet quidem hoc argumentum apud te valere? sed cur ex æqualibus nemo alius hanc spem vindicat? hoc argumentum transeo: statura suffragatur: nec hoc me movet: et tu hæc dicis. Sed hæc valeant, ubi confusus est vultus, ubi lineamenta oris, oculorum, et coloris proprietas, capillorumque habitus, omnia staturæ levia[3]. At similitudo

1. *Sæpe maria. Semper.* Schult. — *Quam tuum filium. Quam tu tuum f.* Ærod. — *Non infestos. Etiam*, vel, *tamen, infestos.* Sch.

2. *Minimum est. Minimum est, statura: hoc in actione, ut locus:* ut argumentum, quod nihili est. Schult. *Hoc inane hic loci*, Obr. *Hoc in actione jocus:* id est, non est serium apud judicem argumentum, sed ludus et jocus. — *In bono.* Malim: *in bona.* Pith. Delr. ad Senec. Medeam 276, legit, *non poterat agnosci. Festinavit; cui bono?* quod debet Ærodio.

3. *Staturæ levia.* An, *plena?* Sch.

Digitized by Google

fecit illi animum : age, quid si ancilla cognoscit? Est quidem humilis persona, et ei fortuna gravitatem detrahit : sed sæpe magnorum fides ex magnis [1] venit? quid si frugi, probata domino? sunt etiam in his morum discrimina. Quid (ad fontem causæ per gradus venio)? libertus paternus agnoscit : frugi servos, libertos facimus. Sortimur genus, non eligimus : nec ante nos nostri arbitrii sumus. Et nescio an majus sit facere genus : libertus viri tui, mulier, cujus judiciis gloriaris, qui te filio substituit, hunc etiam a filio manumisit : quod tibi dedit, nulli abstulit : quod huic, etiam filio subduxit. Facilius est viro placere, quam domino. Sed per se [2] mentitus, agnoscit patronum. Servitutem sibi manumissus imponit? huic, inquit, debeo manus, operas, testamentum. Vindictam magno redimere solent. Colludit, inquit, cum avia : bene agis : dum evertere vis testem, alterum dedisti. Convenit, inquit, illis : proba convenisse. Speraverunt effectum mendacii [3]. Quî potuit esse sermo? nepos meus periit fluctibus, et sepultus est : tu tamen vade, aliquem venalem adduc, ego agnoscam : perfectum est. Non timent deprehendi? non : omnia [4] signa confusa sunt : si odit, testamentum potius dementiæ accuset; dicat subjectum, dicat falsum, accuset te, quod filium ad mare duxeris : dicat,

Francius conjiciebat, *omina staturæ levia. Omnia statuere levia.* Ær. qui in margine legit, *hæc omnia statuite levia.*

1. *Fides ex magnis venit.* Videtur potius legendum, *ex parvis.* Pith. *Ex indignis,* Obr. *Ex non magnis,* Ærod. et Schult. — Nihil mutamus, addito tamen interrogationis signo. Ed. — *Sunt etiam.* Francius conjiciebat, *sunt enim et in his.*

2. *Per se.* Al. *pro se :* marg. Ær. — *Colludit inquit. Inquit* deest Ærodio.

3. *Speraverunt effectum mendacii.* Lege : *speraverint.* Sit ita, concedo, potuerit illis hæc spes innasci. Gronov.

4. *Deprehendi non omnia. Deprehendi? non : omnia signa confusa sunt,* Obr. *Non o. signa confessa sunt?* Schult.

Digitized by Google

tua culpa periisse. Quare deinde tam sero, post [1] annos consilium initum est ejusmodi? res inter initia urunt, et livor mora solvitur. Sed ad hoc proficiscitur, qua ratione alienum servum evincit: modo dicebam, libertum habeo; at jam præjudicium habeo: si testis honestior juraverit, conficitur controversia. At ego multos judices juratos dabo: causa cognita, excussa et absoluta est. Nego solvenda esse judicia: hunc esse puerum, inventi sunt, qui jurarent. Peregre, inquit: illic dicis, ubi non gratia, ubi contra hæc omnia nuda veritas stabat [2]: hoc meum argumentum est. Quid? quod non tantum judicatum, sed etiam peregre judicatum est, ubi non propinqui, ubi vix quisquam erat, qui patrem hujus noscet? At hercules, quale domi judicium est? ibi solus libertus vicit: hic et avia defendit. Dedit, inquit, libertus pecuniam venalitiario, ut prævaricaretur: sane nec avia libertum timuerit, nec libertus venalitiarium. Proba libertum habuisse pecuniam, tulisse, dedisse: necesse est multum venalitiarius poposcerit: æstimavit enim non rem suam, sēd spem nostram. Age deinde, non timet libertus, ne ille qui puerum vendidit, tibi vendat [3] indicium? ne veniat, ne scribat? si corruptum judicium non probas, vici. Agnoscit avia, quæ majorem temporum partem hujus oblectatione consumpsit: filius

1. *Post annos. Post tot annos*, Schult. Obrecht. dubito an necessarium: est enim idem *post annos*, quod *post aliquot annos*: ut apud Just. XLIV, 4, 3: « Post dies ad cor« pus expositi requirendum misit. » Et lib. XX, 5, 4: « Qui ante menses « Romam incenderant. » Et alii sæpissime. Vid. ad Quint. Instit. XI, 2, 17. Ita « post tempus » supr. Decl. CCLXXXIX.

2. *Stabat*. Lege, *contra hæc omnia nuda veritas dabat*. Ut Sueton. Claud. XV, §. 4: « Dare secundum præsentes. » Schult. Nihil mutandum censeo: *stare* enim est patrocinari, ut omnibus notum.

3. *Ubi vendat*. Lege, *tibi vendat*. Pith. Ærodius: *ibi*; sed scribendum, *tibi*. A te pecunia accepta omnem mimum detegat. Gron. *Tibi* etiam Obrecht.

Digitized by Google

meus, inquit, in hac ætate talis fuit. Digna est testis notitia[1], de nepote dicit causam: nullum testamentum eaptat, etiam suum pignoratur. Sero hoc placuit: hoc et tuum argumentum est: filium sustulit: pudicæ argumentum est, hunc curiose educavit, in nullum litus duxit. Sed filius illam notavit: si merito, hujus crimen; si immerito, illius. Dic quare? immo noli mortuum illius criminari filium: non queritur: sed sperat pecuniam: primum ejus ætatis est[2], ut debeat contemnere. Odit me, inquit: quam habet injuriam tuam? nihil queritur; nisi quod filium tuum in litus duxisti: ideo perierat: nimirum oscula sua[3] venalitiarius inquinat. Non debeo, inquit, videri invita filium agnoscere: mater sum: in multis, nihil matris ultra titulum est: nec novercæ omnes.

SERMO.

In matrem et illa Cicero[4] dixit: Mater enim a me, tametsi in hunc hostili odio, et crudelitate est, mater, inquam, appellabitur. Sub hoc tamen titulo insidiatam filio dicit quæsisse pericula, ut filii sui bona sector possideret.

DECLAMATIO.

Nihil quidem ultra hæc timendum fuit: et supra fidem læsus est: gratulari tamen tibi inter calamitates tuas,

1. *Testis notitia.* An, *testis: nutrito de nepote dicit causam.* Schult. *Testis: notitia de nepote dicit* (*dici* marg.) *causam*, Ærod. *Testis notitia de nepote: dicit causam nullum testamentum captat, e. s. pignorat puero: hoc placuit*, Obr. — *Suum pignoratur.* An *suo*, Sch. — *Notavit. Vitavit.* Schult. *Illam in jus vocavit*, Ærod.

2. *Ætatis est. Ætatis non est.* Sch.

3. *Oscula sua.* Id est ora. Ovid. Met. I, 499: « Videt oscula, quæ « non Est vidisse satis. » Præterea: *qui ideo perierat: nihil mirum, oscula.* Schult. *Nim. oscula sua venalitiario inquinat*, Ærod. Obr. — *Nec novercæ omnes.* Francius conjiciebat, *et novercæ omnes.*

4. *Cicero*, pro Cluentio, cap. V.

Digitized by Google

cruenta possum, quod avia secunda heres non fuit. Multa sunt, quæ animum tuum sollicitent: ingentis patrimonii hereditas, et gravior possessionis, quam spei jactura est: et diu[1] cum ea fuit. Illa tecum, habeo certum, cogitas: si recipio, ducet uxorem, quam fortasse cariorem habeat, quam matrem: ergo sola obstat patrimonii cogitatio. A piratis dimissum, a fortuna, o te, liberte, inofficiosum! reduxisti, non ad imagines, sed ut propius amissam dignitatem adspiceret. Etiam, inquit, fortunam meam noveram: non est puer, quod cum liberto queraris: omnia tibi reddit, præter matrem.

HABET HUCUSQUE CONTROVERSIAS NUMERO* CXLIII.

1. *Et diu. Jactura, quod diu cum ea fuisti.* SCHULT.

* HABET HUC USQUE CONTROVERSIAS NUMERO CXLIII. Sic vetustissimum et optimum exemplar S. T. R. quod Claudii Falceti V. C. doctiss. beneficio habuimus. Sequebantur vero in eodem exemplari Declamationum Annæi Senecæ libri decem, breviati illi quidem, ut alias separatim editi sunt, sed aliquanto tamen meliores vulgatis, cum hac inscriptione, INCIPIT SENECA DECEM RHETORUM: quem etiam in aliis exemplaribus titulum fuisse vel illa Jo. Sarisberiensis ex lib. VIII Polycr. arguunt. «Legantur, inquit, et libri « illi, quos Seneca decem oratorum « sententiis, sub imagine Declama- « tionum scholarium, illustravit. » Esse autem illas Declamationes non L. Annæi Senecæ, quem Nero quinquennii magistrum habuit, sed patris ipsius, quem Marcum quidam prænominant, et nobis ante visum fuit, et ab elegantissimo diligentissimoque antiquitatis Lipsio nuper in Electis notatum est. Post has incipiebant, EX CALPURNIO FLAC. EXCERPTÆ X RHETORUM MINORUM: quo ordine superior nostra conjectura de hac inscriptione nonnihil confirmatur. Sed nec illud dissimulare volumus, in illo optimo et vetustissimo Codice Calpurnii Flacci vix superfuisse quartam partem: reliqua nos habuisse ex italico exemplari, non adeo vetusto. Quis autem hic Calpurnius fuerit, alii fortasse dicturi sunt: mihi quidem nondum scire contigit. PITH.—Vid. quæ in nostra præfatione e Fabricii Biblioth. lat. excerpta sunt, ubi de his explicatius agitur. ED.

FINIS DECLAMATIONUM QUINTILIANI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CALPURNII FLACCI

EXCERPTÆ DECEM

RHETORUM MINORUM,

CUM

PITHOEI, GRONOVII, SCHULTINGII ET ALIORUM NOTIS,

EX RECENSIONE BURMANNIANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CALPURNII FLACCI[1]

EXCERPTÆ DECEM

RHETORUM MINORUM.

I.

Uxor tyrannicida.

QUINQUE CUM TYRANNO PROXIMÆ FAMILIÆ PUNIANTUR. Quæ habebat duos filios, et tyrannum virum, tyrannicidium fecit: præmio impunitatem liberis postulavit, meruit. Ex his alter occupavit arcem; eum mater occidit: petit alteri impunitatem: contradicitur.

CONTRA MATREM.

OCCIDAM, inquit[2]. Quanta nobis patienda sunt, dum occidere tyrannum femina possit, et mater velit[3]! Non

1. CALPURNII FLACCI. Ætas hujus viri, ut opinor, haud vulgaris cognosci potest ex l. 8, D. de ventre in poss. mittendo. « Si ventris nomine mulier missa sit in possessionem, D. Hadrianus Calpurnio Flacco differendam accusationem adulterii rescripsit, ne quod præjudicium fieret nato. » Forte et l. 8, ☞. 2, D. de Manumiss. « Divus quoque Pius Calpurnio rescripsit. » Pomponius, l. 34, ☞. 2, de Fideicommiss. liber. « Servus legatus erat Calpurnio Flacco, isque rogatus erat eum manumittere. » GRON. et l. 22, ff. de Minor. ALMEL.

2. *Occidam, inquit.* Accipiendum quasi objectum sit, non esse huic filio dandam impunitatem, qui patris et fratris exemplo grassaturus videretur: respondet illa, et istum tunc occidam. SCHULT.

3. *Femina possit, mater velit.* Ita nomina quandoque singula et sola ponunt ad exprimendum, et sæpe quasi ad inculcandum circuitione nulla ingenium, munus aut et alia quæcunque adjuncta vel hominum vel rerum. Ovidius: « Pietatem pu-

Digitized by Google

possum filii mei mortem videre[1]. Hoc est ergo, quare illum velimus occidere.

PARS ALTERA[2].

Petit præmium, non quod accipiat, sed quod accepit.

« blica causa, rexque patrem vicit. » Frequens maxime in Decl. Quintilianus avus: Declam. CCCLXXXV: « Viri fortis legem transtuli in pa- « trem: patris in virum fortem. » Alter Quintilianus Declam. I: « Se- « cretum non filius accepit a patre, « sed cæcitas. » Declamat. XIX: « Querelas habet ista (lex male « tractationis) non gemitus, et « matre seposita solam complorat « uxorem. » Eadem Declam. « Ego « jam possum suprema revereri, et « post exitum unici revertor in pa- « trem. » Huc pertinet illud poetæ: « ...hominemque cruentus Exuit, « et tenuem cæsis invidit arenam. » Quod genus exemplum est in Decl. XII Quintiliani ejusdem, non procul init. ubi hæc sunt: « Ignoscite « tamen, violati manes meorum: « hic vos alloquor: ignoscite, quod « ora temeravimus, quod ab homi- « ne descivimus. » Rursus eadem, ubi agitur ipsissima de re, de qua apud poetam: « Si quis adeo ho- « minem exuit, ut ibi pœnam quæ- « rat, ubi sensus doloris non inve- « niat; nempe tamen cadavera feris « objiciet. » Ipse Calpurnius noster Declamat. IX: « Qui fieri potuit, « ut mala fuerit uxor, quæ tam bona « mater est? Ego feci. Non sceleris, « sed matris ista confessio est. » Declamat. XVIII: « Parentum illa « deliberatio fuit, hæc jam cuncta- « tio parricidarum est. » Quæ conjungere placuit, quia singularis sunt elegantiæ, et multis Declamationum locis lumen afferunt. SCHULT. Quem vide et ad Senec. Controv. XXIX, p. 287; et Quintil. Decl. I, 2; et XIX, 11.

1. *Non possum filii mei mortem videre. Hoc est ergo*, etc. Innumeris in locis Declamationum Controversiarumque, quæ ad nos pervenerunt, illud legentibus in numerato habendum; objectiones ex abrupto poni solere, quibus responsiones eadem ratione subjungantur. Quod observatum et hoc loco difficultatem tollit. SCHULT.

2. *Pars altera.* Hac divisione qua partes agentis et defendentis in vices tuetur declamator, et quam Seneca ubicunque constituit, conjectare licet ob quam præcipue causam Calpurnii et Senecæ Declamm. non absimili titulo inscriptæ sint. ED.

Digitized by Google

II.

Natus Æthiops.

Matrona Æthiopem peperit[1]: arguitur adulterii.

CONTRA MATRONAM.

Expers judicii est amor: non rationem habet, non sanitatem: alioquin omnes quidem amaremus. Nonnunquam incredilibiter peccare, ratio peccandi est. Non semper, inquit, similes parentibus liberi nascuntur: quid tibi cum isto patrocinio est, nisi ut appareat te peccasse securius? Miramur hanc legem esse naturæ, ut in sobolem transeant formæ, quas quasi[2] descriptas species custodiunt? Sua cuique genti etiam facies manet: rutili sunt Germaniæ vultus, et flava proceritas Hispaniæ[3]: non eodem omnes colore tinguntur[4]. Ex

1. *Matrona Æthiopem peperit.* Juven. Sat. VI, 599. SCHULT.

2. *Quas quasi.* Vetustius exemplar, *quas quasi descriptas.* PITH. Lege, *quas quasi descripti in species custodiunt.* GRON. Illud *descriptas* accipio, definitas et certo cuique assignatas. Atque huc non male referas illud Justini IX, 5, 4: « Auxi- « lia deinde singularum civitatum « describuntur. » Item illud Suetonii Tib. XXX: « De legendo vel « exauctorando milite; ac legionum « et auxiliorum descriptione. » Quibus locis patet, id quoque hac voce contineri, ut res referatur in tabulas, quo magis de illa constare, nec ita facile fraus iis, quæ placuerunt, fieri possit: qua de causa etiam illud *quasi* hic adjectum videtur. SCHULT. Vide de hoc verbo Gronov. ad Liv. XXXIV, 56; et Græv. ad Cicer. de Of. I, 5; et ad Att. II, 1; et ad Famil. XII. 1. Puto autem hic deesse vocem *populi*, vel similem, *quas quasi descriptas species populi custodiunt.* BURM.

3. *Hispaniæ.* Alterum exemp. *Hesperiæ.* PITH. — Malim *Hesperiæ; proceritas* enim, aut *flava* Hispanis nequeunt tribui, qui colore fusco capillorum et cutis ob æstivum ardorem, et modicitate staturæ, a naturalis historiæ peritis insigniri solent; nisi legas *fulva* vel potius *furva.* ED.

4. *Non eodem omnes colore tinguntur.* Lego, *et eodem.* Simile

Digitized by Google

altera parte, qua convexus [1] et deficiens mundus vicinum mittit orientem, illic effusiora [2] corpora, illic collectiora nascuntur: diversa sunt mortalium genera: nemo tamen est suo generi dissimilis. Quid ergo? inquit, amavit Æthiopem [3]: est interdum, judices, malarum

mendum Decl. XXVI. Schult. Lips. ad Tacit. de Morib. Germ. cap. IV, legit: « Germaniæ vultus et flava « proceritas. Hispani an non eo- « dem omnes colore tinguntur? » Obrechtus: *proceritas: Hispaniæ non eodem*, etc.

1. *Ex altera parte, qua convexus.* Emendabam, *Ex altera parte quoque convexus et deficiens mundus vicinum inficit Orientem: et hic effusiora corpora, illic collectiora nascuntur. Diversa*, etc. *Mundum* posuit pro cælo, ut et Quint. Decl. X. Verba sunt magi: « Magis mihi « laborandum est, quam quum si- « dera mundo revelluntur; quum « jubentur hiberni fluviorum stare « decursus. » Et princeps poetarum quantum videtur Georg. I, 240: « Mundus, ut ad Scythiam Riphæas- « que arduus arces Consurgit, pre- « mitur Libyæ devexus in Austros. » Sequitur enim: « Hic vertex nobis « semper sublimis, at illum Sub « pedibus Styx atra videt, manes- « que profundi. » *Convexus* autem et *deficiens mundus* est, ubi nobis terminatur, et vergere incipit ad antipodas: quorum cælum nostri respectu devexum est: vide versus cit. *Oriens* vero Asiam Asiaticosve populos notat: hos inter et Indi: quos, quia tingit et inficit sol, inde poetis, *decolor Indus*. Quemadmodum autem hic *tingere* et *inficere*, ita occurrunt et apud Propertium II, 18: « Nunc etiam infectos de- « mens imitare Britannos: Ludis et « externo tincta nitore caput. » Scr. *Metuit orientem* Barthius legebat ad Claudian. Bell. Gildon. II; sed an non rectius, *vicinum nutrit orientem*: ut sol intelligatur, qui ut et sidera, quum occiderent, mari et humore pasci nocte et ali credebantur, ut orientibus novæ ad cursum sufficerent vires. *Oriens* pro sole. Val. Flac. III, 411: « Ergo « ubi puniceas oriens accenderit « undas. » Ut ibi legendum, sic apud Julium Cæsar. de Bel. Gal. I, cap. 1: « Spectant in septemtrio- « nes et orientem, » ut in MSS. teste Ursino; addiderunt alii *solem*, quod tuetur Daviesius: *vicinus* autem dicitur eodem modo, ut apud Sextum Rufum in Breviar. cap. X: « Provinciæ positæ sub vicino sole. » De pabulo solis et siderum agunt ad eumdem Val. Flac. II, 62; Maser. et Alard. ad III, 411; et Drakenb. ad Sil. VII, 639. Burm.

2. *Illic effusiora.* Al. *illic offusciora corpora, illic coloratiora*, male. Pith. De *effusis* corporibus ad Valer. Flac. latius agemus, lib. I, 762, quibus recte *collectiora*, id est, contractiora, sed magis firma opponit. Vide ad Quint. Decl. II, 11. Burm.

3. *Quid ergo? inquit: amavit Æthiopem.* Scribe, *amavi Æthiopem?* Schult. — *Malarum rerum. Rerum* omisit Obrechtus ut ad *formarum* referatur. Et ita *bona*

Digitized by Google

quoque rerum sua gratia : est quædam formarum [1] voluptas. Miraris si [2] aliquis non sapienter amat, quum incipere amare non sit sapientis? da mihi sanos mulieris oculos : nemo adulter formosus [3] est. Perituræ pudicitiæ minima est in eo sollicitudo, quemadmodum pereat : proprium est profanæ libidinis nescire, quo cadat. Ubi semel pudor corruit, nulla inclinatis in vitium animis ruina deformis est : is demum libidini placuit, in quem non posset mariti cadere suspicio.

PARS ALTERA.

Ita non majus est argumentum pudicitiæ quod parere voluit, quam impudicitiæ, quod infeliciter [4] peperit? Vides partum læsis fortasse visceribus excussum : multum fortunæ etiam intra uterum licet : vides sanguinis vitio perustam cutem : colorem putas [5]; istud fortasse

et *mala forma*, passim occurrit.

1. *Est quædam formarum voluptas.* Forte : *est quædam infamiæ voluptas*; vel *deformium.* Gronov.

2. *Miraris si.* Vide ad Quintil. Decl. CCLXII; et mox Decl. IV.

3. *Formosus.* Fortasse melius, *non formosus.* Pith. Particulam negandi inserit Pithœus. Non inepte, si de perdita et projectæ libidinis fœmina hoc efferretur : sed non separandum hoc membrum a præcedenti : *Da mihi sanos mulieris oculos : nemo adulter formosus est.* Hoc est : « Uxori bonæ mentis nec Nireus nec Parthenopæus placebunt : infra pudicitiam erit forma. Sic in contrarium nec mœcha formas distinguit, dum satiet libidinem. Gr. Dubitat de his Pithœus, et *non* vellet insertum : sed nihil mutandum : nisi quis malit *erit*, quam *est*. Schult. — *Quo cadat. Quo cadat, ubi semel pudor corruit. Nulla.* Pith.

4. *Quod parere noluit, etc. quod infeliciter.* Forte, *voluit, quam imp. quod infelicior.* Pith. Hic *parere voluit*; et mox, *quod infeliciter peperit*, legendum esse mihi dubium videtur nullum. Pertinet huc locus ex Quintiliani junioris Decl. XVIII, cap. 3 : « quæ pudicitiæ prima fidu- « cia est, edidit partum, quem ma- « ritus agnosceret : non timuit, ne « stupra furtivosque concubitus, « parvuli vultus, aut crescentis in- « fantiæ similitudo (malim dissimi- « litudo) detegeret. » Schult. — *Visceribus excussum.* Ovid. Ep. XI, 41 : « Ut penitus nostris (hoc te « celavimus unum) Visceribus cres- « cens excuteretur onus. »

5. *Colorem putas. Putas?* Interrogative. Schult.

Digitized by Google

infantis injuria est. Hoc ipsum, quod ita infuscatam cutem livor infecit, dies longus extenuat: nivea plerumque membra sole fuscantur, et corpori pallor excedit: quamvis naturaliter fuscos artus umbra cogit albescere. Tantum tempori licet: quantum putas licere naturæ?

III.

Miles Marianus[1].

Miles Marii adolescens propinquum Marii tribunum vim sibi inferentem peremit. Reus est cædis. C. D.

PRO MILITE.

Propinquus, inquit, imperatoris occisus est: macte virtute adolescens, et Marium vindicasti: ubicunque periclitatur pudicitia, suam legem habet. Quid agis, tribune? tibi nondum vir est, qui Mario miles est[2]? Non longe ab eo est miles, ut promittat stuprum, qui rogatus tantummodo negat. Crede, imperator, male de te judicasset miles tuus, si tribuno pepercisset. Hanc vim Virginius parricidio fugit: propter hanc Lucretia pectus suum ferro fodit. Pudet me, imperator: feminæ exemplis militem tueor. Stuprum minatus est militi tuo? minus est[3], quod nobis Cimbri minantur.

1. *Miles Marianus.* Vide Quintil. Declamat. III.

2. *Qui Mario miles est.* Al. *qui Mario jam miles est.* PITH.

3. *Minus est.* Florus III, 21: « Minus est, quod ad sacriportum « septuaginta amplius millia Sylla « concidit, bellum erat. » IV, 6: « Nihil in se minus habet. » Conf. variæ ejusdem Declam.

Digitized by Google

PARS ALTERA.

Miles tuus, imperator, jam aliquid impudici habet, quod ad impudicitiam placet. Tu gladium commilitonis tui cruore tinxisti, quem satis fuit minari.

IV.

Parricida carcerem petens.

DAMNATUS PARRICIDII ANNO CUSTODIATUR. Qui sub noverca damnatus est, vult illum pater domi custodire: ille petit, ut publico carcere servetur.

PRO PARRICIDA.

Jubete quamprimum ad illas me impiorum tenebras trahi: liceat impetrare, quod non licet recusare[1]: ego me unquam crederem tam infelicem, ut mihi aliquis etiam carcerem invideat? Parum est tibi in cruciatus meos annus et carcer, et vereris, ne quem gemitum miseri aures tuæ perdant? ne non singulis tormentis meis paterni oculi fruantur? ne laxata vincula desit, qui adstringat? Non potes adversus damnatum[2] jure

1. *Liceat impetrare, quod non licet recusare.* Delenda negatio, si sensui consulere velimus. SCHULT. — *Miseri.* Alii, *miseriæ nostræ aures.* PITH.

2. *Adversus damnatum.* Demster. ad Rosin. lib. X, cap. 3. ALMEL. — *Jam non larem habeo, non servum.* Dixi in Observationibus, legendum videri, *non sacrum*, sive mavis *sacra*, ut frequentius loquuntur: sed et bene *sacrum*. Seneca in Troad. « Et quondam sacrum regni jacentis. » GRON. Ego retinendum puto *larem*, ut plenius ostendam ad Ovid. Amor. I, 8, 113: « Di tibi dent nullosque Lares inopemque senectam. » Larem vero hic carceri opponit. De voculis *jam non*, vide ad Instit. lib. VI, proœm. BURM.

Digitized by Google

patris uti: jam non larem habeo, non servum, non patrem; ac ne damnatum esse pœniteat, non novercam. Video carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem: in hunc conjecti, robur Tullianumque [1] prospiciunt: et quoties jacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur, et alienum supplicium spectando suum discunt. Sonant verbera, cibus recusantibus spurca manu carnificis ingeritur: sedet janitor inexorabili pectore, qui matre flente siccos teneat oculos: illuvies corpus exasperat, manum catenæ premunt. Quid est quod me lex anno reservat [2]? nescio quid adhuc cogitat: nimirum de parricidio, etiam quum creditur, non liquet? Æstimate, judices, quid fugiam, qui hoc [3] postulo? Quid hoc est, judices? a patre parricida non timeor? dicam, sævite, quum rogem? dicam, miseremini, quum carcerem rogem?

PARS ALTERA.

Egone secretum isti conscientiæ dabo? et ibi te patiar

1. *Robur Tullianum.* Lege, ut in vet. *robur Tullianumque prospic.* Pith. — *Alienum supplicium exspectando.* Lege, *spectando.* Gron. Lege, vel *spectando*, vel *et inspectando.* Posterius optimis frequens. Schult. Forte, *inspectando.* Almel. *Spectando* recepit Obrechtus.

2. *Quid est, quod me lex anno reservat*, etc. Ne fluctus excitem in simpulo, nulla circuitione dicam, quomodo hæc judicem restituenda. Rescribo itaque, *Quid est, quod me ex lege anno reservat? Nescitis adhuc, quid cogitet. Nimirum de parricidio, etiamsi jam creditur, nondum liquet.* Schult. — *Adhuc cogitat. Adhuc cogitat: nimirum de parricidio, etiam quum creditur, non liquet.* Pith.

3. *Qui hoc postulo.* Vult (nam hoc intelligit) tormentis me subigere pater ad fatendum falsum. Hic autem sana erunt omnia, si pervulgata aliarum Declamm. ratione, quarum hæc esse excerpta patet, legatur: *Quid hoc est, judices? a patre parricida non timeor. Quid ergo? dicam ne sævite, quum rogem? dicam miseremini, quum carcerem rogem?* Adde Declamm. Quintil. CCCLXXV fin. et CCCLXXVI medio. Schult. Qui et pro, *ne sævite*, conjecerat *subvenite.*

Digitized by Google

includi, ubi non erubescas? dignus es, parricida, dignus es videre patrem, si tam grave [1] putas, ut vel carcerem malis. Debeo, judices, debeo tandem agere mitius pater, si tam graviter sibi damnatus irascitur? Mirabar, si quis tantum sceleris auderet, qui contemnere carcerem [2] posset: fugit, odit, avertitur, et limen patris exsecratur. Ignoras profecto sortem tuam, si putas aliud judices debere respicere, quam quod nolis. Hanc crucem [3] patere, si gravis est: hunc diem, si odisti, vide: nihil illi adversus patrem liceret, etsi parricida non esset.

V.

Leno.

Juvenes frequenter ad lupanar veniebant; quum his leno frequenter denunciasset, ne accederent, foveam fecit, et complevit ignibus. Adolescentes quum venissent, exusti sunt. Accusatur a parentibus eorum leno læsæ reipublicæ.

CONTRA LENONEM.

Denunciavi, inquit: dii boni! quantum ausus [4] est,

1. *Si tam grave.* An, *si tam gravem putas*; nempe patrem gravem et invisum oculis tuis: ut mox, *si gravis est*, et, *si odisti*, scilic. patrem. Juvenal. Sat. VI, 146: « Jam gravis es nobis, jam sæpe emunge« ris, exi. » Suet. Neron. LIV: « Sint « qui tradant Paridem histrionem « occisum ab eo, quasi gravem ad« versarium; » quem ferre non poterat. Vid. Passer. ad Prop. Eleg. I, 1, 12, pag. 201. Burm.

2. *Qui contemnere carcerem.* Omissa particula *nisi*: qua superstite esset, *nisi qui contemnere carcerem posset.* Schult.

3. *Hanc crucem.* Forte, *hanc lucem.* Gron. Ita *crux* pro quovis vel supplicio, vel cruciatu amant auctores. Omnium maxime id se prodit in illo Plautino, « Quæ te crux agi« tat? » de quo plura posuimus ad Quintil. Decl. II init. Atque hoc observato cum aliis auctoribus in concordiam reduci poterit Florus II, 2. Sch. *Lucem* recepit Obrecht.

4. *Quantum ausus est.* Lege: *quanti ausus est.* Hoc est, quantum

Digitized by Google

quod ne post denunciationem quidem creditum est! Fuit in illis summa pietas; placuere parentibus: summa frugalitas; displicuere lenoni. Tu te jure audes defendere? nihil ei licet, in quem nihil non licet. Denunciavi, inquit: novimus lenonum venales minas. Injuriam, inquit, faciebant mancipiis meis: quid enim aliud in his, quam injuriam vendis?

PARS ALTERA.

Ubi quid futurum est denunciatum, culpa patientis est.

VI.

Decreto de reditu[1] *occisus.*

Adolescens dives nobilis, hospitatus apud exsulem: exsul scripsit senatui, velle se indicare de affectata tyrannide. Senatus revocandum censuit, hoc divite contradicente: dum revertitur exsul, occisus est: accusatur dives affectatæ tyrannidis.

CONTRA DIVITEM.

Intercepisse[2] te putas indicium: ipse fecisti. Secun-

ausos dicis, qui tuæ scilicet denunciationi non crediderunt. Gronov. *Quantum ausi sunt;* ut Decl. IX: « Tantum ausus est. » Schult. Mallem, *quantum ausus est, cui ne:* scilicet leno; quantum et quam incredibile scelus fecit leno, de quo omnia credibilia sunt, sed cui post denunciationem etiam non creditum, etc. Burm.

1. *Decreto de reditu. Decreto reditu occisus.* Schult. — *Adolescens dives.* Confer. Decl. Quint. CCCLI, quæ est ejusdem argumenti. Scr.

2. *Intercepisse.* Suet. Cæs. XX: « Intercepisse indicem veneno. » Et ita idem Claud. I, Ner. XXXV. — *Ipse fecisti.* Scil. indicium. Ovid. Ep. XVI, 241: « Indiciumque mei « fcto sub nomine feci. »

Digitized by Google

dum sententiam divitis, pauper non est reversus: dicturum[1] se de tyrannide pollicetur; quid vis suspicemur? tu nihil nuncias, sed inde venisti: venerunt [2] epistolæ consecutæ. Sed cur de publico statu mandare hospiti noluit? Putatis illum contradixisse? confessus est. Sceleratis ingeniis, et plusquam civilia cupientibus, non dominari instar servitutis est. Jampridem te arci nostræ [3] tua fortuna minatur: supra civilem hanc æquationem [4] divitiæ te elevarunt: non sine exemplo timemus. In Manlio quondam potuisse [5], damnatum est.

PARS ALTERA.

Non intelligo, quemadmodum infamet mors sententiam meam: ego si auditus essem, ille non esset occisus.

1. *Dicturum se de tyrannide pollicetur.* Fuit, credo, *pollicebatur* Schult.

2. *Sed inde venisti: venerunt epistolæ.* Scribe: *Tu nihil nuncias: sed, unde venisti, venerunt epistolæ te consecutæ.* Gron.

3. *Arci nostræ.* Vet. *archonta.* Pith. Forte, *te arci non impositum tua fortuna miratur.* Est certe aliquid scabri in vulgata lectione; divitiæ tuæ, quæ ingentes animos faciunt, mirantur, te non dudum impositum esse arci, et tyrannidem occupasse. Deinde malim, *supra civilem hanc certe te æquationem divitiæ elevarunt: certe* pro saltem: periit illa vocula absorpta ultima syllaba a *te* sequenti, et prima, quæ restabat, abiit in *per*, unde natum *peræquationem.* Burm.

4. *Æquationem.* Al. *peræquationem.* Pith. Hæc ad statum liberæ reipublicæ pertinent: ubi omnibus æquum jus est, aut esse debet; ita ut solutus legibus sit nemo. Florus videatur III, 13; Sallust. Bel. Catil. 37; Liv. lib. II, init. Phædr. fab. II, quæ jam vulgata sunt. Cæterum quod hic *æquatio*, id in Decl. IV Quintiliani *æquitas:* quomodo *dignationem* et *dignitatem* sensu eodem hoc seculum dixit. Verba Quintiliani sunt, « Relaturum me puta« tis illa optionum verba solennia. « Non capere magnorum pretia me« ritorum, solas æquitates? » Paulo post, « Sed securi estote de avi« ditate summæ potestatis. » Ubi summa unius potestas æquitati opponitur. Nisi *æqualitates* quis putet legendum. Tacit. Ann. I, 4, translatam ad Cæsares rempublicam et libertatem perditam significaturus, « Omnes, inquit, exuta æqualitate, « jussa principis aspectare. » Scн. Vid. Herald. ad Tertul. Apolog. pag. 36.

5. *Potuisse.* Virgilius, Eclog. VI, 24: « Satis est potuisse videri. »

Digitized by Google

Inquieta res est homo, cui jam in deterius nihil superest[1]. Egerat mecum illic multa de judicibus, de ignominia sua. Prodam necesse est affectus hospitis mei: hoc tyranni videbatur.

VII.

Dives imperator.

Pauper et dives inimici: pauperi duo filii: dives imperator creatus. Rumor ortus est prodi rempublicam a pauperis filiis. Utrumque torquens pernegantem necavit[2], corpora eorum extra vallum projici jussit, quæ hostes sepelierunt, et recesserunt. Pauper accusat divitem cædis.

CONTRA DIVITEM.

Nunquam, judices, contra istum tutior veni: quidquid auferri potuit, amisi. Soli omnium torti sunt, donec mentirentur: ita laniatos miseros, ita confusis linea-

1. *Cui jam in deterius nihil superest.* Justin. lib. XXII, 1, de Agathocle adhuc privato: « Diu sine « fide fuit: quoniam nec in fortu- « nis, quod amitteret, nec in vere- « cundia, quod inquinaret, habere « videbatur. » SCHULT. — *Mecum illic.* Lege, *ille.* GRON. — *Prodam necesse est affectus hospitis mei.* Tacita haberem omnia, quæ ex hospite meo audivi, et quid de illo judicem. Nunc mihi diversum imponit necessitas, eaque vobis prodo, ne ipse vobis diutius suspectus sim. SCHULT.

2. *Utrumque torquens pernegantem necavit.* Ambigue dictum, quasi ex duobus, quos torquebat, alterum pernegantem tantum occiderit: quare mallem, *utrumque pernegantes necavit.* Vide Heins. ad Ovid. Amor. III, 1, 61. BURM. — Non satis perspicio, quomodo talis sensus ex his erui possit, quum passim occurrat τὸ *uterque* cum singulari conjunctum: inter multa loca, quæ huc afferre possem, Virg. Cul. 255: «Uterque jam aversatus;» et mox 316: « Uterque acer; » quibus in locis manifeste referendus adjectivus ad duo substantiva quæ complectitur vox *uterque:* nil igitur mutem; et sensus inde nitidissimus. ED.

Digitized by Google

mentis projici jussit, ut jam nec pater posset agnoscere. Miramini, si ab hostibus sepulti sunt? nullos sic ab isto esse tortos, nisi captivos, putarent[1]. Proditores putas, quos tam misere, tamque crudeliter punitos hostis non vindicavit. Pauperes, inquis, erant; et ideo potuere corrumpi: age, quis nescit illos ideo perisse, quod divitias nimis oderant? Super ignem corpus extenditur[2], et irato imperatori tortor non sufficit: uritur, et flagella ignibus adjuvantur. Quæritis exitum? pernegavit[3]: tortor, inimicus tamen, quod quærebat, invenit nos proditores, qui pro te, patria, etiam sub isto militavimus.

PARS ALTERA.

Negas potuisse corrumpi? pauperes fuerunt: negas voluisse prodere? inimici. Non possum tibi proditionis argumentum afferre præsentius: quamdiu vixere, pugnatum est: quum mihi civitas mandaret imperium, quo malo laboraret, intellexit. Imperatorem me fecit inimicus.

1. *Nisi captivos, putarent.* Scribe: *nullos sic ab isto esse tortos, nisi captivos, putarunt.* Nempe hostes. Reddit rationem, quare ab illis sepulti sint: nempe suos putarunt. Gron. Francius, *putassent* legebat.

2. *Super ignem corpus extenditur.* Mallem, *Super equuleum.* Gron. Ita et Schultingius conjecerat. — *Uritur, et flagella ignibus adjuvantur.* Forte: *Urit, et flagella ignibus adjuvat.* Gron. Iterat dicta. Simili ratione Decl. XIII: « Ultio quidem « illa, non quæstio. Tyrannus vene« num quæsivit (lege, non quæsivit) « sed vindicavit. » Schult.

3. *Pernegavit.* Fort. legere præstaret *pernegarunt torti.* Pithœus. Scribe: *pernegavimus: tortor inimicus tamen, quod quærebat, invenit nos proditores.* Nam in persona mortuorum loquitur. Gron. Forte rectius, *num invenit nos proditores?* Schult.

Digitized by Google

VIII.

Demens ter triumphalis.

Ter triumphalis, ter consularis, quum haberet liberos, æque ter triumphales, ter consulares, suspendit se: liberatus a liberis, ab iisdem reus fit dementiæ.

PRO PATRE.

Omnium calamitatum materia est homo diu felix: nesciunt stare successus, et quoties prodire felicitas non potest, redit[1]. Mori volo, quid me jam fortuna custodit?

PARS ALTERA.

Ter consulatum gessisti, ter triumphasti, licet jam velit fortuna mutari, in illius potestate non est, fuisse. Quis timeret fortunam, nisi prodesset?

1. *Quoties prodire felicitas non potest, redit.* Forte: *recedit.* Velleius lib. I: « Difficilis in perfecto « mora est, naturaliterque, quod « procedere non potest, recedit. » Gron. *Prodire* hoc sensu etiam Horatius posuit Ep. I, 1, 32: « Est « quodam prodire tenus, si non « datur ultra. » Quare non opus est cum Francio legere, *porro ire*: huic contrarium est, *stare*, de quo vide ad Quint. Decl. III, 13. Burm. — *Quid me.* Forte, *cui me*, vel *quo me, fortuna, custodis?* Pith.

Digitized by Google

IX.

Pater excæcatus.

Cum luxurioso filio pater, abdita matre, secessit in secretum; excæcatus rediit: petit a filio talionem. Mater se fecisse dicit.

CONTRA FILIUM.

Invenit, judices, pessimus adolescens, quomodo utrumque [1] excæcaret parentem: quid te secreto fecisse credamus? matrem in foro excæcas. Non vis pro matre verum dicere, quum illa pro te mentiatur? In tantum juvenis processit amentia, ut propter illum pater perderet [2] oculos, mater odisset. Tu me, mulier, excæcare potuisti, quæ nec parricidam potes? ut innocens sis, dum excæcaretur pater, exspectasti [3]. Non feci, inquit:

1. *Quando utrumque.* Lego, *quomodo.* PITH. et ita Obrechtus. Vide ad Decl. XIV in fine. — *In foro.* Quint. Decl. CCCLXXII: « Bis parricida, semel domi, iterum in « foro. » SCHULT.

2. *Ut propter illum pater ut perderet.* Alterutrum *ut* est inducendum. SCHULT. An, *vi perderet?* Vid. ad Phædr. I, 12. — *Tu me mulier excæcare potuisti*, etc. Ut compendium fiat orationi, pariter atque insimul proponam, quomodo mediam hanc Declamationem satis obscuram et turbatam restituendam existimem. Lego itaque, *Tu me mulier excæcare potuisti, quæ nec parricidam potes? Non feci, inquit. Ut innocens sis; dum excæcaretur pater, exspectasti. Non feci. Non credam, nisi confitearis? Talis es adolescens, ut excæcare nolueris patrem, quum te excæcare velit pater?* Ita Decl. XIX Quintil. « Dictus est « occidere posse patrem: dictus est « dignus, quem posset etiam pater « occidere. » Sequentia porro lege: « Quam sceleratus es! plus te odit « pater, quam eum, a quo excæca« tus est. » Potest et fuisse hic locus ita contextus: « Pater? qui tam « sceleratus es, ut plus te pater « oderit, quam eum, a quo excæca« tus est. » Excæcatus autem non ex vero, sed ex sententia et asseveratione matris et filii. SCH.

3. *Exspectasti.* Forte, *spectasti. Non feci.* PITH.

Digitized by Google

non crederem, si confitereris[1]. Talis es, adolescens, ut excæcare volueris patrem, aut te excæcare velit pater: quam sceleratus es! plus te pater odit, quam eum, a quo excæcatus est. Tantum ausus est integro patre: quid facturus est inter duos cæcos? Quam miser est pater, cui verum dicendum est! quam misera mater, cui mentiendum! non eruit oculos, quisquis laborat, ut hoc fecerit. Cujus crimen est excæcare[2]? excæcasse patrem! patronum! excæcare matrem! quî fieri potuit, ut mala fuerit uxor, quæ tam bona mater est? Ego feci[3]: non sceleris, sed matris ista confessio est.

PARS ALTERA.

Si neganti, judices, non vultis, quod proximum est, credite confitenti: sed si difficile[4] est fateri etiam, quum feceris, damni paullum*.

1. *Non crederem, si confitereris.* Tolle negandi particulam. Crederem te non fecisse, si confitereris, et ideo confiteri, ut matri parcatur. Gronov. — *Ut excæcare volueris patrem.* Immo, *ut aut excurare volueris matrem, ut.* Gron. — *Quam eum, a quo excæcatus est.* Lege, *quam eam, a qua.* Ironia est: et loquitur ex sententia adversariorum. Gron.

2. *Cujus crimen est excæcare? excæcasse patrem!* Scribe: *Ejus crimen est excæcasse patrem, cujus patronam excæcare matrem.* Eum credite patri oculos eruisse, qui potest pati, ut loco ipsius excæcetur mater, dum sceleri filii patrocinatur. Gron. Hæc quoque corruptissima. Scribo, *Cujus crimen est excæcasse patrem? cujus est patronam excæcare matrem. Qui fieri,* etc. Schult.

3. *Ego feci.* Ita scilicet loquitur mater, quod tamen non a conscientia, sed ab amore in filium proficiscitur. Quod innuitur sequentibus. Schult.

4. *Credite confitenti: sed si difficile,* etc. *Etsi difficile est,* accommodatius ad sensum esse, quivis facile videt. Præterea corrigendum, *quum dederis damni paullum.* Simile mendum est Decl. CCCLXXXV. Legendum enim, « Quamquam ut « dederim (*fecerim* ediderunt) damnum, merito relata tibi talio est, « propter quem damna omnes facciunt. » Terent. Andr. I, 1, 116. Ita legendum sit, *quod proximum est, credite confitenti, etsi difficile est fateri, etiam quum dederis damni paulum.* Cogitavi quandoque excidisse *confitetur,* ante *etsi difficile.* Schult. — Locus asterisco notatus, quippe mancus et mutilus. Ed.

Digitized by Google

X.

Pater receptis oculis.

Cui erant tres filii, amissis duobus, flendo oculos perdidit; somniavit se recepturum oculos, si tertius filius perisset. Somnium indicavit uxori; illa filio prodidit; suspendit se adolescens. Pater recepit oculos: repudiat uxorem; agit illa injusti repudii.

PRO MARITO.

Ante omnia hoc ad vos meæ defero infelicitatis, quod videre cœpi. Sic spectatores[1] oculi tertiæ redeunt orbitatis: qui calamitatibus cesserant, parricidio reverterunt. Mirabar profecto, quod in utriusque orbitate solus pater oculos perdidisset[2]. Jussus sum videre, postquam orbitas tertia spectatorem non habebat. Numquid discutiunt recti necessitatem, qui aliquid amore[3] fecerunt?

1. *Si spectatores.* Forte, *Sic spectatores.* PITH. Dele prorsus τὸ *si.* Integra sententia est: *Spectatores oculi tertiæ redeunt orbitatis: qui calamitatibus cesserant, parricidio reverterunt.* GRON. Acumina, ignorantiæ vitio, errorum mendorumque esse causam hæc demonstrat Declamatio: quam manifestum est elegantia sua tantum non periisse. Rem nos dedisse auctorem fatebuntur, qui judicio suo, quæ ad hæc illustranda adduxerimus, perlustraverint. Huic loco medicinam facere facillimum est, non itidem et cæteris. Levissima enim mutatione hæc ita concipienda, *Sic spectatores oculi tertiæ redeunt orbitatis. Qui calamitatibus,* etc. SCHULT. *Si* omisit Obr.

2. *Solus pater oculos perdidisset.* Nunc minus mirum mihi non flesse matrem, quæ potuit et filium occidere, et me facere spectatorem orbitatis tertiæ. SCHULT.

3. *Qui aliquid amore fecerunt.* Respicit hoc ad istud, quod amatorum in excusationem, quum inconsiderantia aut et violenta temeritate peccaverunt, sermone quotidiano tritum est, et magistri hoc amoris carmine expressum, « Non « hoc injuria factum, Verum amor « est. » SCHULT.

Digitized by Google

Cessate parumper, exhausti fletus: differ aliquantum, saucium lumen[1]: decet esse oculos duriores, qui scelere reverterunt. Nullum in tali calamitate ab uxore solatium: miserationem meam[2] tum habuit: post cœpi monere de filio, et horret referre animus[3], quod pœnitet indicasse: nec remedia quærenda sunt, ubi major suppliciis sanatio[4]. Gratulandum patri est, quod non filius somniavit: debet hoc sola mater audire, vel ut filio caveat, vel ne mariti doleat cæcitatem. Arcesso conjugem: jam, inquam, cæcus esse cupio. Etiam nunc apud me latet[5], quod sola tu nosti. Subito adspectu somnii in metum veni, et, fateor, de filio, quod est, timui, sed de matre non credidi. Nullum impatientius malum,

1. *Differ aliquantum, saucium lumen.* Succurrit sensui aptissimum, *sanum nunc lumen*. Schult.

2. *Miserationem meam. Mei.* Pith. Hac ratione *expurgationem habere*, expurgare est Plauto Mercat. V, 3, quod mire dictum non esse concedet, si quis cogitet pervulgatum illud *orationem habere*, quid verbo uno denotet. Cæterum ut hæc periodus cohæreat, refingenda est hunc ad modum, *miserationem meam tunc habuit, postquam cœpi monere de filio*. Schult.

3. *Et horret referre animus*, etc. Hæc et sequentia ægra et prope deposita sunt; ut a prudenti tamen audacia aliquid auxilii accipere possint: qua esset, *horret referre animus. Quam pœnitet indicasse! Sed remedia quærenda non sunt, ubi majus supplicium sanatio*. Ad postrema faciunt illa Declam. XXXV infra, « Vos cogitate, quanto sint « mala illa graviora, quorum sunt « etiam remedia crudelia. » Schult.

4. *Ubi major supplicii sanatio.* Velim *majoris*. Gron. Ita Obrecht. — *Supplicii sanatio.* Forte, *suppliciis*. Pith. — *Quod non filius somniavit.* Nihil in his sani. Lege, *quod non filio somnium narravit*. Sequentia distinguendo illustrentur. Ita talia erunt. *Debet hoc sola mater audire, vel ut filio caveat, vel ne mariti doleat cæcitatem. Accerso conjugem, jam, inquam*, etc. Conjugi testatur indicandum somnium fuisse, ne mariti doleret cæcitatem. Hoc enim somnio illa intelligere poterat, non omnem spem marito oculorum lumina recuperandi incisam esse. Sch.

5. *Etiam nunc apud me latet*, etc. Ut continuo sub adspectum dem, quid hic erratum arbitrer, ecce quomodo his opem feram. Lego, *Etiam nunc apud me latet quod sola tu nosces: subito adspectu somnii in metum veni. Et fatebar de filio. Quidquid est, timui, sed id de matre non credidi*. Schult.

Digitized by Google

quam invidia cum calamitate, qui, ut scelerate viderem[1], non recepi oculos, sed perdidi cæcitatem. Vidi miser primum, quod ultimum videram[2]: pendebat exstinctus[3], et contentus laqueus adolescentis colla tenuabat: proh nefas! hæc in filium cum oculis meis venerant[4]. O quam putasti, nec maritum posse sanari! jam tempus est fletus: immo jam tempus est cæcitatis.

1. *Qui ut scelerate viderem*, etc. Luxata hæc ita repono: *calamitate. Non recepi oculos, sed perdidi cæcitatem, qua tua scelera non viderem.* Schult. *Ut scelera tua viderem*, etiam Francius: sed puto, *ut te, scelerate, viderem.* Id est, infelix, vid. ad Quint. Declam. X, 6.

2. *Quod ultimum videram.* Per quietem nempe. Ita Sueton. de Augusto illius in vita, cap. 91: « Ipse « per omne ver plurima et formido- « losissima et vana et irrita videbat, « reliquo tempore rariora et minus « vana. » Justin. XV, 4: « Admira- « bilem fecit hunc visum et annu- « lus, etc. » Id est, somnium, quod *visum nocturnum* plenius dixit I, 7, ut et Sueton. loco cit. Schult. Non puto hic de somnio agi, sed vero visu. Vidi post receptos oculos primum filii tertii et solius superstitis funus, ut ante cæcitatem videram ultimum duorum priorum funera: ideo dicit se perdidisse cæcitatem, id est, fructum cæcitatis, quæ prohibebat adspicere filiorum mortes; hæc vero mala jam simul cum oculis in filium ultimum venerunt. De verbo *perdere*, vide mox ad Decl. XIII; et Quint. Decl. I, 10; et V, 7. Burm.

3. *Exstinctum.* Forte, *exstinctus*, vel *ex tigno.* Pith. Integra hæc sint, si legas, *pendebat exstinctum corpus, et contentus laqueus adolescentis colla tenuabat.* Nimirum ita viderat in somnis: ita nunc res repræsentabatur. Schult.

4. *Hæc in filium cum oculis meis venerant.* Scribo, *in filium meum ob oculos meos venerunt.* Schult. — *Nec maritum posse sanari.* Et sic morte istius filii vacuam sine herede tibi domum meam futuram. Schult.

Digitized by Google

XI.

Damnati adoptivi.

Pauper et dives inimici : pauperi tres filii : quodam tempore visi sunt amici. Petit dives a paupere filios in adoptionem, et accepit : unus in adulterio deprehensus est, et occisus; alius affectatæ tyrannidis reus factus est, et damnatus; tertium pauper repetit : dives contradicit.

PRO PAUPERE.

Nihil jam [1] præter luctus meos gravius, quam quod, ubi odia nihil fecere, videatur amicitia plus nocere : quidquid esse potuit in paupere, totum dives accepit : qui si bonum animum in adolescentes meos tenuit, filios ambo perdidimus. Novum audaciæ genus, tyrannidem affectat pauperis filius. Utinam sic filium perdidissem, ut queri de fortuna liceret : dolere integre non potest, qui urgetur irasci [2]. Scio quales habuerim : et inimico et diviti placere potuerunt : divitiæ [3] inconstan-

1. *Nihil tam.* Lego, *jam.* PITH. Ita Obrechtus. — *Ubi odia nihil fecere.* Legebam, *obfuere* : sed vulgatum sensu eodem exponatur. SCHULT. — *Qui si bonum animum*, etc. Legendum videtur, *qui sic bonum animum in adolescentes meos tenuit, ut filios ambo perdiderimus;* vel *tenuerat, filios ambo non perdidissemus.* SCHULT.

2. *Qui urgetur irasci.* Forte : *Dolere integre non potest, qui cogitur irasci.* GRON. Melius, *non irasci* : scilicet, sed potius precibus agere adversus impotentiam divitis. SCH. *Urgetur* non mutarem : Quintilian. Declam. CCCXXIX : « lojuriæ tan« tum dolore urgebamur. »

3. *Divitiæ inconstantium animorum.* Intellige, *sunt.* Divites lasciviunt et facile variant animos. Deinde scribo : *Instat filio pernicies, vel velit ad me redire, vel nolit.* Nisi retinendum, *In summa, pernicies :* quoniam fragmenta hæc sunt : et potest in omissis proximis verbum fuisse positum, quod commode hic subaudiatur. GRONOV. Exigua mutatione reforma, *potuerunt : divitiæ inconstantia animorum : in summa,*

Digitized by Google

tium animorum: in summa, pernicies, vel velle[1] ad me redire, vel nolle. Si vult, non delectat, qui tenetur invitus: si non vult, jam timeo, quod divitias amare cœpit. Permissæ licentiæ magna securitas est potestas cum moderatione. Recordare, quantis meis redemerim malis, ne adhuc redimerentur[2] inimici.

pernicies. In quibus, *divitiæ animorum inconstantia* eleganter dicuntur, quia causa inconstantiæ sunt: quomodo et pernicies esse dicuntur. Eodem modo accipiendum illud Declam. L infra: « Erravi, fateor, judices, erravi, qui semper « credidi immortalitatem esse, pro « republica mori. » Tale est illud quoque Propertii lib. I, Eleg. 2: « Non Idæ et cupido quondam dis- « cordia Phœbo Eveni patriis filia « litoribus. » Porro *in summa* hic positum, ut *denique* apud Flor. I, 16: « Nihil mollius cælo: denique « bis floribus vernat. » Id est, ut paucis dicam id, unde reliqua possint colligi. Ita eadem particula reperitur apud Justin. IX, 5, 1; et in l. 13, D. de adopt. Eopse sensu Plautus *postea* Mercat. II, 3, 36; et Quintilianus Declam. XII: « Dein- « de nullus amœnus portus, nulla « celebris civitas invisitata trans- « itur. Mentior; etiam ad esurien- « tes applicas. Dein si quam timoris « injuriam (l. quem timorem injuria) quereris, non feram te mo- « rantem. » Sed hæc in transcursu: plenius de his egimus ad Declamationes primas. Schult. — *Inconstantium*. Vet. *inconstantiæ*, locus emendatione indiget, fortasse hac, *divitiæ inconstantium animorum summa pernicies, vel velit ad me redire, vel nolit*. Pith.

1. *In summa, pernicies vel velle*, etc. *Pernicies*, ut vidimus, ad antecedentem periodum pertinet. Quæ sequuntur, corrupta itidem sunt, et restituenda hoc modo, *Vel volet ad me redire, vel nolet*. Nisi quis credat, quod et ipse suspicor, intercidisse voculam *fac;* ut sic scribendum, *Vel fac velle ad me redire, vel nolle*. Virg. Æn. IV: « Quis « me autem (fac velle) sinet. » Seneca Phœnissis, 200: « Quis jam « deorum (velle fac) quidquam po- « test Malis tuis adjicere? » Sequenti hujus Declamationis periodo, scribe, *non delectabit*. Schult.

2. *Ne adhuc redimerentur inimici*. Lege: *ne adhuc videremur inimici:* ut crederent homines nos in gratiam rediisse. Tacite significat, dubium, an bona fide. Gron. Lego, *retinerentur inimicitiæ*. Sch. Forte, *quantis meis adhuc red. malis, ne dirimeremur inimici:* ne reconciliata gratia, iterum in inimicitias discederemus. Ita *redimo* et *dirimo* confunduntur in MSS. apud Ovid. Met. XII, 535: « Partem fuga nox- « que redemit; » ubi *diremit* alii codices. Burm.

Digitized by Google

XII.

Veneficii rea.

VENEFICII REA[1] TORQUEATUR, DONEC CONSCIOS INDICET. Amissa uxore, ex qua habebat filium, duxit alteram; et de ea suscepit filiam: adoleverunt ambo infantes: repente ambiguis signis perit adolescens. Pater uxorem accusavit et damnavit: quum torqueretur, filiam sibi consciam dixit. Petitur puella ex lege ad pœnam; adest ei pater.

PRO FILIA.

Noverca filios nostros[2] aut insimulatione persequitur, aut veneno, quæ scelus suum, et in domo veneficæ, et in suppliciis docuit parricidæ. Adoleverunt ambo, sed minor filia, et præter sexum multo[3] fratre simplicior.

1. *Veneficii rea.* Vid. Quint. Decl. CCCLXXXI; et Senec. Controv. XXIX. — *Adoleverunt ambo infames.* Alia editio, *infantes*, quod non placet. Sed nec hæc satisfaciunt: in quibus malim, *adoleverunt ambo, fiunt infames.* In infamiam adducti ab noverca videntur, quasi patri necem molirentur. Quare in Declam. est, « Parricidæ adoleverunt ambo: » ex insimulatione scilicet novercæ, et maligno rumore vulgi. His autem mendaciis id quæsisse noverca videtur, ut eos quum tolleret, vel in patrem facti invidia transferretur, vel et in ipsos adeo, quasi ægritudine ex offensa patris, vel dolore infamiæ, vel et pœnitentia destinatorum contracta decessissent, aut sibimet necem conscivissent. Sed contra evenit; quum his factis noverca se detexerit patri. SCHULT.

2. *Filios nostros.* Mox « parricidæ « ambo » de filio et filia. Tacit. Ann. XII, 4: « Fratrumque non in« cestum, sed incustoditum amo« rem ad infamiam traxit. » Id est, fratris et sororis: est ita et Decl. XLIII infr. Quæ nota, sed hic cogitanda sunt. SCH. Vid. ad Quintil. Inst. Orat. IX, 3. — *Et in suppliciis docuit.* Lego, *didicit.* Ut velit jam olim arte illius et opera periisse alios, dum discit apud venefi cam: qualis describitur Locusta a Tacito Ann. XIII, 66. SCHULT.

3. *Et præter sexum multo*, etc. Ut hæc connectantur, lege, *et, præter sexum, non multo fratre sim-*

Digitized by Google

In uno utriusque mentem videris: quum periit adolescens, et patri venenum datum est, et sorori. O novercа! est[1] alta crudelitas: amasset, et consciam putaremus? Proh nefas! conscia dicitur, cui frater perit? cur postquam adolevit puella, est interemptus adolescens[2]? Tamdiu ergo fuit quieta novercæ[3] crudelitas, quamdiu ætas illius ad persuasionem conscientiæ pervenerit: modum non habet iracundia mentiendi.

plicior. In uno utriusque mentem videres. Simplicior, ut *simplicitas* in illo Ovidiano, « Fallere credentem non est operosa puellam Gloria: simplicitas digna favore fuit. » Schult. — *In uno utriusque mentem.* Puto, *In una;* puella scilicet. Gronov.

1. *O novercæ est.* Malim, *O novercæ alta crudelitas! amasset, et consciam putemus.* Pith. Forte: *Cujus novercæ est tanta crudelitas?* vel, *O novercalis crudelitas.* Gron. Ex his sensum exsculpere non potui: igitur tandem eo deductus sum, ut crederem vitio affectata esse; cui sic possimus mederi: *O noverca! tua est illa crudelitas.* Ex *illa* fecerunt primum *alia*, et mox transitu facili *alta.* Quint. Declam. CCLII initio: « Ut diceret, qua alia « lege cum alio consistere potuerim. » Ubi *cum illo* tantum sensum et locum habet. Sequentia vero hujus loci sine interrogatione sic ponantur, *amasset: et consciam putaremus.* Quæ intelligenda, quasi scriptum esset, *si amasset.* Quod amant optimi. Manifestum est in illo Juvenalis, « Græculus esuriens « in cælum, jusseris, ibit. » Et illo Virgilii, « Tu quoque magnam Partem opere in tanto (sineret dolor) Icare, haberes. » Quintilianus etiam eo exemplo, quo Calpurnius, Declamat. CCCXXXII, fine: « Accessissent huic testamento subitæ opes; idem erat. » Schult. *O novercæ stulta crudelitas*, Obr. *O noverca, quæ ista crudelitas?* Francius. Forte, *O novercæ et altera crudelitas:* prima in filium veneno interfectum, altera in filiam, quia consciam dixit. *Amasset* vero de filia, quæ fratrem suum dilexit (ut Declam. CCCLXXXI) ideoque non potuit conscia putari. Burm.

2. *Cur postquam adolevit puella, est interemptus adolescens?* Expungo interrogationem, et initio periodi pro *cur* reddo auctori *verum*, ut sit in his objectio: ad quam indignabundus statim respondet. Scн. An non, *cui, postquam ad. puella, e. in. a.* ut antea frater sorori, quæ amabat eum, opponitur, nunc adolescens puellæ, cui, sorori periit frater, puellæ adolescens est interemptus: ita capiendum. Burm.

3. *Tamdiu ergo fuit quieta novercæ crudelitas.* Intelligit nequaquam antea quietam novercæ sævitiam fuisse: quæ suis mendaciis filiis ipsius infamiam conflaverit. Vide nostra ad argumentum. Huic autem periodo addenda interrogatio, qua indignatio patris mente concepta, rectius exprimatur. Scн.

Digitized by Google

XIII.

Medicus tyrannicida.

TYRANNICIDÆ PRÆMIUM. Tyrannus suspicatus sibi venenum datum ab eo medico, quem in arce habebat, torsit eum: ille pernegavit. Misit ad medicum civitatis: dixit datum illi ab illo venenum, sed se remedium daturum: dedit poculum, quo exhausto statim periit tyrannus: contendunt de præmio.

PRO MEDICO ARCIS.

Absit, sanctissimi judices, ut hanc vos fidem tyrannicidii [1] detrahatis, quam et medicus confirmaverit et tyrannus. Confingunt nocendi voluntatem, postquam sanandi remedium perdiderunt [2]: pœnas meas hinc cogitate, in quibus nec ira, nec natura cessavit [3]. Tolera-

— *Pervenerit.* Francius volebat, *perveniret*, vel *pervenisset.* — *Modum non habet iracundia mentiendi.* Lege, *inverecundia.* SCHULT. Nihil muta: sed construe, *iracundia non habet modum mentiendi.* Ovid. Fast. V, 304: « Justum præterit ira « modum. » BURM.

1. *Tyrannicidii. Tyrannicidio*, Schult. et Francius.

2. *Sanandi remedium perdiderunt.* In voce maxime vulgari singulare quid se offert apud hos auctores: quod docebunt loca, quæ subjiciemus. Declam. I, de eo, qui accusabatur obtruncasse patrem, quum eodem tempore interficiendi novercam fuisset data copia, « Per- « didisti ergo illud (verba sunt ad « privignum) quod nihil senserat, « quod nox, quod silentium, quod « tempus supererat sceleris alte- « rius. » Decl. CCCXLIX: « Sed hoc « si palam indicaverit, perdet ar- « tem. » Adde supr. Declam. X; et Sen. Thyest. 1097. SCHULT.

3. *In quibus nec ira, nec natura cessavit. Ira* ad tortores et imperatoris crudelitatem, *natura* maxime ad ignes respicere videtur. Add. Declam. VII supr. SCHULT. Ego *naturam* refero ad ingenitam tyranno crudelitatem. *Iram*, quæ aucta et incensa fuit, et propter suspicionem veneni sibi dati vehementer mota, intelligo; deinde legam, *intolerabilis vis est*; vel, *nec tolerabilis*; vel, *tolerabilius est.* BURM.

Digitized by Google

bilis vis est, ubi ad consuetudinem mali, causa necessitatis emergit. Præmium consequetur[1], qui ausus est et confirmare meum venenum, et suum remedium polliceri? Ultio quidem illa, non quæstio: tyrannus venenum quæsivit? sed vindicavit[2]. O quam faciles gerunt persuasiones[3], illecebramque in contrarium transferunt! Ut virus serpebat interius, et artus[4] omnes longa pœnarum dilatione languebant, veneficium jam tyrannus agnoverat, quia instantem interitum sentiebat: festinans

1. *Consequitur.* Malim, *consequetur.* Pith. Transpositione et corruptione hæc laborant, et possunt ac debent hoc modo ordinari ac sanari: *Emergit. Ultio quidem illa non quæstio. Tyrannus venenum non quæsivit, sed vindicavit. Præmium consequetur, qui ausus est et confirmare meum venenum, et suum remedium polliceri? O quam faciles gerit persuasiones, illecebra quas in contrarium transfert!* Cogitavi et hoc modo: *O quam facile cedunt persuasiones, illecebraque in contrarium transferuntur!* potest et *vertunt.* Sensu semper eodem: significatur enim, primum facile medicum præmii spe induxisse animum ad opem ferendam tyranno; et nunc itidem facile traductum præmii itidem illius majoris et gloriosioris illecebra, ad præ se ferendum, quod tyrannum occiderit. Schult.

2. *Venenum quæsivit: sed vindicavit.* Aut scribendum: *Tyrannus venenum non quæsivit, sed vindicavit;* aut, *Tyrannus venenum quæsivit? Se vindicavit.* Quasi esset, immo se vindicavit. Gron. Forte legendum, *Tyrannus venenum non quæsivit, sed indicavit;* nullum medico debetur præmium, quasi ille primus venenum dedisset tyranno, qui jam confessus erat a me accepisse se venenum: non enim rogavit medicum, an venenum sibi esset datum, sed indicavit sponte: mox dicit, *veneficium tyrannus agnoverat.* Burm.

3. *O quam facile gerunt persuasiones.* Forte, *facile errant.* Gron. Secutus ista Obrechtus, sed legam: *O quam faciles gerunt persuasiones!* quod dictum, ut *iras gerere*, et *animum infirmum gerere;* Terent. Hecyr. III, 1: « Mixtum gaudio ac « metu animum gerere; » Livius, XXXII, 11: « Cupiditatem; » Just. XVII, 1: « Desideria; » Quint. Decl. X: « Gerere rixas; » Catul. LXVII; ubi vide Voss. et similia obvia; ubi pro *habere* sumendum est, vid. ad Phædr. I, 13. Burm.

4. *Ut virus serpebat interius, et artus*, etc. Connecti melius languida hæc poterit oratio hujusmodi lectione: *Huic virus serpebat interius, et artus omnes non longa pœnarum dilatione languebant: veneficium jam tyrannus agnoverat*, etc. Schult. *Non longa* necesse est legi, propter *instantem interitum*, et deinde *festinans.*

Digitized by Google

medicum flagitabat. Unde venenum tam celeriter præparasti[1]? dicis forte : Major mihi dandi veneni fiebat occasio, quæ ex ipsius voluntate veniebat. Notum hoc genus mortis est[2], ut ex sensu priore, ad cuncta cautior sollicitudo procedat. Nonne jam apud tyrannum cuncta suspecta præsens formido faciebat? medicum tota arce clamabat[3]; quasi ego de tyrannicidio non negassem. In arce enecavimus : deseruit me venenum.

1. *Unde venenum tam celeriter præparasti?* Uno protelo ponam, ut hæc puto legenda : *Unde venenum tam celeriter præparasti? Dicis forte, major mihi dandi veneni fiebat occasio, quæ ex ipsius voluntate veniebat, et notum hoc genus mortis est. At ex sensu priorum ad cuncta cautior sollicitudo procedit.* Postrema in quibusdam sunt editionibus. Quum ponit, *notum hoc genus mortis est*, vult notum esse, qua ratione mors veneno inferatur. Ipsa etiam *mors* interdum est *mortiferum* quodcunque. Quintilianus Declam. XIII : « Paravit homo ne- « farius ante omnia tantum veneni, « quod posset et divitis hortis satis « esse, et linivit flores maleficis « succis, et in venenum mella con- « vertit. Sparsit omnibus floribus « mortem. » Ita et alibi Tacitus *exitium* pro veneno dixit. Nepos, Dione, et Quintilianus avus Declamat. CCCXLVI, *sopor* pro soporifero medicamento, eo exemplo, quo *odores* pro odoriferis pervulgatum est. Alter Quintilianus Declamat. XV, *odium* pro odii potione. Sch. Præparari satis citò potest venenum, si adsit : quare legerem, *parasti?* tu qui in arcem vocatus deprehendebas venenum a me datum, unde tam cito tibi parasti venenum? vel *parare* potest etiam, si quis malit, sumi pro *præparare :* ut Quintil. Declam. CCCLXXVIII : « Sic paro « venenum, ut deprehendas. » Bur.

2. *Mortis est.* Malim, *moris.* Pith. Conjiciebam : *Notum hoc genus timoris est.* Gronov. Puto scripsisse auctorem, *notum hoc genus morbi est.* Vid. Pith. ad Quint. Declamat. CCLII. Ita ipse Gronovius ad Decl. XIV, 2, legit, « hoc solum insana- « bile genus morbi est, » pro *mortis ;* et alibi hæ voces commutatæ : *timoris* edidit Obrechtus. Burm.

3. *Medicum tota arce clamavit.* Malim, *inclamavit :* quod Festus ita interpretatur, *convictis et maledictis insectatus est.* Plautus Cistellaria I, 1, 110 : « Si me absente « Alcesimarchus veniet, nolito acri- « ter eum inclamare : utut erga me « est meritus, mihi cordi est ta- « men. » Schult. Nihil muto ; nisi ut *clamabant* legam. Tyranni nempe satellites, clamabant tota arce medicum, id est, me, tamquam auctorem tyrannicidii ; medicum fecisse hoc scelus clamabant, quasi ego jam confessus essem, id est, non negassem, de tyrannicidio, quod indicabat ipse tyrannus. Burm. — *In arce enecavimus : deseruit*, etc. Declamatorium esset, et sensu integrum, *In arce enecavi : non de-*

Digitized by Google

XIV.

Abdicatus patrem liberans.

ADDICTUS FOENERATORI SERVIAT. ABDICATUS DE BONIS PATERNIS NIHIL HABEAT. LIBERTORUM BONA AD PATRONOS PERTINEANT. Quidam ex duobus liberis alterum abdicavit: [1] addictum postea creditori patrem redemit et manumisit: quo mortuo ambigunt de bonis, abdicatus jure patroni, et filius, qui in familia permansit.

PRO ABDICATO.

Equidem nec avarum me fuisse, nec impium docui: nam et redemi patrem, et manumisi. Abdicatus es, inquit: en, quem putes doluisse casum meum, filius dicit beneficio parentis se esse nutritum [2], ejus indulgentia libertatem civitatemque sortitum. At hæc ipsa patronus liberto suo contulit, quæ filius a parente per-

seruit me venenum; vel, *num deseruit me venenum?* sententia vividiore. SCHULT.

1. *Alterum abdicavit, addictum.* Lege, *abdicavit, abdicatus addictum.* GRON.

2. *Filius dicit beneficio parentis se esse nutritum*, etc. In his filii nomen opposite ad *abdicati* accipiendum: quomodo dein ead. hac Declam. « Sistitur venalis pater: « non festinat hic bonus filius? non « denique metuit, ne illum redimat « abdicatus? Filius incolumi digni- « tate non potuit explicare, quan- « tum abdicatus explicuit. » Mox ibidem: « Utinam licuisset addicto « exercere jus patrium! esset hic « abdicatus, hic filius. » De abdicatione, ultimo patriæ potestatis fulmine, apud Græcos plura Ærodius ad Declam. Quintil. CCLX, qua et in ipsa præclare ad rem pertinentia occurrunt. Porro hac in periodo argumentum filii adversus abdicatum hujusmodi est: si beneficio parentis sum nutritus, illiusque indulgentia libertatem sortitus et civitatem, ergo verisimile est, quod mihi sua relinquere bona voluerit: nec dubium est, quin illius pro me propensa fuerit, et nunc faciat voluntas; cujus præcipue hoc in negotio habenda est ratio. SCHULT.

Digitized by Google

cepit: perinde [1] beneficium hereditatis filio datur, patrono redditur. Addictus nunquam sperat libertatem: negligenter enim et contumaciter servit, qui servire non novit. Quid mihi abdicatorum objicies legem? ego, si quasi filius experirer, merito ut abdicatus expellerer. Utor patroni actione, non filii: quid enim? si non esset manumissus, peculium servi mei peteres? Specta defuncti conditionem, quæ fuit mortis tempore, non quæ aliquando præcessit. Sistitur venalis pater, non [2] festinat hic bonus filius? non denique metuit, ne illum redimat abdicatus? filius incolumi dignitate non potuit explicare [3], quantum abdicatus explicuit. Quoties se pater

1. *Perinde. Proinde beneficium hereditatis filio datur, patrono redditur.* Pith. Lego, *perinde ut beneficium*: aut *proinde* pro *igitur* legendum: quo usu frequens est. Schult. *Proinde* edidit Obrecht.

2. *Non festinat.* Vel legendum, *num*, vel delendæ interrogationis notæ. Gronov.

3. *Filius incolumi dignitate non potuit explicare*, etc. Incolumem dignitatem hic isti filio pronunciat, quod abdicationis ignominia non est notatus: Quintilianus Declam. CCLX de abdicatis: « Illud parum « est notari infamia? illud parum « est, exsulem esse domus suæ, la- « rium suorum? » Nepos de Themistocle illius in vita ad initium: « Quum minus probatus esset pa- « rentibus, quod liberius vivebat, « et rem familiarem negligebat, a « patre exheredatus est. » Ubi exheredatum pro abdicato posuit: quo exemplo etiam Quintil. Decl. CCCXXXVIII: « Nec invenire po- « terat ullum crimen in vita, quo « abdicaretur: inventum est novum « exheredandi genus. » Adde Declam. CCCLXXIV, unde causa patet, quare hæc confuderint. Dionys. Halic. II, 27, de Græcorum legibus et legumlatoribus: « Pœnas etiam « in contumaces filios statuerunt « non graves, permittentes patribus « domo eos pellere, atque exhere- « dare; præterea nihil. » Totum hoc caput Dionysii si quis videat, intelliget, quomodo et paternæ opes potuerint esse consumptæ (vide fin. Decl.) et ratione tamen huic filio objicere abdicatus, quod non redemerit patrem. Nempe non ut Romanorum, ita et Græcorum consuetudine, quorum ad respublicas retorquendus hic est animus, ubi de abdicatione agitur, filiorum habentia intelligebatur nulla, quin et parentum esset: nec continuo si ad paupertatem redigerentur parentes, eodem decidebant filii. Alia plane Græcis suos in liberos, eorumque in bona, potestas fuit. Quamquam inconsiderate satis contrarium Gothofredus statuat ad l. 3, D. de His qui sui vel alien. jur. sunt,

Digitized by Google

pœnitere confessus est? quoties de hujus [1]simplicitate conquestus? utinam licuisset addicto exercere jus patrium! esset hic abdicatus, hic filius. Bona ipsa meo sunt labore quæsita, unde senex testari noluit, ne mihi quasi suum relinqueret, quod meum sciret. Tu illud prius consumpsisti patrimonium, illud amplum, illud quod vobis parabatur[2] heredibus: ego postulo tenue, libertinum, quod vix sufficit ipsius funeri: hic enim quando sepeliet jacentem, qui noluit redimere venalem?

XV.

Ter fortis desertor.

DESERTOR CAPITE PUNIATUR. TER VIR FORTIS MILITIA VACET. PRÆMIUM VICTOR IMPERATOR ACCIPIAT. Ter virum fortem imperator coegit ad bellum: coactus deseruit: imperator præmio impunitatem desertoris petit: desertor contradicit.

PRO DESERTORE.

Æquo animo imperator ferat, si quem virum fortem

usus auctoritate Dionysii: cujus libro, quem allegat, jura Græcorum et Romanorum in liberos diversissima fuisse, discere potuisset. SCH. — *Explicare.* Id est, pecuniam corradere, quod « expedire pecunias » dixit Suet. Cæs. IV. Vide ad Phædr. Fab. I, 16. Ita « explicare pecu- « nias, » l. XXXI, ff. de re judic. et passim. « Explicare fidem, » Quint. Decl. CCCXI. BURM.

1. *Quoties de hujus simplicitate conquestus?* Puto, *sua* legendum. Conqueritur, quod criminationibus filii credulus temere fuerit. SCHULT.

2. *Illud quod vobis parabatur.* Lege: *quod duobus parabatur heredibus.* GRON. Lege, *duobus.* Simile mendum est Declam. CCCLXIV: « Etiamsi forma judicii unius est, « apparet tamen vobis cum legibus « esse litem. Quæro igitur ab istis, « utram eligant, in qua malint con- « sistere. » Legebam: « duabus cum « mulieribus esse litem. Quæro igi- « tur ab istis, utram eligant, cum « qua malint consistere. » SCHULT. Vide Quint. Decl. I, 10. — *Quando sepeliet.* Forte, *quomodo*: ut Decl. IX, in principio.

Digitized by Google

senserat obsequentem [1], desertorem videat contumacem? nec pœnam possum recusare post culpam, nec veniam sustinere post gloriam. Miserum me, cujus nec infamia potest latere, nec gloria: non ante rempublicam, quam me ipse deserui; armis et telis honestissimum corpus oneravi; et, quod non sine piaculo factum est, consecrata jamdudum arma deposui [3]. Sto et pugno pro

1. *Obsequentem.* Atqui coegerat eum ad bellum: quare puto addendam negationem, *senserat non obsequentem:* nisi dicamus coactum quidem militasse, sed dum militaret, obsequentem fuisse, donec desereret. Burm.

2. *Nec veniam sustinere post gloriam.* Tamquam de onere loquitur. Nempe vel in suspicionem mali facinoris adduci, grave est probis. Unde et apud Plaut. « stupri suspicionem sustinere. » Seneca Hippolyto 126: « Probris omne Phœbeum genus onerat nefandis. » Senex vero, si sibi veniam dari pateretur, criminis culpam agnosceret: quam cum omni facti invidia transmovere in imperatorem studet, qui ipsum senem et immunem militia ad bellum et infuscandam gloriam coegerat. Sch. Quint. Decl. CCCXXIX: « Gravissima illa « tempora, quæ diu passi sumus, « sustineremus. » Ita Cic. ad Fam. VI, 6: « Quia non putat se sustinere causas posse multorum; » ad Verr. III, 25: « Cujus mortis « causam fugitivi sustinent. » Verr. V, 39: « Tantum hoc crimen sustinere se nullo modo posse. » Phædrus, III, 8: « Nec gloriantis sustinet fratris jocos. » Burm.

3. *Consecrata jamdudum arma deposui.* Manifeste respicit ad ritum, quo post desitam aut artem, aut militiam, arma, instrumenta, consecrabant. Igitur Horatius se emeritæ militiæ amatorem demonstraturus, lib. III, od. 26: « Vixi « puellis nuper idoneus. Et militavi « non sine gloria: Nunc arma de- « functumque bello Barbiton hic « paries habebit; Lævum marinæ « qui Veneris latus custodit: hic « hic ponite lucida Funalia, et vec- « tes, et arcus Oppositis foribus mi- « naces. » Virg. Ecl. VII, 24; et Pers. Satira II, 70; et ibi Casaubonus addendus; ut et Turneb. Advers. VI, 9. Sed quid vult sibi illud *deposuit?* Cogitabam *opposui.* Deinde venit in mentem, *de poste sumpsi.* Plautus Trinum. I, 2, 108: « Mihi « quod credideris, sumes, ubi po- « sueris. » Milit. II, 2, 79, in re simili, « salva sumes indidem. » Porro arma maxime postibus suspendebant apud templa. Horatius, Epist. lib. I, 1: « Vejanius armis « Herculis ad postem fixis, latet « abditus agro. » Virg. Æn. I, 252: « armaque fixit Troia. » Ubi Servius: « quasi non necessaria con- « secravit. Figere enim consecrare « hic debemus accipere; ut, Posti- « bus adversis figo. » Et « hoc signi- « ficat, securus est, quia solent « missi militia sive gladiatura qui- « buslibet templis arma suspende-

Digitized by Google

legibus[1]: aliter enim fortiter facere jam in hac ætate non possum. Grata sunt et crimina desertoris[2], apud quem nihil valuerunt privilegia viri fortis. Novum genus damnationis[3]: ignoscere vos nolo: cur enim dubitem per infamiam senex emori, qui etiam juvenis optavi sæpe gloriam?

« re. » Mihi aliæ ad hunc locum conjecturæ nondum succurrunt: quamquam fateor posteriorem satis audacem esse. Schult. *Deposui* explico, iterum posui arma, quæ antea consecraveram, et coactus militare detraxeram loco sacro; nunc vero desertor illis non usus sum contra hostem, sed deposui: piaculum autem in eo erat, quod consecrata detraxerat: vel posset etiam legi, *reposui*, id est, quæ ante detraxi, quod non sine piaculo factum est, iterum fixi ad postes templorum; consecravi denuo: *reponere* enim, præterquam quod sit ablatum suo loco iterum aliquid ponere, etiam consecrare notat: ut apud Valer. Flac. II, 286: « Thetidi Glaucoque « repostam ratem » legimus. Ita accommodate ad hunc virum fortem, et emeritum Virgil. Æn. V, 484: « Hic victor cæstus artemque re- « pono. » Et ita alii. Hunc vero sensum affirmant sequentia: nam sto in judicio, pugno pro legibus forensi certamine: aliter enim fortiter facere senex non possum. Burm.

1. *Sto et pugno pro legibus.* Nec sequi cæteros in hostem invadentes, senio fessus ac tardus, possum: ita desertor sum factus. Sch.

2. *Grata sunt et crimina desertoris*, etc. Lege, *ei*. Pith. Scribe, *Grata sunt ei crimina desertoris, apud quem nihil valuerunt privilegia viri fortis.* Quare quum is juris et legum rationem habeat nullam, nihil mihi ab illo dari veniam curo, imo deprecor. Schult.

3. *Novum genus damnationis.* Ubi damnatus contendit, ne sibi remittatur supplicium, et precibus innitiţur, ut id sibi irrogetur. Sch. — *Cur enim dubitem per infamiam*, etc. Rescribendum, *post infamiam*, et mox, *qui etiam id juvenis optavi sæpe post gloriam.* Causa, quamobrem emori juvenis optaverit post gloriam, est in illo Terentiano Eun. III, 5, 2: « Proh « Jupiter! Nunc est profecto inter- « fici quum perpeti me possum, « Ne hoc gaudium contaminet vita « ægritudine aliqua. » Schult. — *Sæpe gloriam.* Lego, *sæpe per gloriam.* Pith. Et ita edidit Obrechtus meliori sensu.

Digitized by Google

XVI.

Rapta tacens.

LEX RAPTARUM. Rapta producta ad magistratus, tacuit et flevit: magistratus de raptore supplicium sumpsit: puella se interemit. Reus est magistratus, quod causa mortis fuerit.

CONTRA MAGISTRATUM.

Reum cædis unius arcesso, qui duos pariter occidit. Aditus huic reo misericordiæ clausus est: quid enim sperare poterit[1] a lacrimis? juvenis etiam facies liberalis, qualem nemo non sibi aut filium optat, aut generum? is quum puellæ peteret nuptias, et diu peteret; et jam sperare cœpisset, festinavit ut amator: et quid dicam, rapuit, an duxit? Virgo, quod solum potuit, nihil questa est: quis non inhorruit, quis tecum, puella, non flevit? Dicat nunc: libuit et licuit[2]: cujus hæc, an regis,

1. *Quid enim sperare poterit*, etc. Obscuritas his nata maxime a distinctionibus pravis. Perspicua satis erunt omnia, si ita habeant, *quid enim sperare poterit a lacrymis? Juvenis, etiam facie* (non animo tantum) *liberalis, qualem nemo non sibi aut filium optaret, aut generum; is quum puellæ peteret nuptias, ac diu peteret, et jam sperare cœpisset, festinavit, ut amator, et quid dicam rapuit, an duxit?* Nec tamen exprimit magistratum hunc, nihil motum lacrymis, eum juvenem summo affecisse supplicio; sed tantum significat; quasi in hoc atrocitas rei includat vocem. SCHULT. — *Juvenis etiam facies liberalis.* Lege, *juvenis etiam facie liberali, qualem nemo non sibi aut filium optet, aut generum, is, quum puellæ peteret nuptias, et diu peteret, et jam sperare cœpisset, festinavit, ut amator*, etc. Τὸ *is* eleganter et ex more veterum σαρίλλως. GRON.

2. *Libuit et licuit. Cujus hæc an regis oratio est?* Sensus erit, *cujus hæc, nisi regis oratio est?* Odiosum autem Romanis libera republica non minus regum nomen, quam

Digitized by Google

oratio est? nec erat arbiter judicii sui, sed minister alieni. Tacuit, inquam: o mira et muta sententia? omnes sciunt lacrymas ex uno misericordiæ fonte manare, in amore vel maxime: nam iisdem oculis, quibus amatur, et fletur. Miser ille[1], quem nullo accusatore pu-

tyrannorum. Latinus Pacatus in Paneg. cap. 20: « Ejusque (superbiæ) « impatientia sint coacti post bel- « latores Tullos, Numasque sacri- « ficos, et Romulos conditores re- « gnum usque ad nomen odisse. » Quintilianus propterea Declamat. CCCXC, *regnum et tyrannidem* junxisse videtur. Verba sunt: « Po- « testatem tibi vitæ ac necis lex de- « dit. Ultra regnum omne, ultra « tyrannidem omnem est, hoc diu « licere. » Cæteroquin si rem putemus, satis magna inter reges et tyrannos intercedit differentia. Illi enim ita judicant; suum esse, quamquam legibus soluti sint, legibus tamen vivere: hi prius nimium cogitant, negligunt posterius, eoque ad immoderata et iniquissima omnia transeunt. Rex scit, quod libet, id sibi licere: tyrannus nimis avide id jus exercet. Ita detestabile illud nomen in justo populorum odio adsciscitur. Etenim, quamvis non minus recte statuatur, quod libet, id iis licere, quam summa illos et absoluta in omnes et omnia sui regni potestate præditos vivere; non continuo tamen et justum erit, quidquid fecerint. Licere enim tantum impunitatem tribuit. Igitur Claudianus, imperatorem informans, præclare: « Nec tibi quid li- « ceat, sed quid fecisse decebit, « Occurrat, mentemque domet res- « pectus honesti. » Inde et Cicero pro Rabirio Postumo judices sic alloquitur: « Quid deceat vos, non, « quantum liceat vobis, spectare « debetis: si enim, quod liceat, « quæritis, potestis tollere e civita- « te, quem vultis. » Seneca Controvers. IV: « An licuerit filio: an « vindicare oportuerit: an, si licuit « et oportuit, ignoscendum sit illi, « si non potuit, indulgentia repu- « gnante. » Vide Grot. de Jure belli et pacis III, 4, 2. Quare satis audacter Salmasio onomastix pro populo anglicano post initium, c. 2: « Etenim quidquid regi libet, id « jure regio licitum erit, quod te- « terrimus ille Antoninus non sta- « tim ausus est credere, nemo pro- « fecto est, aut unquam fuit, qui « tyrannus dici debeat. Quum enim « divina omnia atque humana vio- « larit, nihilo tamen minus rex, « jure regio insons erit. » Imo ille nefarius erit, tyrannus erit. Nec enim si impune ista commiserit, ideo et recte fecisse consequens est: quin et pœna et contumelia dignus merito habebitur: sed quærendus judex est. Schult. Francius legebat, *hujus hæc, an regis oratio est?* Mallem, *civis hæc, an regis oratio est? Cives* proprie qui non inciviliter se gerunt, nec tyrannidem affectant. Vide Heins. ad Vellei. Paterc. II, 31. Burm. Nil mutem; bene se habet vulgata. Ed. — *Nec erat arbiter judicii*, etc. Commodius, *non erat*. Schult.

1. *Miser ille, quem nullo accusatore punxisti.* Altera editio, *punsisti*; lege, *punivisti*. Schult.

Digitized by Google

nisti : miserior illa, quam te vindicare simulasti : quis te, oro, poterit aut liberare flentem, aut flere damnatum?

XVII.

Pædagogus cruciarius[1].

CIVITATEM PEREGRINUS USURPANS VENEAT. Pauper et dives inimici visi sunt in gratiam rediisse. Pauper accusatus peregrinitatis[2], venit : emit eum dives, et pædagogum filio dedit. Adolescens in adulterio deprehensus, occisus est : agitur pædagogus in crucem : appellat tribunos de injusto supplicio.

PRO PÆDAGOGO.

Equidem, judices, propitium mihi divitem semper optavi, totum me divitis fidei, et, antequam redimerer, addixi. Audio me subito peregrinum, quod nec pater ipse, nec mater aliquando prodiderat, nec denique unquam inimicus dives objecerat. Filio me, luxurioso jam et petulanti, dedit : quamvis[3] omnia et pater ipse curaret et regeret. Imploro auxilium, quod vestri majores servis etiam natis reliquerunt. Unum non est in servitute nasci, et libertate multari[4]. Statim credidisti

1. *Cruciarius.* Adde Declamat. XXIII ; Quintil. Decl. CCCLXXX ; et Senec. Decl. III, 9. ED.

2. *Accusatus peregrinitatis.* Ita Sueton. Claud. 15, « peregrinitatis « reus, » qui accusatur, quod gerat se pro cive, quum civis non sit. SCH.

3. *Dedit : quamvis. Dedit quamvis.* PITH.

4. *Libertate multari.* Sueton. Jul. initio, « gentilitiis hereditatibus « multatus. » Cui ademptæ illæ multæ nomine. At Florus II, 14 : « Ma- « cedoniam servitute multavit. » Ubi est species pro genere, et accipiendum, *punivit.* Cujusmodi locutio eo invaluit facilius, quod quondam pleræque pœnæ erant pecuniariæ. Quintil. Declam. CCCXX : « Nam « mihi ex hoc, quod plerisque cri- « minibus pecuniæ pœna impone- « batur, appellatio etiam ipsa dam-

Digitized by Google

fidum, et idoneum judicasti [1], sed non esse felicem jam tum scire potuisti. Occisus est, inquit, filius meus: si injuria, interfectorem argue; si jure, leges. Ego illum adulterum feci, credo, luxuria mea, servus novitius, et pauper, antequam servus: multa largiebaris, indulgebas omnia, nihil unquam [2] negabas.

« natio videtur. » In quibus *damnationis* legendum, aut pro *appellatio*, vel *appellata*, vel *appellari*. Porro illius, quem dixi, moris vestigium superest in istis locutionibus *solvere pœnam*, *dare pœnam*, *exigere pœnam* : quia solvendo, et dando multam, puniebantur; exigendo puniebant. Qua ratione Plautus, Menæch. III, 1, 9, « census « capere, » dixit pro *pignora* : quod censura ista multam capiendo exercebatur. Nam *census* pro *censura* positum, ut eidem *tonsus* pro *tonsura*, Amph. I, 1, 288. Eodem autem ex fonte, quem vidimus, fluxit illud Sueton. Octavio 21, *multare pœna*. Verba sunt : « Neque aut « crebrius, aut perfidiosius rebel- « lantes graviore unquam multatus « est pœna, quam ut captivos sub « lege venumdaret, ne in vicina re- « gione servirent, neve intra trige- « simum annum liberarentur. » Ubi tamen Casaubonus notat, in optimis esse quibusdam, *ultus est pœna*. Alioqui noverat vir summus, *multatus est* pro *multavit*, non esse mirandum. Quum tot similia principes apud auctores reperiantur; his, quæ collegerunt alii, unum forte possim addere. Gell. III, 2 : « Quin- « tum quoque Mucium jurisconsul- « tum dicere solitum legi, non esse « usurpatam mulierem, quæ kalen- « dis januariis apud virum causa « matrimonii, esse cœpisset, et ante « diem quartum kalendas januarias « sequentis usurpatum isset. » Ubi non incommode accipiatur, *usurpatam* esse, pro *usurpavisse* positum, id est, usucapionem interrupisse. Paul. l. 2, Gajus l. 5, D. de Usurp. et Usucap. Nisi quis putet legendum *usurpatum isse*, hoc sensu, quo jurisconsulti statuunt eos nihil agere aut egisse, nihil facere aut fecisse, quorum actus jure nulli sunt. Inst. tit. qui et a quib. caus. man. princ. « Nam is, qui in « fraudem creditorum manumittit, « nihil agit : quia lex Ælia Sentia « impedit libertatem. » l. un. D. quando dies ususfruct. leg. Denique Scævola ait, agentem ante diem ususfructus nihil facere, quamvis alias, qui ante diem agit, male agit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. SCHULT.

1. *Idoneum judicasti*. Declamat. CCCLXXVI : « Abdicat tam cito? si « non eram idoneus, non eram re- « cipiendus. » SCHULT.

2. *Nihil unquam negabas*. Ita tua indulgentia, non mea negligentia, aut exemplis meis pravis præceptisve corruptus est. SCHULT.

Digitized by Google

XVIII.

Armati abdicati.

Abdicati ad curiam convenerunt armati, petentes revocari. Unus ex patribus contradixit: filius ejus se interemit. Idem suadet, ut recipiantur.

PRO ABDICATIS.

Peto, ut indulgeatis iræ domesticæ [1], quum me videatis publice pœnitere sententiæ: nam sicut in vita nunquam errare, felicis est; ita errorem quamprimum emendare, sapientis: parentum illa deliberatio fuit, hæc jam cunctatio parricidarum [2] est. Ætate lapsi sumus, egestate correcti: in hoc vos exoramus loco, in quo etiam hostes superati non frustra supplicaverunt. Ergo ille tristis [3], et sævus, quum abdicarem, tamen fui, et sem-

1. *Puto, ut indulgeatis iræ domesticæ.* Serv. Virg. Æn. IV ad illa, *Indulge hospitio.* « Indulge, inquit, « da operam: » ut, « indulgent vi- « no, et vertunt crateras ahenos. » Quod et hic locum habet. Nam quid est indulgere iræ, nisi illi quasi operam dare, illi animo addictum et volentem esse? Sed inde patet, emendandum esse, *Peto, ne indulgeatis iræ domesticæ.* Vult enim ne amplius infensi sint filiis, quos abdicaverant. SCHULT. — *Publice.* Malim, *publicæ.* PITH. Ita edidit Obr.

2. *Cunctatio parricidarum.* Quia parricidium committimus, dum cunctatione nostra filios ad mortem adigimus. SCHULT. — *Ætate lapsi sumus.* Lege, *sunt.* SCHULT.

3. *Ergo ille tristis.* Scribe: *Ego ille tristis et sævus, quum abdicarem, tamen flevi.* GRON. Turbata hæc sunt, et hoc ordine ponenda, *Ego ipse tristis et sævus, quum abdicarem, fui; et tamen semper ex eo, licet tacitus, ingemui: et opportunum jus* (an *tempus?*) *restitutionis optavi. Restituat vobis filios auctoritas publica, tamquam alia natura.* SCHULT. *Ego ille* mutari nolim: respicere enim ad illa Demeæ verba apud Terent. Adelph. V, 4, videtur: « Ego ille agrestis, « sævus, tristis, parcus, truculen-

Digitized by Google

per ex eo, licet tacitus, ingemui, et opportunum jus restitutionis optavi. Restituet vobis filios auctoritas publica, tamquam alia natura. Vereor jam, patres conscripti, ne sapientior videatur et certior ille abdicatorum senatus[1]. Fateor, armatorum facie non immerito *, terremur enim sua morte. Quemadmodum possum te, fili carissime, vel in morte revocabo, inferam majorum sepulcris, et elogio, quod optasti, nomen[2] inscribam.

« tus, tenax, etc. » Ita et *ille ego*, de quo ad Decl. CCCLXXII. Malim vero legere: *ego ille tristis et sævus quum abdicarem, pater tamen fui*, etc. servavi, licet non profiterer, animum paternum. Posset et excidisse vox, et legi, *lacrymas tamen fudi. Flevi* recepit Obr. Burm.

1. *Abdicatorum senatus.* Plaut. Mostell. V, 1, 8: « Capio consilium, « ut senatum congerronum convo- « cem. » Schult. — *Non immerito*, terremur enim.* Forte: *Fateor armatorum facie non immerito terremur. Terrent et sua morte.* Gron. Locus haud dubie affectus. Conjeci: *Fateor, armatorum facie non immerito terremur: etenim sunt morituri.* Ut hoc dixerit ad movendos terrore patres, quibus desperata filiorum ab audacia immineret periculum, quo filii quidem haud dubie, forte vero et ipsi essent interituri. Flor. II, 18: « Non est per- « missa pugna morituris. » Schult.

2. *Et elogio quod optasti, nomen inscribam.* Cohærebunt, si scribas, *et elogium, quod optasti, et nomen inscribam. Quod optasti*, dum scilicet revocari postulas. Sch. Vulgata servata, hic sensus est: elogio, vel titulo sepulcrali inscribam meum quoque nomen, ut appareat me, licet abdicaverim te, patrem tamen tuum fuisse: Nam more græco, quia cognominibus carebant filii, patris nomen addebant, ut *Cimon Miltiadis*, etc. Ita licet per abdicationem videaris jus nominis paterni perdidisse, legeris tamen in sepulcro meus filius. Et hoc moris in sepulcris fuisse docet Just. III, 6, ubi milites « de sepul- « tura solliciti, tesseras insculptis « suis et patrum nominibus, dextro « brachio deligant. » Et ita uxores mariti nomen titulo inscribebant: quod non videtur factum, si post mortem mariti pudicitiam violassent: unde Dido apud Ovid. Epist. VII, 193: « Nec, consumpta rogis, « inscribar, Elissa Sichæi. » Quia Æneæ se prostituerat, pudore et conscientia admissi mota, se non audebat Sichæi uxorem profiteri: idem ergo moris in abdicatis fuisse credibile est; quia illi, ut seq. Declamatione, patrem non habere fingebantur. Burm. — Elogium h. l. titulus est, seu inscriptio.

Digitized by Google

XIX.

Abdicatus immolandus.

In pestilentia responsum est finem futurum immolato eo, qui patrem non haberet: offert se abdicatus. Qui abdicavit, contradixit.

PRO ABDICATO.

Amplexus sum mortem usque adhuc necessariam, nunc etiam gloriosam. Mori prohibes, et intervenis, quo minus spiritum, quem fortunæ meæ debeo [1], patriæ profundam [2]. Quoties te video, toties scio me patrem non habere.

1. *Spiritum, quem fortunæ meæ debeo.* Quia abdicationis ignominia abs te sum notatus. Non dicit *naturæ*, quippe juvenis adhuc. Ita et Dido apud principem poetarum: « Vixi, et, quem dederat cursum « fortuna, peregi. » In quibus *cursus*, ut prætereundo hoc dicam, exemplo Theocriti Idyll. 18, vers. 22, ponitur. *Fortunæ* vero dicitur, ut natura hoc fieri negetur. Cic. in Philipp. « Multa mihi imminere vi- « debantur præter naturam, præ- « terque fatum: » ubi *natura* et *fatum* casus excludunt fortuitos. Nam *fatum* intelligendum in istis, quod *denunciativum* gentiles appellaverunt. Theologi Christiani decretum Dei *absolutum* solent dicere: quorum nonnulli vehementissime propugnant ab eo diversum, quod conditionatum nominant; *conditionale* antiqui verorum sacrorum expertes. Vid. Serv. ad Æn. IV, 696. Observare autem licet, quum de utroque fato loquuntur, quod fatum denunciativum κατ' ἐξοχὴν appellent fatum; alterum vix nominent, sed rei significent nomine, quæ illo continetur. Et præterea hoc ad fatum, quod illius ingenio convenit, casus fortuitos referunt. Exemplis id demonstrari potest. Tacit. Ann. I, 3: « Caium remeantem Arme- « nia, et vulnere invalidum mors « fato propera, vel novercæ Liviæ « dolus abstulit. » Florus I, 13: « Hinc sive invidia deum, sive fato, « rapidissimus procurrentis imperii « cursus parumper Gallorum Seno- « num incursione supprimitur. » Justin. IX, 8, de Philippo: « Ha- « buit et alios multos ex variis ma- « trimoniis regio more susceptos, « qui partim fato, partim ferro pe- « riere. » Schult.

2. *Patriæ profundam.* Id est, illius in honorem. Notum est passim

Digitized by Google

XX.

Prostitutus ex geminis.

Ex duobus geminis alter prostat, reddit alter in senatu causas mortis voluntariæ.

PRO FRATRE MORITURO.

Utinam quidem, patres conscripti, mori vellet frater! omini verecundo, cui necesse est[1], ut ea de germano

illo casu honorem exprimi. Senec. Trag. Troad. 117: «Tibi nostra ferit « dextra lacertos, Humerosque fe- « rit tibi sanguineos, Tibi nostra « caput dextera pulsat. Tibi mater- « nis ubera palmis Laniata jacent.» Patriæ autem honoris gratia, et propter patriam, eodem recidunt. Quod notum est iis, qui Plautinos lepores degustaverunt. Inde Sulpicia in satyra sua, « ... Summa ty- « ranno Hæc instant odia, et nostro « periturus honore est;» Id est, propter nos. Dictum, ut apud Curtium, « Non luxuria laboramus, « sed bello.» Seneca Suas. 7: « Non « laudabo municipem nostrum bo- « no versu.» Schult. Ita *patriæ vincere*, Justin. II, et passim alii. Est vero imitatus declamator Vell. qui lib. II, 35, dixit de Catil. « For- « tissime dimicans quem spiritum « supplicio debuerat, prælio reddi- « dit.» Et ita ille etiam alibi. Burm.

1. *Homini verecundo, cui necesse est*, etc. Lege, *Homini verecundo mihi necesse est, ut ea de germano meo dicam, quæ, ante habeo perire, ne videam.* Quum autem hanc Declamationem accuratius considero, facile induco animum, ut credam, hanc Declamationem non ab eodem fluxisse ingenio, a quo harum pleræque. Inter Declamationes quoque, quæ avo Quintiliano inscribuntur, aliorum nonnullæ esse videntur. In quo si quis dubitet, is mihi eas videat, quæ Declamation. CCCLXXI subsequuntur. Schult. Forte, *Homini verecundo cur necesse est*, etc. Ita contra *cur* in *cui* mutavimus supra Decl. XII, et solent confundi. Vel, *mori vellet frater homini verecundo, cui*, etc. quod posset explicari in gratiam meam, mea causa et utilitate. Ita *perire alicui* etiam supra Decl. XII, occurrit. Et Declamat. præcedenti: Pa- « triæ spiritum profundere.» Quintus Curtius VI, 11: « Non enim « sibi, sed hosti occisuros esse « Alexandrum.» Burm.

Digitized by Google

meo dicam, quæ tanti habeo perire, ne videam. Nostis nos, patres conscripti: etenim pluribus noti sumus, quam et ætas et verecundia postulat. Raptus est mihi frater pessimis[1] comitibus et perditis: duce namque luxuria et subremigante, seu potius velificante, nequitia in illos impudicitiæ scopulos, et ipsa famæ suæ naufragia delatus. Proh deum atque hominum fidem! qua in civitate prostitui licet, mori non licet? an utrumque congruere æstimastis huic ordini, et vitam turpem permittere[2], et ab honesta morte prohibere? Vivere non sustinerem, si hæc in mea vel sorore vidissem. Improbi flagitatores, qui detrimenta pueritiæ suæ mutuo dedecore compensant.

1. *Frater pessimis.* Utique *a pessimis.* Gron. Recepit hoc Obrechtus: verum ego nihil muto: raptus es mihi, id est, a me invito discessisti, ut morientes ante diem rapiuntur, pessimis te comitantibus et perditis nebulonibus. Ita, licet non plane eodem sensu, Ovid. Ep. XIII, 9: « Raptus es hinc præceps. » Ubi et de navigatione, ad quam hic alludit declamator. Burm. — *Subremigante.* Explicat Græcorum verbum ὑπηρετεῖν, unde ὑπηρεταὶ ministri et adjutores. — *Ipsa famæ suæ naufragia. Tuæ* legendum. Sch. Sed tum et *raptus es* legendum mihi videtur.

2. *Promittere.* Legendum, *permittere.* Pith. — *Si hæc in mea vel sorore vidissem.* Quod tantum libidinis, quum istud sit impudicitiæ. Quomodo distinguit Sueton. Octavio, 71: « Infamiam impudicitiæ « facillime refutavit. » Mox: « Circa « libidines hæsit. » Quod jam ab aliis observatum. Vocabulis distinxerunt, quæ rebus erant disjunctissima. Impudicitia etiam gladio puniebatur, quam et doctor gentium detestatur, epistola ad Romanos, cap. 1. Libidines vero non ita gravibus obnoxiæ erant pœnis, nisi in viris, qui stuprarent. Vid. Inst. de publicis judiciis, §. 4, ubi exponitur, quid cautum sit lege Cornelia de adulteriis: quam Sueton. vita eadem, cap. 34, legem de *adulteriis*, et de *pudicitia* videtur appellasse; quæ sententia est verisimillima Torrentii, quam loco Institut. citato stabilit. Schult. — *Mutuo.* Vid. ad Petron. LXXXI.

Digitized by Google

XXI.

Pictura viri fortis.

VIRORUM FORTIUM FACTA PINGANTUR. VIRI FORTES DE PRÆMIO ARMIS CONTENDANT. Fratres fortiter fecerunt: pater a minore petit, ut majori cederet: non impetravit. Prælio interficit majorem minor. Petit præmio, ne facta pingantur. Pater contradicit.

CONTRA FILIUM.

Si quid precibus contra filium meum possem, domi monere, quam publice maluissem. Nihil audeo filio dicere[1] quam quod ab ipso nuper audivi; leges uti valeant, quam quidquam mali facere[2]. Cede fratri, cede vel patri, victor eris, mihi crede, si cesseris. Didici salvis legibus parricidium posse committi[3]: cætera jam non sunt narranda, pingenda sunt. Vana et inepta formido est, videre non posse, quod feceris, et colorem timere, quod per sanguinem*[4]; simuletur hoc fac-

1. *Nihil audeo filio dicere.* An quia parricidiales illius metuit manus? an vero *habeo* in his fuit. Vid. Gronov. ad Controv. Sen. I fin. SCH.

2. *Quam quidquam mali faceret,* etc. Vitiosissima hæc, et quibus succurrere non possum, si istas solas voces adhibeam in consilium; sed sensus hoc aut simile flagitare videtur, *Nihil habeo filio dicere, quam quod ab ipso nuper audivi, leges uti valeant: quum nequicquam mali faceret, dicerem, cede fratri,* etc. SCHULT. — *Cede vel patri.* Francius legebat, *cede velut patri.*

3. *Parricidium posse committi,* etc. Hæc quoque corrupta et sic refingenda, *Didici salvis legibus parricidia posse committi. Cæterum jam non sunt patranda; pingenda sunt.* SCHULT.

4. *Per sanguinem.* Hic adjici debet asteriscus *, qui corruptum locum notaret, et ex edit. Bip. posuimus. ED. Diu quis laborabit, priusquam exputet, quid hæc sibi velint. Restituta sensum habebunt:

Digitized by Google

tum, non tantum colore, sed ære, si possit, et lapide, et quacumque corporum nostrorum materia vel [1] ars æmulata est. Infecta quemadmodum possunt esse, quæ facta sunt? picta quidem interim non sunt, sed in omnibus pectoribus incisa sunt: in oculis, in animis, in ipsis denique tuis manibus. Tu victoria clarus es, ille innocentia.

XXII.

Privignus tyrannicida.

TYRANNICIDÆ PRÆMIUM. PRÆMIO CEDERE LICEAT. Qui novercam habebat, occidit tyrannum: cessit novercæ præmio: illa privigni nuptias petit. Contendunt, quis contradicat, maritus, an privignus.

PRO MARITO.

Cum suo parente contendit, ut mihi videatur melior adhuc privignus esse, quam filius: cœpit et hic me sic habere despectui [2], ut qui novercæ beneficium se dedisse

veluti si sic rescribatur, *et colorem timere. Quid si per sanguinem similetur hoc factum, non tantum colore? sed et ære si possit et lapide, et quacunque corpora nostra materia ars æmulata est? Infecta*, etc. Sic *corporum nostrorum* est retinendum, *similitudinem* aliudve illi significatione cognatum exciderit. SCHULT. *Et colorem timere super sanguinem. Simuletur hoc factum, n. t. c. s. æ. s. p. e. l. et quæcunque corporum nostrorum m. v. a. æ. est*, Obr. Forte, *et colorem timere, non vereri sanguinem. Simuletur h.* etc. vel, *non stupere sanguinem*: nam et stupere *rem* dici notum et obvium est. BURM.

1. *Corporum nostrorum materia vel ars.* Fortassis: *et lapide, et quacunque materia corporum nostrorum fila ars imitata est.* Lucretianum *fila corporum*. GRON. Nimis hoc eruditum est: excidisse puto aliqua, et legendum, *et quacunque corporum nostrorum habitum materia natura vel ars æmulata est. Natura* et *ars* passim opponuntur, et junguntur in his operibus, quæ ita demum perfecta sunt: ita millies poetæ et oratores. BURM.

2. *Cœpit et hic me sic habere des-*

Digitized by Google

lætatur, a me nec accipere dignetur. Ego primus in domo mea, fateor, erravi; qui uxorem duxi senex, quum jam esset in domo filius, et quidem juvenis: dum nimium confido pietati, oculos mulieris incestos, et infanda desideria nutrivi. Novercæ præmio cessit, quum haberet in domo patrem, cui nemo præferret in tali honore vel matrem. Non privignum ante [1] tentarat? quis, rogo, fructus est, impetrare nuptias hominis invicti? Uter vobis actor utilior videretur et verior, maritus an cælebs? filiusfamilias, an pater? senior, an juvenis? qui repudiatur, an qui præponitur? qui beneficium dedit, an qui accepit injuriam? mea uxor abducitur: tu quis es? meum cubile deseritur, ad te dolor iste quid pertinet? Ego, inquit, præmio cessi: tu ergo non potes revocare, quod dederis, eamque reprehen-

pectui. Hic, id est, in judicio. Forte autem pro *sic*, *sibi*; et mox, *me nec adspicere dignetur*. Sic autem *ut* pro *quod* in his sit positum, quo nihil pervulgatum magis in Declamationibus. Et in prima quidem Quintiliani junioris: « Ut heredem filium « scriberet, non est res, quæ im« putetur. » Ita enim ista distinguenda et legenda. Paulo post ead. « Jungunt his multo incredibiliora « ut occideret patrem, pepercerit « novercæ, etc. » Declamat. VIII: « Non potest hinc tibi venire defen« sio, ut hoc sis pro alterius salute « commenta. » Est et ejusdem Declam. initio. Alteri Quintiliano hanc voculam isto sensu placuisse patet ex Declam. CCLXVI, in Serm. et CCXCVI, quæ hac observatione non uno loco illustratur. Videatur ab initio Seneca Contr. I: « Leno« cinatur, inquam, gloriæ meæ, ut « videar etiam prohibitus aluisse. » Non infrequens est constructio. Scn.

1. *Non privignum tentarat*, etc. Malim, *Nisi privignum ante tentarat, quis, rogo, fructus est, impetrare nuptias hominis inviti?* Et in sequentibus: *At uter vobis actor utilior videtur, et verior, maritus, an cœlebs?* Est autem hæc Declamatio quædam divinationis species. Schult. Non mutarem illud *invicti*. Sensus enim est, novercam jam ante tentasse privignum, et illum victum illecebris cessisse præmio: nam nisi certa esset de privigni voluntate, quis fructus esset, optare et impetrare a judicibus nuptias hominis invicti, qui non posset adduci ad illas nuptias? ita passim *vinci* et *invicti*: ut Curt. VIII, 8: « Macedonas invictos cæteris, nec « auro quidem vinci. » Vid. ad Petron. cap. LV. *Invictum* vero et *invitum* confundi vidimus ad Quint. Declam. CCCLXXVII. Burm.

Digitized by Google

dere, quam paullo ante laudaveris. Cavendum tibi est, ne si victus, ut sunt judiciorum incerta, discesseris, dicaris judicio, quoque sic cessisse, quasi præmio: sic est livoris [1] ingenium: omnia suspicantur, qui nihil audiunt. Das amanti solatium: affers in amore [2] vel jurgium.

1. *Sic est livoris.* Francius legebat, *hoc est livoris ingenium.* — *Omnia suspicantur, qui nihil audiunt.* Videtur intercidisse *etiam*, ut fuerit, *etiam qui nihil audiunt:* nisi pro *qui*, *quamvis: quamvis nihil audiant.* Ita et Declam. XXVII. SCHULT. Non feliciter, ut puto, rem perspexit vir doctus: sensus est, homines qui in re infami nihil audiunt certum, nec possunt opinionem sibi confirmare, rumoribus vel levissimis obnoxios esse, et pejoribus commentis fidem adhibere, nempe fama « ficti pravique te« nax. » Æn. IV, 188. Nil igitur mutandum censeo. ED.

2. *Affers in amore vel jurgium.* Sensus aliquis est, *affers pro amore volens jurgium.* Quomodo Declamatione Quintil. CCLXXI: « Ubi « mihi vindicandi sunt fratres, et « duo fratres, non pugnabo? non « volens (*vel* nunc legitur) discri« men vitæ subibo? » Simile mendum insedit Decl. CCLXX, ubi sic editur: « Nunc illud utique inter « me et partem diversam conve« niat, necesse est, non posse eum « accusari, qui unus vel attulerit « mortem nocentis, si erit unus ex « his, de quibus paulo ante loque« bamur, vel accusator, vel testis, « vel judex, vel index. Quæ satis erunt clara et perspicua, si *unus* inducatur: quod ex sequentibus huc migravit: vel et pro *qui unus*, reponatur *quicunque* (sed prius magis placet) et porro legatur, *volens attulerit mortem nocenti.* Ita mirum nemini, aut temeritatis culpæ proximum debet videri, si hic ex *vel*, *volens* fecero. Cogitavi etiam, *qui inferre in amore velis jurgium. In amore* autem, ut Decl. XXVI: « Hos enim pueros in ipsis « sacris deum et altaribus educavi.» Quod per *inter* effert Justin. VI, 8, de Epaminonda loquens: « Ut mi« rabile videretur, unde tam insi« gnis militiæ scientia homini inter « litteras nato. » SCHULT.

Digitized by Google

XXIII.

Peregrinus[1], *cruciarius.*

CIVITATEM PEREGRINUS USURPANS, VENEAT. LICEAT IN MATRIBUS ADULTERIA VINDICARE, ET DE INJUSTO SUPPLICIO TRIBUNOS APPELLARE. Qui videbatur de civibus natus, quum absente patre eam, quæ mater videbatur[2], in adulterio deprehensam insequeretur armatus, ait illa, Non es meus: perseveravit et occidit. Postea judicio peregrinus pronunciatus, emptus est ab interfectæ patre: ab eodem agitur in crucem. Reversus peregre is, qui videbatur[3], appellat tribunos de injusto supplicio.

PRO PEREGRINO.

Vix dum reversus in patriam, si tamen hanc adversarii vel meam patriam[4] esse contendunt, parabam, tribuni, cognito filii mei casu, appellare vos de injusto supplicio servitutis: sed quatenus socer sævit, ut nec generum[5] vellet agnoscere, nec nepotem, det et mihi

1. *Peregrinus.* Adde Decl. XVII, ubi vide.

2. *Eam quæ mater videbatur.* Quia matrimonium non intelligitur, nec justus pater, aut mater justa, nisi sint cives, qui nuptias contraxerint. Naturalia tamen jura nihilo secius tenent. SCHULT.

3. *Reversus peregre, is, qui videbatur.* Lege, *qui civis videbatur.* SCHULT. Malim, *qui pater videbatur*, nam *absente patre* mox dixit; et ille homini, de se bene merito, qui injuriam mariti morte adulteræ uxoris vindicaverat, opem ferendi munus legitimum fungebatur. ED.

4. *Vel meam patriam.* Forte: *ni tamen hanc adversarii nec meam patriam esse contendunt.* GRON. — *Esse contendunt.* Fortassis melius, *concedunt.* PITH. Lege, *concedunt*: quod vidit et Pithœus; sed dubitat. SCHULT. Et ita Obrechtus edidit.

5. *Socer sævit, ut nec generum.* Lege: *quatenus socer sæviit, ut nec generum vellet agnoscere, nec nepotem.* Vel *sævit*, et *velit.* GRONOV. Non satis cohærent hæc superioribus. Rectius habebunt, si sit, *Scilicet quatenus socer sævit, ut nec generum velit agnoscere, nec nepotem, dabit et mihi veniam*, etc.

Digitized by Google

veniam doloris, si non desum filio, bene de me, bene de legibus merito, quum ipse vindictam quærat exigere filiæ, vel nocenti[1]. Hujus ego legibus[2] filiam duxi, eamque prægnantem simul vidimus, et uteri decem menses ambo numeravimus, et natum ex ea pignus accepimus. Sed, quum me necessitas peregrinationis abduceret, commendavi avo filium meum, adolescentulo præcepi, in domo partibus fungeretur[3]: et ut plus illi necessitatis imponerem, sententiam vestræ legis ingessi; denunciavi postremo, futurum ipsius crimen, si non patri paruisset et legi. Adulteram, quæ per insanam libidinem, stimulis tanti furoris exarserat, ut nec se jam agnosceret, interemit. Peregrinus esse filius meus post adulterium matris suæ cœpit. Occidit, inquit, filiam meam: grave est, tribuni, in servitute defendere, quod in libertate commiseris. Merito mulier suos jam negabat esse[4], quos læserat: ipsa post tantum furorem, jam sua non erat: illa dixit, meus non est; at ego dico, meus es: mater armatum timuit, sed pater servientem, quod est majus, agnoscit.

Scilicet, contrahere scribentes solent.

1. *Vel nocenti. Vel nocentis*, Obrechtus.

2. *Hujus ego legibus*. Posset capi, quasi in leges et conditiones a socero dictas duxisset uxorem ejus filiam; nisi quis *hujus* cum *filiam* conjungat, et *legibus ducere* vellet capere pro legitime; ut leges jubent. Ita apud Terent. Phorm. I, 2: « Si uxorem velit lege, id licere « facere. » Ita enim distinguendum, cum Perrenon. Animadv. lib. I, 9. Ita Lucian. tom. I, p. 192, νόμῳ γαμετής, et Æschyl. Agam. 1216, ἢ καὶ τέκνων οἷς ἔργον ἤλθετον νόμῳ. *Non ad opus liberorum* (id est conjugium) *venistis lege?* quod dicit Ovidius Art. II, 157: « Non legis jussu « lectum venistis in unum, Fungi- « tur in vobis munere legis amor. » Burm. — *Natum ex ea pignus accepimus. Suscepimus*, vel *excepimus*. Gron.

3. *In domo partibus fungeretur*. Deest *meis*, vel *patris*. Gron. — *Plus illis*. An non *illi* præstaret? Et ita ex ed. Bipont. malumus. Ed.

4. *Merito mulier suos jam negabat esse. Metu mulier* scriptum fuisse videtur paulo post, *mater armatum timuit*. Schult. — *Meus es. Meus est*, Obrecht.

Digitized by Google

XXIV.

Indemnatus carnificem recusans.

Lege indemnatorum [1], interficiendum pater filium carnifici tradidit. Ille vult manu patris interfici: pater ipse, qui fuerat offensus, ultro se non posse facere, quod cœperat, confitetur.

PRO FILIO.

Quam morigerum sibi filium senex iste formarit, nolo aliud indicium, quam, quod, ne patrem lædere[2], nec mortem recusavit. Mori jussus adolescens, in primis adhuc annis, quo tempore et vita carissima est, et mors acerba, non quæro vitam[3]. Si potest, feriat hostiam, quam diis penatibus vovit, satis sibi faciat meo sanguine, immo et ipse suo: dum non per manum vilem jus pietatis infuscet: quia nec juris ratio permittit, ut adhibeatur adversum eum carnifex, in quem [4]non

1. *Lege indemnatorum*, etc. Adde argumentum Declam. XLIV, et hanc ipsam de hac indemnatorum lege. SCHULT.

2. *Quod nec patrem lædere.* Scribe: *quam quod, ne patrem læderet, nec mortem recusavit.* GRON. Lege, *quod ne patrem læderem, nec mortem recusavi.* SCHULT. Francius legebat, *quam quod nec patrem læderet, nec mortem recusaret.*

3. *Non quæro vitam. Si potest fieri, ad hostiam.* Possis malle, *non queror*, expuncto τῷ *vitam.* Sic Declam. XXVII: « Hic vivere jube- « tur et queritur. » Sed quod sequitur non est arbitrarium. Lege: *Si potest, feriat hostiam, quam diis penatibus vovit. Satis sibi faciat meo sanguine, immo et ipse suo: dum non per manum vilem jus potestatis infuscet.* GRON. Cimmeriæ hæ tenebræ. Lux aliqua reddatur, si hujusmodi sit lectio. *Si potest ferire, adsum hostia, quam diis penatibus vovit* (quod inde colligo, quod pater quum sit, me filium privatum vult vita): *satis iis faciat meo sanguine, imo et ipse suo: dum*, etc. SCHULT.

4. *In quem non fuit judex.* Suspicor: *in quem non sedit judex.* GRON.

Digitized by Google

fuit judex: faciat vitæ finem, qui originem fecit: non de morte cum patre, sed de mortis genere[1] dissentio. Eripere vis vitam, quam dedisti: non inficiabor; quid per alterum petis? jus, quod tibi vindicas, experire; nemo te prohibet: occide, si potes; confitere, non potes. Nemo unquam magistratum fecit vicarium, nec in alio militavit, nec sacra gentilitia insertiva[2] stirpe cor-

1. *Sed de mortis patris genere.* Lego, *sed de mortis genere*, et paulo post, *quid per alterum petis jus quod tibi vindicas?* Pith. Illud *patris* exturbandum; quod iteratum ex iis, quæ antecedunt. Schult. — *Quid per alterum petis? jus, quod tibi vindicas, experire.* Male Pithœus. Nullum jus petebat pater. Vitam petebat, tamquam creditum. Inde illud, *non inficiabor.* At *jus experiri* proprium et signatum, diximus in Observationibus. Gron. — *Non potes. Si non potes*, Obrecht.

2. *Sacra gentilitia insertiva.* Scribe: *insitiva.* Deinde: *Vita mihi tolli, sed manu paterna debet.* Gron. Forte: *vita mihi tollitur, sed manus paterna debetur.* — *Sacra gentilitia.* De sacris gentilitiis commentatores ad Plaut. IV, 1, 8. « Insertivam « stirpem, » adulterio susceptam expono. Quo me ducit Phædrus, fab. XLIII, his verbis: « ... conjugem « esse adulteram Et insitivos signi- « ficari liberos. » Nam sensu turpiore accipiendum ex ipso satis hoc loco patet. Cæteroquin et honeste de adoptivis dici posse nullus dubito: maxime quum legam in vita Tiberii apud Suetonium, cap. 3: « Insertus est Liviorum familiæ, « adoptato in eam materno avo. » Si quis vero me interroget, quid hoc loco sibi velle Calpurnium, aut eum, ex quo hæc excerpserit, censeam; paucis dabo, quod mihi ratio et auctoritas veterum suggerit. Quum igitur nihil prius neque antiquius duxerint in familiis, quam sacra gentilitia, eaque cum familiis fuerint conjunctissima, ut qui Suetonio in Julio 83: « In familiam « nomenque adoptatus » dicitur, *is* exemplo aliorum, « in gentem et « sacra transisse, » non sine reconditioris scientiæ specie possit dici: et *in sacris constitutus* sit, constitutus in familia, sive non emancipatus l. 11, C. comm. de success. l. 6, C. de bonis quæ lib. Quumque hæc ipsa sacra una cum hereditate ad proximos de familia transferrentur et pertinerent: denique quum gentilitia hæc et familiaria sacra caste, ut omnia, essent curanda et colenda; ex istis auctoris hæc verba manasse manifestum est, *nemo sacra gentilitia insertiva stirpe corrupit.* Id est: Nemo vel ipse superstes, morbo aliave impeditus ratione, sacra ista insertivæ stirpi administranda commisit: nec moriens ea ad id genus liberos pertinere voluit. Quippe quum nec de familia sint §. ult. Instit. et nec in bona, quibuscum conjuncta hæc sacra, succedere possint. Præterea (quod maxime huc facit) si his nefario concubitu susceptis commit-

Digitized by Google

rupit. Vita mihi tollitur, sed manus paterna debet. Non potes, pater, legis ejusdem et irrogare supplicium, et denegare solatium. Placabo dexteram meam[1]: cedo, tantisper exosculer. O manus olim mea, quæ me parvulum sæpe gestasti, quam sæpe lacrymis puer lavi. Erras, pater, qui facilius existimas hujusmodi cædem videre, quam facere.

XXV.

Fortis duo præmia.

VIRO FORTI DUO PRÆMIA. RAPTARUM LEX: POENA RAPTORIS IN DIEM TRIGESIMUM DIFFERATUR. Ex duobus fratribus unus rapuit: rapta mortem optavit: pœna dilata est: alter fortiter fecit. Primo præmio petit fratris incolumitatem; impetravit: secundo, raptæ mortem postulat: frater contradicit.

PRO RAPTA[2].

Dum dies computo, et a rapta bonum nuncium spero, subito nunciatur fratrem meum venisse victorem, petitam mihi et veniam[3], putavi pariter et nuptias. Nec dii

terentur hæc sacra, necessitas erit, ut et ipsa sacra violarentur, et familiæ gloria infuscaretur. Quæ ut nunc etiam indelibata conserventur, minime judicat permittere patrem oportere, ut filio vilem manum admoveat carnifex; quum tantummodo fas sit, ut ipse filium destinatam diis penatibus hostiam immolet. SCHULT.

1. *Placabo dexteram meam.* Lego, *dexteram tuam*, quæ, spero, mihi incidere cervices volet. SCH.

2. PRO RAPTA. Lege, PRO RAPTORE. PITH.

3. *Petitam mihi et veniam.* Videtur excidisse vox hujusmodi: *petitam mihi et impetratam veniam.* GRON. Forte legendum, *paratam mihi et veniam putavi, pariter et nuptias:* nam in MSS. librarii sæpe hæc verba commutant. Ovid. Med. Fac. 21: « Inductus collo lapides « oriente paratos. » Ubi alii codices *petitos.* Lucan. I, 282: « Par labor « atque metus pretio majore petun-

Digitized by Google

sinant, ut converso jure, pro raptore rapta teneatur. Interdum præstat ad gloriam non certare, quam vincere. Ego, nisi rebus ipsis ostendo[1], quod amavi, confiteor injuriam me fecisse, quod rapui. Lex dicit: RAPTOR AUT PEREAT, AUT DUCAT: ergo raptori si pœna remittitur, raptæ[2] debetur?

XXVI.

Tria præmia sacerdotis.

VIRO FORTI PRÆMIUM. VICARIUM POENÆ LICEAT OFFERRE. SACERDOS MARTIS DAMNATUM LIBERET. Sacerdos Martis fortiter fecit; tres liberi ejus deseruerunt; unum servavit privilegio sacerdotii, alterum præmio viri fortis; offert se pro tertio vicarium.

PRO SACERDOTE.

Facilius fuerat amittere filios, quam eligere[3]: hos

« tur. » Alii *parantur*. Vid. et Heins. ad Claudian. Bell. Getic. 628; et Schef. ad Phædr. IV, 4; et nos ad Ovid. Epist. VIII, 82. BURM. — *Nec dii sinant, ut converso*. Scio τὸ *nec* vetustissimis ἀντὶ τοῦ *non* usurpatum. In hac tamen formula locis, quibus fidere possis, *ne*, non *nec* reperio. Habes apud Plautum Bacchid. III, 3, 64; Mercat. III, 4, 28; Trinummo III, 4, 119; apud Livium XXVIII, 28, in fragmento Corneliæ Gracchorum matris. Quare et hic malim, *Ne dii sinant*. Et apud Petronium: « Ne istud, in- « quit, dii sinant, ut eodem tem- « pore duorum mihi carissimorum « hominum duo funera spectem. » Et apud M. Senecam præfat. Controvers. « In hos, ne dii tantum « mali, ut cadat eloquentia. » GRON. In Petronii tamen verbis, c. CXII, *nec* legitur, ut et in simili formula CIII; et CXXVI. BURM. — *Converso jure*. Ex manusc. *controverso*. PITH.

1. *Nisi rebus ipsis ostendo*. Ita malunt sæpe optimi, quam *re ostendo*. Cic. « Causam rebus a diis « immortalibus judicatam. » Liv. « Promissa rebus affirmare. » Sen. ep. 89: « Ipsis rebus cogi. » SCHULT. Ovid. Fast. II: « Nil opus est verbo, « credite rebus, ait. » Vide et Epist. XVI, 297; et XIX, 2; et ita ille sæpe, et Terentius, aliique.

2. *Raptæ debetur*. Haudquaquam. Scribe: *Ergo raptori, si pœna remittitur, rapta debetur*: nempe ut ei nubat. GRON.

3. *Amittere filios, quam eligere*.

Digitized by Google

cnim pueros in ipsis sacris deum et altaribus educavi. Ea propter nimis fretus auxiliis deorum, in aciem duxi pueros adhuc teneros; quorum pater adeo juvenis inventus est, ut et militare posset, et vincere. Resisto orbitati, non jure, vel sanguine[1]. Dulcis est omnibus vita, et jucunda, vel miseris, hujus lucis usura: nec invenio, quis possit vicarius esse, nisi filius[2]: mihi videtur et ille, qui primus hanc condidit legem, nihil aliud cogitasse, quam patrem. Meum nunc sanguinem fundo, quem fundere in bello volui[3]: num iniquum est, æque ut patiar pro liberis meis, quod sum passus pæne pro vestris? Magis religio polluitur funestato, quam mortuo sacerdote. Quod si religio vos tenet, etiam liberis sacerdotis, moneo, parcatis: ipsi quoque omnia semper in templo pro sacerdote gesserunt. Agricolæ antiquas arbores exstirpant, ut novas inserant: horum virtus spectabitur, nostra delabitur[4]. Melior quidem fama seniorum: spectata in minoribus major est: recordatio veniæ[5] magnus

Eligere, id est, quem præmio viri fortis, quem alia servarem ratione, constituere. SCHULT.

1. *Resisto orbitati, non jure, vel sanguine.* Scribendum forte, *et jure et sanguine.* Jure, quo licet pœnæ se offerre vicarium. *Non* pro et substitutum vidimus Declamat. II. Mox: « Dulcis est omnibus vita et « jucunda vel miseris hujus lucis « usura: sed non invenio, quis « possit vicarius esse, nisi pater. » Vos, inquit, gratam esse, et esse debere omnibus vitam allegatis, et mihi minime moriendum, qui rerum gestarum gloria vivus frui possum: sed filius capite periclitatur; cui nemo succurrere potest, nisi pater. SCHULT. *Non jure, sed sanguine*, Obrecht.

2. *Quis possit vicarius esse, nisi filius.* Immo, *nisi filii.* Quis possit obire mortem pro altero, nisi pater forsan pro filio. GRON. Et ita Obr.

3. *Quem fundere in bello nolui.* Legendum: *volui.* PITH. — *Num iniquum est, æque, ut patiar.* Forte: *num iniquum est, quæso, ut patiar.* GRON.

4. *Delabitur.* Francius conjiciebat, *delebitur.* — *Spectata in minoribus major est.* Lege: *exspectatio in minoribus major est.* GRON. Legebam, *spes tamen.* SCHULT. An non, *sperata in minoribus major; et recordatio*, etc.

5 *Recordatio veniæ magnus est stimulus industriæ.* Conjeci *senum*, pro *veniæ*. Vide Justin. lib. XXIX, cap. 1. Cogitavi et *gloriæ*. Nunc

Digitized by Google

est stimulus industriæ. Non interest orbitatis, uno me vulnere feriant[1], an pluribus. Dedisti mihi liberos, fortuna; rapuisti: concedit alios respublica: nec hos relinques? Quis me feriet carnifex innocentem? an commilito laureatum? ubi denique? hic, inter aras et altaria, ubi publica vota suscepi? an in campo, ubi nuper aquilas et signa protexi? Vos, duo liberi, omnibus in vita liberis[2], hunc et ipsi vitæ meæ præfero: factus est mihi suo periculo carior, sed et meo: vos mihi honorem præstatis, hic sanguine: si mihi non licet pro filio, peribo cum filio.

vulgatum expono, stimulum industriæ esse datum facinoroso veniam, dum ille se videt dedecus suum abolere et expiare non posse, nisi rerum præclare gestarum gloria. SCHULT.

1. *Uno me vulnere feriant.* Potius *feriat.* GRON. — *Dedisti mihi liberos, fortuna, rapuisti,* etc. Filum orationis ducit, ut credam rescribendum, *Dedisti mihi liberos fortuna; rapies?* Id autem factura es, si hunc unum subducere pœnæ non possim: pro quo si mori non licebit, et ab iis, quibus data venia, morte voluntaria divellar. Venit et in mentem, *Reddidisti,* non trucidatos ab hoste. Laborant et sequentia: quibus sua magis constabit sanitas, si sit, *concedis alios, respublica; nec hunc relinques?* Nisi *duos* pro *alios.* Mox: *Vos, duo liberi, omnibus in vita liberis, hunc et ipsi vitæ meæ præfero.* SCHULT.

2. *Omnibus in vita liberis.* Scribe: *vos, duo liberi, omnibus in vita caris, hunc et ipsi vitæ meæ præfero.* GRONOV. Delet τὸ *liberis* Obrechtus. An, *omnibus in vita deliciis,* vel, *lætitiis?* BURM. — *Sed et' meo: vos mihi honorem.* Tolle asteriscum et scribe: *Factus est mihi suo periculo carior: sed et meo. Vos mihi honor præstat, hunc sanguis. Si mihi non licet pro filio, peribo cum filio.* GRON. Expungendus asteriscus. SCHULT. — *Vos mihi honorem,* etc. Manca hæc et mutila: vocula una inserta oratio erit expedita. *Vos mihi honorem præstabitis, huic ego sanguinem.* Grandis erit, nec commoda minus, si emendes, *Vos non mihi honorem præstate, sed huic sanguini.* Filiis his meis sanctissimis, quos in ipsis sacris deum et altaribus educavi. Vide initium Declam. Virg. « Projice tela manu, « sanguis meus. » SCHULT. *Vos m. honorem præstatis, hic sanguinem,* Obrecht.

Digitized by Google

XXVII.

Fortis inimicum divitem servans.

VIRO FORTI PRÆMIUM. DESERTOR CAPITE PUNIATUR. Pauper et dives inimici. Belli tempore dives se promisit fortiter facturum, si sibi mors pauperis decerneretur: decreta est. Ambo processerunt in prælium: pauper fortiter fecit. Dives deseruit. Petit pauper præmio divitis incolumitatem: dives contradicit.

PRO PAUPERE.

Sero cœpit hic miles, judices, mortem contemnere. Ego tacui, quum peterer: hic vivere jubetur, et queritur. Exspectavi diu divitem [1], ut ille potius quod promisit, impleret. Ab ipso quoque divite inire debeo maximam gratiam: quod ille debebat, ego solvi [2]: idem in præmio facio, quod in prælio: servo civem, commilitonem meum protego. Idem eris in ævum, qui supremo die fueris.

1. *Exspectavi diu divitem.* Nolens præripere palmam, qua pauper poteram mori. SCHULT.

2. *Quod ille debebat, ego solvi.* Quare gratum se mihi præbere, non autem ita ægre ferre victoriam meam debet, ut propter eam nolit a me accipere vitam. SCHULT. — *Idem eris in ævum*, etc. Malim, *ideo meus eris, quamvis supremo die fungeris*: nempe salutem tuam optavi. *Qui* in *quamvis* corruptum vidimus et Declam. XXII f. SCHULT. Vide not. editoris.

Digitized by Google

XXVIII.

Dives fortis inimicus duorum.

Dives duobus pauperibus inimicus promisit se fortiter facturum, si sibi mors unius decerneretur. Decreta est: alter contradicit. Dives fortiter fecit: petit præmio mortem illius, qui contradixerat: alter C. D.

PRO PAUPERE.

Ego quidem verba facturus in alterius periculo, nuper in meo tacui: quum præmium peteret injustum[1], qui per leges necdum posset petere vel justum: per tot innocentium capita grassatur: hunc relinquit, hunc arripit; hunc timore punit, hunc morte.

XXIX.

Fortis dives inimici alteram filiam petens.

Pauper et dives[2] inimici: pauperi duæ filiæ. Belli tempore promisit se dives fortiter facturum, si in matrimonium sibi pauperis una filia daretur: populus, tacente paupere, decrevit: dives fortiter fecit: puella se interemit. Petit dives aliam: pauper contradicit.

CONTRA DIVITEM.

Priusquam fortiter faceret, postulavit; confisus id

1. *Quum præmium peteret injustum.* Quo nempe periturus alter nostrum, neuter sine summo timore futurus, uterque innocens, idque eo tempore, quum nullum adhuc ab divite meritum in rempublicam profectum esset. Justum potuisset petere præmium etiam ante victoriam, si agrum, domum, pecuniam, alia similia optasset. SCHULT. — *Per tot. Tot* de duobus, vid. ad Albin. in Drusum, 339.

2. *Pauper et dives.* Stephan. in Saxon. Gramm. 1, pag. 60. ALMEL.

Digitized by Google

sollicito extorquere se populo, quod impetrare a victore non posset. Ducat dives aliquam, sed æqualem: ducat volentem: velis enim nolis, suspecta res est amator inimicus, squalor et mœror, gemitus et luctus, inimici. Filia talis adamatur? pauper et dives inimicum [1] est matrimonium: ne pecora quidem jugum, nisi paria, succedunt. Ego autem quid faciam? laqueum filiæ solvam, an flammeum superponam? facem nubenti præferam, an rogum jacentis accendam [2]? aliter enim merces in timore promittitur, aliter onus in pace præstatur: festinavit ad laqueum, properavit ad mortem, non creditis patri? credite vel sorori: si vicerit, ad patrem revertetur: si victa fuerit, ad sororem.

1. *Inimicum.* An non *iniquum;* ut sæpe in Declamationibus superioribus vidimus has voces confundi. Vid. ad Quint. Decl. VII, 4; et Decl. CCCXIII, et alibi. Burm. — *Paria succedunt.* Latinius putant, Schultingius, *ineunt;* Francius, *subeunt:* sed quum *succedere* pro *subire* etiam ponatur, ut *succedere dominationi*, Just. XII, 2, et tam accusativus quam dativus jungatur huic verbo, vid. Serv. ad Virg. Ecl. V; et Æneid. lib. VIII, 125; Gron. ad Liv. XXXI, 45; Heins. ad Ovid. Met. XIII, 611; et nos ad Epist. IV, 23, nihil causæ video, cur mutemus. Utrumque verbum conjungit Cicer. de Orat. I, 33: « Verba« que omnia sub acumen stili sub« eant, et succedant necesse est. » Ipsa autem sententia vulgaris, qua et apud Ovidium Dejanira utitur, Epist. IX, 29: « Quam male inæ« quales veniunt ad aratra juvenci, « Tam premitur magno conjuge « nupta minor. » Burm.

2. *Facem nubenti præferam, an rogum jacentis accendam?* Jam igitur illam pro mortuo habet. Decl. XIV: « Hic enim quando sepeliet « jacentem, qui noluit redimere « venalem. » Add. Senec. Octavia 264; Justin. II, 1, 4. Schult. — *Aliter onus.* Fortasse, *honos.* Pith. Et ita edidit Obrecht. — *Festinavit. Festinabit* et *properabit.* Schult.

Digitized by Google

XXX.

Nepos ex meretricio[1] *susceptus.*

Qui habebat filios, frugi, et luxuriosum, ab amore[2] meretricis abdicavit. Abdicatus se ad meretricem contulit. Illic quum ægrotare cœpisset, misit ad patrem, et commendavit illi filium de meretrice susceptum, rogans, ut eum in familiam recipiat, et obiit: vult illum senex in familiam recipere. Reus est alteri filio dementiæ.

CONTRA PATREM.

Necesse est, me hodie in causa amplius dolere, quam dicere. Pius est sine dubio filius, qui in patre mentis errorem morbo potius assignat, et fato, quam moribus[3]: miseranda potius in meo patre, quam accusanda dementia est. Multum potest abdicatio, quum timetur: post ex pudore jam liberius erratur. Vos interrogo, judices, utrum sit sanus, qui et suos abdicat, et adoptat alienos: adoptio sancta res est quidem, quæ beneficia

1. *Ex meretricio.* Schultingius, *ex meretrici*, pro *meretrice;* sed et *meretricium*, ut *lenocinium* dixit Suet. Calig. XL. *Ex meretricio susceptus* vero dictum, ut Decl. XLIV: « De raptu puella concepit et pe« perit. » Burm.

2. *Et luxuriosum ab amore.* Lego, *et luxuriosum: luxuriosum ob amorem.* Pith. Fuit, *hunc ob amorem.* Schult. *Ob amorem* etiam Obr. Forte, *captum amore meretricis.* Vid. ad Ovid. Epist. XV, 63.

3. *Morbo potius assignat, et fato, quam moribus.* Simili prudentia utitur Germanicus ad milites tumultuantes, Tac. Ann. I, 39, 1: « Fe« ralem increpans rabiem, neque « militum, sed deum ira resurge« re. » Apud eumdem auctorem simile, Hist. IV, 72, 8. Schult. Simili sensu Fabius Instit. VII, 4, 30: « Actor dementiæ, ipsius patris, « tamquam valetudine lapsi, mise« reatur... et novissime dementiam « rationi obstare queratur, non mo« res, quos quanto magis in præ« teritum laudaverit, tanto facilius « probabit morbo esse mutatos. « etc. » Ed.

Digitized by Google

naturæ et juris imitatur: in quo puero[1] nescio quid sit indignius, utrum patris origo, quod est dubia; an matris origo, quod certa est. Dixit ille suum filium; dixit ut amator; dixit immo ipse, jam parum sanus.

XXXI.

Adulteræ soror et mater.

ET MATRES ET SORORES IN ADULTERIO DEPREHENSAS LICET OCCIDERE. Quidam quum sororem deprehendisset, occidit: furorem passus, resipuit: invenit et matrem; non occidit: abdicatur a patre.

PRO FILIO.

Soror, insaniendum est[2]: et mater adultera vivit, domo patria carendum est. Hic exitus venit[3], ut ex quo malo furor cœperat, ex eo sanitas nasceretur. Voluit me explorare fortunam gloria: quantum nobis honoris attulit, tantum virtutis exposcit. Innocentiam patris dum liberare quæris, infamas: homini verecundo in hujus-

1. *In quo puero*, etc. Scribe, *imitatur. In hoc puero*, etc. SCHULT. — *Quod certa est.* Igitur sciunt omnes, hunc meretricis esse filium. SCHULT.

2. *Soror, insaniendum est.* Probo conjecturam Neveleti mei, *Soror occidit, insaniendum est: mater.* PITH. Lege: *Soror adultera occiditur, insaniendum est: mater adultera vivit, domo patria carendum est.* GRON. Neveletus, *Soror occidit: insaniendum est.* Idem videram, simillima ratione: nisi quod et inci-

debat, *Sororem occidi*: quod tamen non præfero. SCHULT. Asteriscum addidit Obrechtus.

3. *Hic exitus venit.* Puto, *invidetur*, scripsisse auctorem. SCHULT. Forte, *huc exitus venit*: ut Declam. CCCXXXI: « Si eventus eodem re- « diturus fuit. » — *Voluit me explorare fortunam gloria*, etc. Hæc quoque quasi deposita. Melius habebunt hoc modo: *Voluit me explorare fortuna: quantum gloriæ, quantum nobis honoris attulit, tantum virtutis exposcit.* SCHULT.

Digitized by Google

modi crimine longe gravior est fama, quam pœna. Vetus, judices, dictum est, ut aurum igne, itidem innocentiam judicio spectari solere: melius est, patri [1] virtutum tuarum argumento te prodesse, quam præmio.

XXXII.

Amator meretricis dominæ.

Meretrix, servum suum amantem se, in crucem agit: appellat tribunos ille de injusto supplicio.

PRO SERVO.

Miror quidem a muliere tam comi, crucis nomen auditum: quæ nullum unquam, nisi amore, cruciaverit. Amor, animi peculiare secretum est: accusatur a vobis amor et homo, qui deum nostrum [2] patitur? Esset meum crimen aut error, si te solus adamassem.

1. *Melius est patri.* Emendo, *melius est, pater, virtutum tuarum argumento te prodesse, quam pœna.* SCHULT.

2. *Et homo, qui deum nostrum.* Scribe: *Amor et homo, qui deum istum patitur.* Vel *vestrum.* GRON. Melius, *vestrum:* scilicet Cupidinem: dictum hoc, ut argumento Decl. anteced. « furorem passus. » SCHULT. Ita *pati convicia*, qui invitus molesta sibi fert et obit, non lubenti animo, apud Val. Flac. V, 571, ubi plura dicemus. Mox Decl. XXXVI: « Pater, quod patior, « agnoscit, » id est amorem. BURM. — *Crimen aut error. Crimen*, ut *error*, conjiciebat Francius: simili fere colore Helena apud Ovidium Epist. XVII, 23: « Crimen erat nostrum, si delenita fuissem. » Vide mox Declamat. XXXIX.

Digitized by Google

XXXIII.

Raptam pater vinculis tenens.

RAPTA RAPTORIS MORTEM, AUT INDOTATAS NUPTIAS PETAT. Raptam pater vinculis continet: raptor duci ad magistratus desiderat.

PRO RAPTORE.

Nihil equidem leges clementius paraverunt[1], quam de lege raptarum: non licet aliud judicare: medius his nemo est. Sum reus: sed exhibe judicem meum. Proh deum atque hominum fidem! in qua civitate raptor solutus est, in ea rapta vincitur.

1. *Nihil equidem leges clementius paraverunt.* Puto, *comparaverunt.* Auctor ad Herennium lib. IV, 16: « Bene majores nostri hoc com- « paraverunt, ut neminem regem, « quem armis cepissent, vita priva- « rent. » Cicero pro Quintio, 16: « Itaque majores nostri raro id ac- « cidere voluerunt: prætores, ut « considerate fieret, comparave- « runt. » GRON. *Legumlatores* pro *leges* facile quivis præferat. SCHULT. Forte neutra emendatio necessaria: nam *parare* eodem sensu, quo *comparare* etiam veteres usi: ita capio illa Terentii Eunuch. II, 11: « His « ego non paro me, ut rideant. » Et ibid. act. I, 1: « An potius ita « me parem; » ubi alii *comparem.* Hecyr. I, 1, 11: « Quin ita paret « se, etc. » Et absolute Hecyr. V, 1: « Age jam, uxorem ut arcessat, « paret; » pro paret se, comparet: ita Decl. XI ult. Quint. legendum credimus, « horridum, trucem de- « beo me parare. » Ovid. Met. VI, 619: « In omne nefas ego me, ger- « mana, paravi. » Cic. ad Fam. I, 7: « Huc te pares, hæc cogita, ad « hæc te exerceas. » Ut vero hic, *leges paraverunt;* ita Cicer. pro Domo 23: « Jus a majoribus nostris « ita comparatum, etc. » Et ita ille sæpe « rationem comparatam, etc. » dixit: leges ergo clementer paraverunt, de lege raptarum, id est, constituerunt de conditione, et optione, qua vel optare mortem vel nuptias possunt: si causa ageretur in regno, posset legi, *nihil equidem reges clementius paraverunt;* sed plerarumque Declam. scena est civitas libera. BURM. — In lege *nuptias petat,* quum ubique sit *optet.* ED.

Digitized by Google

XXXIV.

Mater et noverca invicem reæ.

Repudiata est a marito [1], quæ filium habebat: petiit assidue, ut reconciliaretur: non impetravit: postremo ait, vindicabo me: superduxit ille puero novercam: obiit puer signis ambiguis cruditatis et veneni. Reas se invicem faciunt, repudiata mater, et noverca superducta.

PRO MATRE CONTRA NOVERCAM.

Totum noverca commisit, quæ uno tempore et maritum miseræ præripuit, et filium. Comparate, judices, non ante rerum argumenta, quam nomina [2]. Quid matri deliquerat filius? neque enim temere sic filius de levi causa, quasi privignus, occiditur. Repudiata es, inquit: mariti hæc culpa, non filii est: nec matris officium repudio deponitur, sed uxorium nomen amittitur. Dolor orbitatis facinoris arguetur [3]: et si grave est amit-

1. *Repudiata est a marito.* Scribe: *Repudiata a marito, ex quo filium habebat, petiit assidue, ut reconciliaretur.* GRONOV.

2. *Non ante rerum argumenta, quam nomina.* Cogitare vult judices alteram matrem, alteram novercam appellari. In illo autem, quam hoc nomine, infinitis partibus plus est, quod devinciat ad amandum. Ex eodem manant fonte illa Decl. Quint. I, 6: « Dicas necesse est, « quæ huic cum patre fuerint odia, « quam violenta dissensio inter sa- « crorum infinita nominum pigno- « ra. » Et ejusd. Declamat. V, 7: « Liberi parentes alant. Pudet sa- « crorum nominum, pudet religio- « nis humanæ. Hæc ergo lex erit? « De quibus latius jam egi ad Decl. istas primas. SCHULT. — *Matri deliquerat.* Dictum ut illud, Terent. Adel. I, 2: « Quidquid peccat mihi « peccat. »

3. *Dolor orbitatis facinoris arguetur.* Forte: *Dolor orbitatis facinore augebitur.* GRON. Malim, *non arguitur.* Hoc sensu, ad quos dolor redundat orbitatis, ut sunt pater et mater, ii facinoris suspecti esse, aut argui non solent. Sequentia sint, « At, si grave est, etc. » SCH.

Digitized by Google

tere filios, longe gravius occidere. Nonne hoc dicit, sola dominabor, quum et hic veneno meo perierit, et illa mendacio? Judicasti pater, qui et repudiatam non accusando absolvisti, et uxorem non defendendo[1] damnasti.

XXXV.

Speciosus desertor.

DESERTOR DUCI SERVIAT. VIRO FORTI PRÆMIUM. Pauper et dives inimici: dives creatus est imperator. Pauper sub illo cum filio specioso adolescente militavit. Pauper fortiter fecit, adolescens deseruit. Dives jure agit[2]: pauper præmio petit, ut occidatur.

PRO PATRE.

Filium meum si liberare non licet, saltem liceat occidere. Creditis, judices, quod filio meo bene inimicus velit, pater nolit? profiteor, mortem me filii mei non quidem velle, sed malle. Vos cogitate, quanto sint mala illa graviora, quorum sunt etiam remedia crudelia. O fili! morere constanter; fac hoc saltem, quasi meus filius.

Obrechtus legit per interrogationem, *dolor orbitatis facinoris arguetur? — Et si grave. At, si grave amittere*, Obrecht.

1. *Uxorem non defendendo damnasti.* Sueton. de Augusto, cap. 56 illius in vita: « Quum Asprenas « Nonius arctius ei junctus, causam « veneficii accusante Cassio Severo « diceret, consuluit senatum, quid « officii sui putaret: cunctari enim « se, ne, si superesset, eripere le- « gibus reum, sin deesset, desti- « tuere ac prædamnare amicum « existimaretur. » SCHULT.

2. *Jure egit.* Lego, *agit*: nempe ut sibi duci serviat ex lege speciosus adolescens desertor. PITH.

Digitized by Google

XXXVI.

Filius meretricis[1] *suæ redemptor.*

Diversas meretrices amabant pater et filius. Pater filio pecuniam dedit, ut amatam patris redimeret. Ille suam redemit: abdicatur.

PRO FILIO.

Rideri me, judices, opinabar a patre, quum se quoque amare dicebat. Pater, quod patior[2], agnoscit: quid in me pater reprehendat, ignoro: et amandam meretricem consentit, et emendam. Sciebas utique quid mallem. Paria sunt nobis in amore tormenta? primum, quod amor, velis nolis, in senectute frigidior est.

XXXVII.

Dementiæ reus a tribus filiis.

Ex tribus filiis duo patrem dementiæ accusaverunt: et superati secundum legem puniti sunt. Tertius instituit accusare. Reddit pater causam mortis voluntariæ. Filius contradicit.

PRO PATRE.

Quid tam potest esse adversum? ejus[3] hic ab eo mors

1. *Filius meretricis.* Adde Quint. Declamat. CCCLVI.

2. *Quod potior.* Malim, *patior;* et paulo post, *patria non sunt nobis.* Pith. — *Primum quod.* Schultingius emendaverat, *primum quidem amor.* Obrechtus distinguebat, *tormenta? primum, quod amor,* etc. quod cum Bip. recepimus. Ed.

3. *Quid? tam potest esse adver-*

Digitized by Google

impeditur, cujus in altero judicio vita reprehenditur? In illis, patres conscripti, judiciis gravior mihi fuit vindicta, quam pœna: mors a vobis dabitur, sive dementi remedium, sive sapienti solatium. Natura mihi tres liberos dedit; fortunaque duos[1] sustulit: videturne vobis justa causa esse moriendi? immo jam sera.

XXXVIII.

Fortis viri filius tyranno deditus.

Absentis viri fortis filium tyrannus petit sibi dedi, denuncians bellum: accepit. Regresso eo suadetur bellum[2] tyranno indici: vir fortis contradicit.

PRO FORTI.

Profiteor me filium nec desiderare, nec habere. Nescio, an hoc bellum fuerit in tempore suo justum, nunc certe cœpit esse jam serum. At enim filius viri fortis est: quid? hoc non erat, quum dabatur[3]? O fili! si tamen hoc nomen, quod natura dedit, fortuna non abs-

sum me jus? Fortasse: *Quid tam potest esse adversum? Ejus hoc ab eo mors impectitur, cujus in altero judicio vita reprehenditur.* Suam ipsius intelligit a filio. *Alterum judicium* dementiæ est. GRON. Credo librarios manum summi viri male expressisse, et illam dedisse illis, *Ejus hic ab eo mors impeditur.* Ita, si sup. initate operarum cogimur conjecturis sanare recentissimorum hominum scripta: quid miri, si plena omnia mendis et flagitiis librariorum sint per tot secula ad nos transmissa volumina? Secutus est Gronovii conjecturam Obrechtus, et ego recepi.

1. *Fortunaque duos.* Francius volebat, *fortuna duos.*

2. *Regresso eo suadetur bellum.* Lege, *Egresso:* nempe ex urbe, quem petebat tyrannus. GRON. Et cur non *regresso* patre, qui absens fuerat, quum tyrannus peteret filium? BURM. Forsan *regresso* filio, postquam ivisset ad tyrannum. ED.

3. *Hoc non erat, quum dabatur.* Forte, *dedebatur.* GRON.

Digitized by Google

tulit, agnosce te filium viri fortis; vince feliciter, id est, peri fortiter: hæc est enim jam tua sola victoria.

XXXIX.

Morietur[1], *antequam nubat.*

VENEFICII SIT ACTIO. Adolescens petit nuptias virginis a patre: pater virginis ad uxorem retulit. Illa respondit: Ante morietur, quam illi nubat. Pater eidem adolescenti despondit; et diem nuptiis dixit. Intra diem puella obiit dubiis signis cruditatis et veneni: quæstionem quum de familia pater haberet, ex ancillis una confessa est, adulterium cum illo juvene matris intercessisse: pater accusat veneficii matrem.

CONTRA MATREM.

Quæritur, filiam cruditate an veneno interfeceris: nam et cruditas virginis, crimen est matris[2]: morietur, antequam nubat; et mortua est: o impiam divinationem, vel potius denunciationem! o infelix puella! ego tibi parabam nuptias, mater exsequias[3]! placuit in te sponso tuo similitudo materna. Ego te fateor, occidi, dum cum matre contendo.

1. *Morietur.* Ejusdem argumenti est Declamatio Quintil. CCCLIV, ubi partes reæ matris obliqua oratione aguntur; et Senec. lib. VI Excerpt. Contr. VI. Vid. et Sulpic. Victor. pag. 255. SCHULT.

2. *Cruditas virginis crimen est matris.* Quintilianus junior Decl. I: « Nam quod invisum fuisse filium « patri jactat, crimen novercæ erat, « si confiteremur. » Propert. « Tam « formosa tuum mortua crimen « erit. » SCH. Vid. sup. Decl. XXII.

3. *Exsequias.* Senec. loco citato inter alia similia: « versæ sunt in « exsequias nuptiæ. » ED.

Digitized by Google

XL.

Rapta, ab ephebo stuprata.

RAPTARUM LEX. Rapuit quidam virginem, et ephebo, quem amabat, tradidit stuprandam: rapta ad magistratus producta, mortem ephebi petit: offert se ille, qui rapuit.

PRO RAPTORE.

Ego, judices, rapui, ego domum duxi, ego pariter inclusi, ego vim duobus feci. Perire mihi satius est, quam hunc videre pereuntem. Callide, puella, commenta es[1]: unum petis, ut duos pariter occidas.

XLI.

Orba confessa sacrilegium.

MAGISTRATUS DE CONFESSO SUMAT SUPPLICIUM. DE INJUSTO SUPPLICIO TRIBUNOS APPELLARE LICEAT. Quæ quatuor liberos habebat, amissis tribus, et marito, detracta est a filio, quum laqueum induisset. Sacrilegium in civitate commissum est. Adiit ipsa magistratum, et dixit a se factum: vult de illa supplicium sumere. Appellat pro ea filius tribunos de injusto supplicio. C. D.

PRO FILIO.

Subito Fortuna, sicut solet, ipsa suis muneribus invidit[2]. Alius, inquit, pro alio agere non potest: alius

1. *Callide puella conventa est.* Legendum potius, *commenta es.* PITH.

2. *Suis muneribus invidit.* Fortuna eadem apud Petron. carmine de Bello civili: « Omnia quæ tribui

Digitized by Google

est ergo, qui filius est? Confessio voluntaria suspecta est: confessionem sceleris appellas, vocem doloris? misericordiæ vestræ maximum munus est, servare nolentem.

XLII.

Raptor excœcatus.

TALIONIS SIT ACTIO. RAPTARUM LEX. Quidam rapuit, et in raptu a puella excæcatus est: producta ad magistratus, mortem optavit: raptor exigit talionem.

PRO RAPTORE.

Imperare pœnam meam, non agere debebas: nec esse eadem judex et carnifex. Habet quisque nostrum suam legem; rapta capitis; excæcatus, oculorum: tu enim puella, quid passa es? virginitate caruisti. Sollemne in his damnum[1]; ut non dixerim votum: erepta autem mihi lux est, antequam morerer. O oculi, quos ego primus adamavi! digna fortuna vos ulta est, ut qui me perdidistis, mecum periretis.

« romanis arcibus, odi, Muneribus- « que meis irascor: destruet istas « Idem, qui moles posuit, deus. » SCHULT. Vid. ad Quintil. Declam. CCCLXXXIII. — *Voluntaria suspecta est. Voluntaria est; sed suspecta.* SCHULT. Inde hoc in juris prudentia: Nemo auditur perire volens.

1. *Sollemne in his damnum.* Melius fortasse, *inis.* PITH. Male mutat Pithœus. *In his*, in sexu femineo, quæ ad hoc natæ sunt. GRON. Forte, *in vobis.* Latinius certe, quam *inis* Pithœi. SCHULT. — *Quo ego. Per quos ego.* PITH. Lege, *Quibus ego primum adamavi.* SCHULT. *Hos ego primus adamavi?* Francius malebat.

Digitized by Google

XLIII.

Soror infamis immolanda.

Infamis frater in sororem virginem, occisus est lege indemnatorum. Lues orta est: respondit oraculum, virginem immolari debere: offert se illa, quæ infamabatur in fratrem: pater contradicit.

CONTRA VIRGINEM.

Dilexerunt enim se mutuo fratres[1] ultra meum votum. O fortuna crudelis! abstulisti mihi filium, relinque vel filiam: partiamur vel saltem liberos meos. Nemo de polluto grege hostiam sumit: quis hanc hostiam perimet? pater, sacerdos, an carnifex? quamvis hæc fortasse desideret ipso illo gladio perire, quo frater occisus est.

XLIV.

Indemnatus raptoris filius.

Lex raptarum. Indemnatos liberos liceat occidere. Quidam rapuit et fugit: de raptu puella concepit et peperit. Reverso raptore, puella mortem raptoris optavit. Filium ille indemnatum vult occidere: rapta contradicit.

PRO RAPTORE.

Nisi forte moleste tulit[2], quod et non hunc ipsa dam-

1. *Dilexerunt enim se mutuo fratres.* Nisi aliquid desit capiti, pro *enim* malim *olim*. Schult. — *Fratres.* Id est, frater et soror. Vide supra Declamat. XII.

2. *Nisi forte moleste tulit.* Cor-

Digitized by Google

navit; jam cum illo meo errore, vel facto[1], voluntaria profectione transegerim. Hic me, judices, hic puer prodidit: si perseverat in mea pœna, hunc mater[2] occidet. Dicere me raptorem nemo debebat post intervallum, post exsilium, post reum filium[3]. Non est, inquit, filius

ruptus locus. Cogitavi. *Nihil profecto moleste tuli, nisi quod et non hunc ipsa damnavit. Jam quum illo,* etc. Sed incidit, et *forte* posse retineri, et significatione vocis *profecto*. Saltem *fortasse* ita accipi dubium non est. Quod minus audacter asseverarem, nisi auctoritate Quintiliani avi eam rem confirmatam dare possem, qui omnibus testis assiduus debet haberi: is igitur Declam. CCC init. « Despicien« dum tibi fortasse fuerit (fuit scri« be) ad quem venires: diligentius « excutiendi mores. » Eadem: « Ab« solvi matrem meam. Hoc non eo « pertinet fortasse, ut debuerim « crimen remittere: multa ignoran« tes patimur. » Declamat. CCCI: « Neque tamen (enim, lego) irritare « tam delicatas ejus cupiditates po« tuisset ancilla: nec fecit, quod « adversus hanc conditionem fieri « fortasse potuisset. Rapuit tam« quam ingenuam. » Declamatio CCCXXXVII: « Afferant (Afferunt « lego) aliquid fortasse solatii mala « divisa, si partiaris; ita hoc graves « causas allevare possis, si non in« gruant ac semel veniant. » Sunt et loca pluna, quæ alias dabimus. Schult.

1. *Jam cum illo errore vel facto.* Lego, *jam cum illo meo errore vel fato,* etc. Pith. Scribe, *transegeram.* Transactione iis liberamur, quibus tenemur. Ita *transigere cum facto,* est pœna, ad quod factum obligat, se liberare. Simili quadam ratione *decidere:* quia transactione lis deciditur, finitur, exstinguitur. « De« cisa negotia » Horat. ad finem perducta. Declam. Quint. XII: « Effuge « raptores, effuge non dimissuros. « Si aliud fieri non potest, decide « cum tempestate, naufragio de« sertum litus impinge. » Declam. avi CCLII: « Poterat brevi condi« tione decidi, ut diceret, qua alia « lege cum illo consistere potue« rim. » Sen. Controv. II: « Unde « scimus, an convenientibus pro « virginitate, alio libidinis genere « deciderit. » Ubi et alia exempla vide in not. Gronov. Schult. Quem et vid. ad Senec. Controv. I, p. 67; et ita Quint. Inst. VII, 1, ut « pul« chre fuerit cum materia, tumultu « et clamore transactum, » vide Decl. VIII, 22. De *decidere*, vid. ad Quint. Decl. XII, 12. Burm.

2. *Hunc mater occidet.* Declam. XXXIX: « Ego te, frater, occidi, « dum cum matre contendo. » Sch.

3. *Post exsilium, post reum filium.* Conjeceram *post genitum filium.* Quod sensu est commodo. Sed quum cogito, ad ea respectum, quæ initio Declam. sunt dicta; sic omissa particula supplendum, ac reponendum, *nisi post reum filium.* Suspectam hanc facit, quasi ex alio hunc filium susceperit. Ideo scilicet filium lubenti animo incolumem servare et alere, nec de hoc quæstionem movere, aut movisse visa

Digitized by Google

tuus: nuptiis enim sollemnibus non est natus. Civis ergo, nisi faces accenderit, et fescennina cecinerit, pater esse non poterit: perquam es inhumana; non vis esse patrem, qui te fecerit matrem?

XLV.

Vir fortis et orator.

Vir fortis et orator consulatum petebant.

PRO ORATORE.

Quam plus ad vestra judicia[1] cujusque, judices, proficiunt merita privata, quam publica? Postremo quod maxime voluntatem plebis offendit, rogare non nosti: orare et exorare nostrum est, qui hinc etiam nomen accepimus.

est, antequam rediret: nunc autem ardet ipsum perdere, quo altero amante potiatur. SCHULT.

1. *Quam plus ad vestra judicia.* Haud dubie, *Quanto plus.* GRONOV. Caput Declamationis laborat. Ubi commodius esset, *Quid? an plus*, etc. et mox, *cives*, non *judices*. Petitur enim consulatus. SCHULT. Nihil deesse puto, nec *quam* mutandum in *quanto*, quum idem valeat: mallem vero pro *proficiunt*, *faciunt*. Ut ita sæpe Ovidius et alii. Vide Heins. ad Ovid. Ep. II, 39, ubi et cum dativo construi docet. BURM.

Digitized by Google

XLVI.

Adulter[1] *uxoris.*

Ex duobus filiis alteri uxorem dedit, alter incidit in adversam valetudinem; medici dixerunt animi esse languorem. Quærenti patri, fratris uxorem se amare confessus est. Petit pater a filio, ut matrimonio cederet: impetravit: inventos in adulterio[2] postea, fratrem et uxorem secundus maritus occidit: abdicatur a patre.

CONTRA FILIUM.

Sero me, sanctissimi judices, abdicare patet: jus enim ad hoc redit, ut excusare compellar, non quod extrema non tulerim, sed quod illa priora toleraverim. Qui capitis pœnas a suo fratre pro uxore dilecta [3]petit, quid ipse meruerit, ostendit. Crimen superius huic imputare non possum: nam frater ignovit. Quantum tibi nuptiarum cessione præstiterit[4], adulterio probaverunt: tibi liberas et perpetes noctes, sibi furtiva commercia, et amorum pericula reliquerunt: ignosce amantibus, si vere amasti.

1. *Adulter.* Adde Quintil. Decl. CCXCI. SCHULT.

2. *Inventos in adulterio.* Lego, *inventos in adulterio postea fratrem et sororem.* PITH.

3. *Pro uxore dilecta petit.* Lege, *propter uxorem dilectam.* SCHULT.

4. *Quantum tibi... præstiterit*, etc. Similia dixit Fabius Declamat. cit. «Nunc intelligo, juvenis, quantum mihi præstiteris, amabas: « ergo coibant furtim et flentes, ut « satisfacerent invicem.» Et in fine: «Non amabat, qui potuit occidere.»

Digitized by Google

XLVII.

Infamis in nurum.

ADULTERUM CUM ADULTERA LICEAT OCCIDERE. REUS CÆDIS ADVOCATUM, QUEM VOLET, ELIGAT. Erat infamis in nurum, invenit adolescens incertum quem adulterum, capite velato; uxorem solam peremit: fit reus cædis: advocatum patrem postulat: contradicit.

PRO FILIO.

Accusator objicit, quod adultero pepercerim: pater dolet, quod nurum ejus occiderim. Adulter occidi maluit, quam videri: habet adulter pœnam suam: cruciatur conscientia, pudore torquetur: et si interim tectus evasit, inveniet illum postremo vel[1] fama.

XLVIII.

Pauper imperatum imperium recusat.

Pauper et dives inimici. Belli tempore, dives est creatus imperator: qui quum bis fugatus esset, pauper legem tulit, ut qui ter fugatus esset, in crucem tolleretur. Tertio dives fugatus est, et in crucem latus. Filius divitis fert rogationem, ut imperium transferatur ad pauperem: pauper contradicit.

CONTRA PAUPEREM.

Habes, pauper, grande solatium; reliquisti super-

1. *Inveniet illum postremo vel fama.* Igitur quum pœnam suam vel jam invenerit adulter vel inventurus sit, ego accusandus cædis non sum, quamvis eum una cum uxore deprehensum non interemerim. SCH.

Digitized by Google

stitem legem [1]. Procede legumlator ad bellum : muta stilum gladio, lorica togam. Jam fortunæ satisfecimus, et hostes, vel dum vincimur, fatigavimus : in victoriam pæne succedis alienam.

XLIX.

Raptor duarum filium nutriens.

LEX RAPTARUM. Quidam duas rapuit : productæ ad magistratus, altera nuptias, altera mortem petit. Magistratus humaniorem sententiam secuti sunt. Post factas nuptias, illa, quod virgo perpessa est [2], quem conceperat, peperit; [3] exposuit : raptor suscepit, qui tunc erat maritus alienus, et alere cœpit. Reus est uxori, malæ tractationis.

PRO MARITO.

Venit ad vos prava mulier, accusatura pietatem :

1. *Reliquisti superstitem legem.* Quæ post te duratura et conservatura tuum est nomen : quod non idem contigit patri, quum sumeret expeditionem ; quam sumpsit tamen. Accommodatius ad rem sit, *reliqueris*, aut *relinques*. SCHULT. — *In victoriam pæne succedis alienam.* Florus II, 16 : « Fata rerum ! « quum Metellus dimicasset, ad vic- « toriam Mummius venit. » SCHULT.

2. *Illa quod virgo perpessa est.* Hæc quid sibi velint, non assequor. Res ipsa jubebat : *Illa, quæ mortem optaverat.* GRON. Scribe, *Post factas nuptias altera, quod virum perpessa erat, quem conceperat, peperit.* SCHULT. Forte scripserit, *illa quod virgo compressa conceperat, peperit.* Ita sæpe *compressa* Terentius ; et præcipue ad hunc sensum Adel. III, 5 : « Virgo ex eo « compressu gravida est facta. » Posset et propius ad vulgatam lectionem legi, *perpressa*, ut Ovid. Art. I, 394 : « Perprime tentatam, « nec, nisi victor, abi. » *Quod conceperat*, vere eleganter et ex prisco usu. Ita Plaut. Amph. I, 3 : « Verum « quod natum erit tollito ; » quod imitatus Terent. Andr. I, 11, 3, et III, 1 : « Quidquid peperisset de- « creverunt tollere. » Leg. 26, ff. de Stat. hom. « Id quod natum « erit. » Et ita Græci τὸ γενόμενον, Math. I, 20 ; Luc. I, 35. Ita etiam *destituta* pro destitutis hominibus vidimus ad Quint. Decl. I, 6. BURM.

3. *Exposuit raptor : suscepit.* Difficile esse putamus hæc ita construc-

Digitized by Google

infantem adhuc jussit feris, canibus, et diris alitibus exponi : puto, patris similis apparuit [1], unde matrem tam graviter offendit. Nam qui potest expositum præterire? ignosce, non potui : tu me docueras, puella, misereri [2] : de matre nihil meminit. O gratum [3] infantis errorem ! te existimat matrem. Disce, infelix puer, natalium tuorum disce fortunam : pariter nos ambos mulier afflixit : et pariter factum alia [4] servavit.

ta intelligere, ut cum Declamatione congruant : nos diu et frustra hæsisse fatemur ; quippe mirantes hæc tam obscura a tam doctis interpretibus esse præterita, e quibus nullus sensus elici potest : sic igitur interpunximus *peperit : exposuit. Raptor suscepit*, etc. qua mutatione omnia jam luce clariora in Declamatione evadunt. Ed. — *Venit ad vos prava mulier.* Malim, *veniat :* nempe non hæc mea, maxime misericors et pia. Schult.

1. *Patris similis apparuit.* Qui rapuit et vim intulit matri. Lege autem, *patris similis apparuit : inde matrem tam graviter offendit. Nam quis*, etc. nisi *Num quis* censeas rectius. Schult. Vide de hoc declamatorio acumine Barth. Adversar. lib. XLII, cap. 18.

2. *Tu me docueras, puella, misereri.* Uxorem suam intelligit puellæ nomine : quod minus mirum, quum et *virginem* appellent, non solum, quæ virum passa, sed et quæ jam mater est. Calvus in Io : « Ah ! virgo infelix, herbis pasceris « amaris. » Quod Servius citat ad illud Virgilii, Ecloga VI de Pasiphae, tres jam liberos, Phædram, Ariadnen, et Androgeum enixa. « Ah ! virgo infelix, quæ te demen« tia cepit? » Adde et Grotium ad Matth. cap. 1, 23. Schult. — *De matre nihil meminit.* Immo, *memini.* Quam crudelis illa erga me fuerit, oblitus sum : nec id in communi infante ulcisci possum. Gron. Clariora hæc, *De matre nihil meminerit : o gratum infantis errorem ! te existimabit matrem.* Schult.

3. *O gratum.* Hic locus sic reponendus videtur Neveleto meo, *O gratum infantis errorem ! te existimat matrem : disce, infelix puer, natalium tuorum fatum, disce fortunam. Pariter nos ambos mater afflixit, et pariter alia servavit*, acute. Pith. Discessero in sententiam illius, si quis malit, *Disce infelicitatem, puer, natalium tuorum, disce fortunam. Natales* ut sint, origo et familia ; quomodo in vulgatissimis, *Restitui natalibus*, et, *natalibus non officere manumissionem.* Schult.

4. *Alia servavit.* Puto, *servabit.* Sic loquitur mitius jam agens cum uxore, quasi sperans ultro remissuram. Gron. Diu me hæc habuerunt exercitum : et nondum pro certo scio, an viderim ea, quæ scripserit auctor. Sensus tamen manifestus in his apparet, *et pariter factos alienos servabit.* Obtulit se etiam, *pariter forte nunc alienatos servabit.* His autem minatur, se hanc, nisi desisteret, derelicturum,

Digitized by Google

L.

Vir fortis gladiator.

INFAMIS NON MILITET. Vir fortis in piratas incidit: rescripsit patri de redemptione: illo cessante, redemit eum lanista; et rudem ei in arena dedit. Reverso belli tempore denunciat militiam imperator.

PRO VIRO FORTI.

Omnia fieri posse credidi, quum me fortuna servum ex libero, et gladiatorem de viro forti fecisset. Imperator vobis ingerit militem, cujus operam non esse reipublicæ necessariam, proxime non redimendo judicastis. Veniam a vobis, judices, postulo, quod gladiator infamis in judicio loquor. Erravi, fateor, judices, erravi, qui semper credidi immortalitatem esse [1] pro republica mori; quum fama etiam viventium consenescat. Gladiatorem me fecit non pirata, sed patria: sed, o virtus in adversis comes, sola tu me secuta in carcerem, tu in ludum; virum fortem tu sola non decipis. Scitis me, judices, periculum contemnere; sed non contemno flagitium: virum igitur gladiatorem negat [2], negat aliquis

cujus nunc teneatur matrimonio, et ad alterius, cujus e compressione hic illi erat natus filius, nuptias transiturum. Illud *alienare* ita apud Plaut. Amph. I, 1, 243: « Certe « ædepol tu me alienabis nunquam, « quin noster siem. » SCHULT. Non bene rem perspexit vir cl. et ibi multisque in locis ipse et alii intpp. hæserunt ob Declamationis obscuritatem, quæ tollitur, ubi intelligis in argumento raptorem sustulisse infantem expositum a matre quæ mortem raptoris optaverat, et prægnans ex raptu facta erat: quod et supra sic mutavimus. ED. *Fatum*, Obrechtus.

1. *Immortalitatem esse.* Cic. pro Planc. cap. 37. ALMEL.

2. *Virum igitur gladiatorem ne-*

Digitized by Google

infamem? an negat gladiatorem? utrumque mendacium est: neque enim conditione gladiatoria[1] quidquam est humilius in vulgo, nec meo nomine quidquam nobilius in ludo. Fortunæ, inquit, fuit: quousque fortunam facimus[2] humanorum negotiorum ream? esto: fortuna fecit, ut caperer: quis fecit, ut nemo redimeret? Etsi[3] victoria solita provenerit, post rudem triumphabo.

gat. Scribe: *utrum igitur gladiatorem negat aliquis infamem, an me negat gladiatorem?* Gron. Haud cunctanter corrigo, *Utrum igitur gladiatorem negat aliquis infamem? an me negat gladiatorem? Utrumque mendacium est.* Schult. Recepit doctissimorum virorum conjecturas Obrechtus.

1. *Neque enim conditione gladiatoria*, etc. Pertinet ad hæc Flor. II, 19; et III, 20 init. Schult.

2. *Quousque fortunam facimus*, etc. Sallust. graviter de his in præfatione belli Jugurth. Schult. Vide etiam nostratis *La Fontaine* apologum, cui titulus *la Fortune et le jeune Enfant*; et apol. VII, 14. Ed. —*Facimus humanorum negotiorum ream.* Heinsius in ora codicis sui Juvenalis Sat. X, vers. ult. legebat hoc adducto loco: « Nos te, Nos « facimus, Fortuna, ream, cæloque « locamus. » Sic et apud Apulei. V Metam. legebat, « En o rea et sæva « et iniqua fortuna, » ubi vulgo, *en orba.*

3. *Et si.* Malim, *et si v. s. p. p. r. triumphabo.* Pith. Divellendum *Etsi*. Forte et mutandum in *At si*; et interrogatione periodus efferenda. Exprimere enim vult indignum esse, ut illi, qui gladiator fuerit et infamis, concedatur triumphus. Sch.

Digitized by Google

LI.

Invicem adoptati.

Pauper et dives inimici visi sunt in gratiam rediisse. Dederunt invicem filios adoptandos. Dives occidit lege indemnatorum, quem acceperat. Qui est apud pauperem, reddit causam mortis voluntariæ. Pauper contradicit.

PRO PAUPERE.

Utinam, patres conscripti, liberis nostris exire de [1]vita sine nobis orbatis non liceret! Perquam indignum est, si utrumque pignus amittam, et quod dedit aliquando natura, et quod nunc substituit amicitia: amo enim juvenem, quia non genui meo sanguine, sed [2]redemi.

1. *Exire de vita.* Ita « migrare « de vita » dixit Vellei. Pater. I, 11. Nec quidquam vulgatius. — *Sine nobis orbatis non liceret.* Videtur potius delenda negatio. PITH.

2. *Amo enim juvenem, quia non genui meo sanguine, sed redemi.* Quum illud necessitatis, hoc judicii sit. SCHULT. Intelligo: Redemi a patris sævi manibus. ED.

FINIS DECLAMATIONUM CALPURNII,

ET SEXTI VOLUMINIS.

Digitized by Google

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

QUINTILIANI DECLAMATIONES.

		Pag.
Decl.	CCXLIV (sine titulo)	3
	CCXLV (sine titulo)	5
	CCXLVI. Soporatus fortis privignus	8
	CCXLVII. Raptoris divitis bona mariti uxor accipiat	12
	CCXLVIII. Octo anni duplicis imprudentiæ	18
	CCXLIX. Abolitio adulteri fortis	22
	CCL. Sortitio ignominiosorum	27
	CCLI. Rapta sterilis repudiata	30
	CCLII. Parasitus raptor candidatæ	32
	CCLIII. Tyrannicida volens dedi	39
	CCLIV. Exsul accusator, et sententiæ pares	42
	CCLV. Transfugæ excludendi	49
	CCLVI. Furiosus trium filiorum pater	52
	CCLVII. Nuptiæ inter inimicorum filios	54
	CCLVIII. Fortis contumax patri forti	58
	CCLIX. Pauper naufragæ liberator, maritus	61
	CCLX. Pastor abdicatorum	68
	CCLXI. Æquatio patrimoniorum	78
	CCLXII. Maritus virginis raptor	80

Digitized by Google

Pag.
DECL. CCLXIII. Ignominiosus contra tres rogationes ... 83
CCLXIV. Fraus legis Voconiæ 87
CCLXV. Ignominiosi pulsator in templo 90
CCLXVI, Ex proditore exsule, fortis 94
CCLXVII. Flens ad arcem, depositor tyrannidis .. 97
CCLXVIII. Orator, medicus, philosophus 100
CCLXIX. Dives sub tyranno auctionatus 106
CCLXX. Rapta ex duabus geminis 110
CCLXXI. Ter fortis contra tertium fortem 117
CCLXXII. Orbata proditrix 121
CCLXXIII. Debitor adulter 125
CCLXXIV. Tyrannus fulminatus 129
CCLXXV. Heres ob adulterum fratrem 133
CCLXXVI. Bona raptoris qui se suspendit 135
CCLXXVII. Prægnans adultera 139
CCLXXVIII. Expositor petens cum forti x millia .. 142
CCLXXIX. Dives speciosi adulter 145
CCLXXX. Raptor reversus 151
CCLXXXI. Abdicandus cum gladio 157
CCLXXXII. Tyrannicida veste muliebri 159
CCLXXXIII. Cynicus diserti filius 160
CCLXXXIV. Adulter sacerdos 162
CCLXXXV. Imperator exsulis filius 164
CCLXXXVI. Adulter fratris ex sponso 165
CCLXXXVII. Fortis filius proditionis rei 168
CCLXXXVIII. Tyrannicida filiorum duorum 169
CCLXXXIX. Amator filiæ 171
CCXC. Abdicans reductum ob furorem 173
CCXCI. Adulter uxoris, qua cesserat fratri 175
CCXCII. Laqueus Olynthii speciosi 178
CCXCIII. Tyrannus victæ civitatis 180

Digitized by Google

Pag.
DECL. CCXCIV. Dives proditionis reus..... 181
CCXCV. Demens ex vinculis fortis..... 183
CCXCVI. Exsul tace..... 186
CCXCVII. Meretrix ab amatore forti cæcata..... 190
CCXCVIII. Rusticus parasitus..... 194
CCXCIX. Ossa eruta parricidæ..... 199
CCC. Adultera apud filium judicem rea..... 202
CCCI. Rapta a divite pro ancilla..... 205
CCCII. Auctoratus ob sepeliendum patrem..... 212
CCCIII. Proditionis rei fortes..... 215
CCCIV. Tria præmia divitis sacerdotis.....ibid.
CCCV. Exsules a divite pugnare inter se coacti... 217
CCCVI. Expositus, negatæ matris nuptias petens.. 224
CCCVII. Conscius veneno proditoris..... 234
CCCVIII. Duo testamenta..... 237
CCCIX. Raptor convictus..... 243
CCCX. Fortis bis adulterii damnatus..... 248
CCCXI. Addictus manumissus..... 253
CCCXII. Heredes de deposito..... 257
CCCXIII. Falso cædis damnatus..... 259
CCCXIV. Ego te, pater, occidi..... 265
CCCXV. Fortis pater desertoris..... 270
CCCXVI. Flens luxuriosi pater..... 276
CCCXVII. Imperator provocatus a filio..... 279
CCCXVIII. Legatum inter libertos..... 283
CCCXIX. Adultera venefica..... 286
CCCXX. Multati socius..... 290
CCCXXI. Invicem venefici frater et medicus..... 294
CCCXXII. Abdico te, nisi desinis..... 303
CCCXXIII. Alexander templum dedicans..... 307
CCCXXIV. Bona sacrilegi..... 314

Digitized by Google

Pag.
DECL. CCCXXV. Hereditas fidei commissa..... 316
CCCXXVI. Legati filius victima pestilentiæ..... 323
CCCXXVII. Sterilis trium noverca..... 326
CCCXXVIII. Discordes fratres..... 328
CCCXXIX. Sepultura tyranni, qui se occidit..... 333
CCCXXX. Abdicandus qui alit adulteram matrem. 338
CCCXXXI. Bis damnatus injuriarum, tertio absolutus..... 342
CCCXXXII. Divitis et pauperis testamenta..... 351
CCCXXXIII. Pauper impensis divitis disertus.... 357
CCCXXXIV. Proditoris accusator ex defensore... 363
CCCXXXV. Infamis in novercam, vulneratus..... 366
CCCXXXVI. Ager communis, et novæ tabulæ.... 371
CCCXXXVII. Seditio populi et exercitus..... 376
CCCXXXVIII. Lis de filio expositoris, et repudiatæ..... 381
CCCXXXIX. Rogatio Demosthenis..... 391
CCCXL. Novitius prætextatus..... 396
CCCXLI. Res furtiva improfessa apud publicanos. 400
CCCXLII. Ancilla in archipiratæ nuptias missa... 405
CCCXLIII. Circumscriptor pauperis, divitis raptoris socer..... 410
CCCXLIV. Redempta meretrix a divite pauperis filio..... 414
CCCXLV. Pauper ad tyrannicidium mercede conductus..... 419
CCCXLVI. Tutor filii sui in adoptionem dati..... 425
CCCXLVII. Absente marito rumor et nuptiæ..... 426
CCCXLVIII. Cum proditoribus carcer incensus... 430
CCCXLIX. Raptoris pater, dementiæ reus..... 435
CCCL. Aqua frigida privigno data..... 439

Digitized by Google

Pag.
DECL. CCCLI. Exsul index tyrannidis..... 443
CCCLII. Reus tyrannidis, qui deliberavit victor arma deponere..... 446
CCCLIII. Dispensatores torti..... 448
CCCLIV. Morietur, antequam nubat..... 449
CCCLV. Tutor lenocinii reus..... 450
CCCLVI. Filius pro meretrice patris, suam redimens..... 452
CCCLVII. Uxor non relinquens ob adulterium cæcatum..... 454
CCCLVIII. Exposito pulsatori amputatæ manus... 455
CCCLIX. Lis publicani de unionibus..... 456
CCCLX. Lis de dotibus, socrus et nurus..... 457
CCCLXI. Depositi rapti quadruplum..... 459
CCCLXII. Invicem pulsatores patrum..... 460
CCCLXIII. Vestiplica pro domina..... 461
CCCLXIV. Conviciator pauper occisus..... 462
CCCLXV. De vi septem judices..... 463
CCCLXVI. Legatus filius proditoris occisus..... 466
CCCLXVII. Luxuriosi pater fortis..... 468
CCCLXVIII. Alens patrem rapta abdicata..... 470
CCCLXIX. Armis sepulcri victor..... 473
CCCLXX. Rapta competitrix divitis filia..... 475
CCCLXXI. Viri fortis pater, reus proditionis .....ibid.
CCCLXXII. Pulsator educatoris expositus..... 477
CCCLXXIII. Ornamentis redemptus..... 481
CCCLXXIV. Abdicatus heres ob tyrannicidium... 482
CCCLXXV. Fortis, filius proditionis rei, frater desertoris..... 485
CCCLXXVI. Expositus juratus ob nuptias educatoris filiæ..... 487

Digitized by Google

Pag.
Decl. CCCLXXVII. Vocatus a patre in militiam, venenum terens 490
CCCLXXVIII. Auctor pacis abdicandus 495
CCCLXXIX. Dives a parasito sacrilego reus cædis. 496
CCCLXXX. Crux scripta servo non danti venenum 498
CCCLXXXI. Noverca torta filiam consciam dicens. 499
CCCLXXXII. Tyrannicida conductus 501
CCCLXXXIII. Rapta male tractata 502
CCCLXXXIV. Virgo immolata pestilentiæ 504
CCCLXXXV. Lenoni reus, qui meretrici amatorium dedit ..... ibid.
CCCLXXXVI. Iphicrates cum gladio 507
CCCLXXXVII. Fortis abdicans servatum 508
CCCLXXXVIII. Avia testis ..... ibid.

CALPURNII FLACCI EXCERPTÆ X RHETORUM MINORUM.

Decl. I. Uxor tyrannicida 521
II. Natus Æthiops 523
III. Miles Marianus 526
IV. Parricida carcerem petens 527
V. Leno 529
VI. Decreto de reditu occisus 530
VII. Dives imperator 532
VIII. Demens ter triumphalis 534
IX. Pater excæcatus 535
X. Pater receptis oculis 537

Digitized by Google

Pag.
DECL. XI. Damnati adoptivi..... 540
XII. Veneficii rea..... 542
XIII. Medicus tyrannicida..... 544
XIV. Abdicatus patrem liberans..... 547
XV. Ter fortis desertor..... 549
XVI. Rapta tacens..... 552
XVII. Pædagogus cruciarius..... 554
XVIII. Armati abdicati..... 556
XIX. Abdicatus immolandus..... 558
XX. Prostitutus ex geminis..... 559
XXI. Pictura viri fortis..... 561
XXII. Privignus tyrannicida..... 562
XXIII. Peregrinus cruciarius..... 565
XXIV. Indemnatus carnificem recusans..... 567
XXV. Fortis duo præmia..... 569
XXVI. Tria præmia sacerdotis..... 570
XXVII. Fortis inimicum divitem servans..... 573
XXVIII. Dives fortis inimicus duorum..... 574
XXIX. Fortis dives inimici alteram filiam petens..ibid.
XXX. Nepos ex meretricio susceptus..... 576
XXXI. Adulteræ soror et mater..... 577
XXXII. Amator meretricis dominæ..... 578
XXXIII. Raptam pater vinculis tenens..... 579
XXXIV. Mater et noverca invicem reæ..... 580
XXXV. Speciosus desertor..... 581
XXXVI. Filius meretricis suæ redemptor..... 582
XXXVII. Démentiæ reus a tribus filiis.....ibid.
XXXVIII. Fortis viri filius tyranno deditus..... 583
XXXIX. Morietur, antequam nubat..... 584
XL. Rapta, ab ephebo stuprata..... 585
XLI. Orba confessa sacrilegium.....ibid.

Digitized by Google

Pag.
DECL. XLII. Raptor excæcatus..... 586
XLIII. Soror infamis immolanda..... 587
XLIV. Indemnatus raptoris filius.....ibid.
XLV. Vir fortis et orator..... 589
XLVI. Adulter uxoris..... 590
XLVII. Infamis in nurum..... 591
XLVIII. Pauper imperatum imperium recusat....ibid.
XLIX. Raptor duarum filium nutriens..... 592
L. Vir fortis gladiator..... 594
LI. Invicem adoptati..... 596

FINIS TABULÆ VOLUMINIS SEXTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google